UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

urn:nbn:de:hbz:466:1-67232

Visual Library

Nr. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ, AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS VIGESIMUS QUINTUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XLIX.
Ab anno Christi 1572. usque ad annum 1581.

Colleg. S. Pad. Paderborn 1772



AUGUSTÆ VINDELICORUM, & OENIPONTI,
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Præsens continuatæ Historiæ tomus vigesimus quintus, seu in ordine quadragesimus nonus exhibet memoratu dignam ultionem, quam de Hugonottarum scelleribus, ac perfidia Carolus IX. Franciæ Rex in festo Divi Bartholomæi Parisiis sumpserat: hanc equidem Calviniſtæ balneum sanguinarium, cruentas nuptias, immanem lanienam, & tyrannidem plusquam barbaram appellant, vehementer dolentes, quod Colinius Architalassus sectæ suæ Antesignanus, perduellionis Author, ac Galliæ incendarius promeritas suæ in Deum, Regemque rebellionis pænas dare coactus fuerit, eapropter impotentibus furiis in ipsum Regem tumultuantur, eumque tanquam unicum hujus cædis auctorem traducunt. Ex horum officina Edimburgi anno 1573. auctore Ernesto Varamundio Frisio prodiit quidam libellus, in quo Auctor se *veram, & simplicem narrationem* proferre profitetur *de furoribus Gallicis, horrenda, & indigna*

Admiralii Caſtillionei, nobilium, atque illuſtrium Virorum cæde, ſcelerata, ac inaudita piorum ſtrage paſſim edita per complures Galliæ civitates, ſine ullo diſcrimine generis, ſexus, ætatis, & conditionis hominum. Ex hoc ipſo titulo velut hedera acidum hujus Auctoris vinum dignoſcitur, qui adeo non *veram, ſinceramque relationem*, ut mentiebatur, exhibuit, ut potius livido dente Franciæ Regem, Lotharingium Cardinalem, Guiſios Principes, omnesque Catholicos corroderet, viciſſim vero hæreticos tanquam *pios*, ſi ſuperis placet, viros deprædicaret, ſimulque Regem, vel tanquam fraudulentum diſſimulatorem, vel perpetratæ cædis Authorem redargueret, eoquod paucis ante diebus miſſis ad omnes Provinciarum rectores literis nuntiaſſet, Architalaſſum cognatum ſuum magno cum animi ſui dolore a Guiſio interfectum, ſeque in maximo vitæ diſcrimine verſatum eſſe; paulopoſt vero per tubicines promulgari juſſiſſet, quod ſceleratus, atque impius Architalaſſus Regis imperio interfectus fuerit: ne vero, inquit ipſe, harum rerum cuipiam fides in dubium veniat, literas quasdam, & edicta hanc in rem præfatæ relationi ſuæ ſubjicit, nullo tamen Auctore aut Archivo, ex quo haſce literas extraxiſſet, allegato: quoniam vero hæ ipſæ literæ ad præſentem hiſtoriam conferre videantur, eas ſubjicere haud incongruum cenſuimus, quin tamen illis

illis plenam propterea fidem esse adhibendam contendere velimus, donec de genuina earum auctoritate firmiori testimonio constet: itaque præfati libelli Auctor præprimis Regis literas ad Burgundiæ Præfectum recitat, sub hac epigraphe:

Regis literæ ad Burgundiæ Præfectum, *quibus Rex homicidii in Admiralii persona patrati culpam in Guisianos transfert, eosque facit authores illius tumultus Parisiis orti, mandatque se velle edictum pacis nomine a se præscriptum observatum iri.*

„Cognate, ex superioribus meis literis in„telligere potuisti, & Admiralio cog„nato meo inflictum fuisse vulnus, & stu„dium, atque operam, quam antehac ut „maxime, ac diligentissime potui, adhibui „in authore illius sceleris investigando, & „coercendo: qua in re nulla aut cura, aut „diligentia prætermissa fuit. Ex eo autem „tempore Guisiani, aliique Nobiles a par„tibus illorum stantes (quorum non minor, „ut omnibus constat, in hac Parisiorum „urbe est potentia, atque auctoritas) certio„res facti, quod Admiralii amici consilium in„iissent de injuria illa in eorum caput ulcis„cenda, quippe quos injuriæ illius autho„res fuisse suspicabantur, superiore proxi„ma nocte arma ceperunt, magnaque, & „deploranda seditio inter ambas partes ver„sata est: nam impetus factus est in eam

„cohortem, quam Admiralio præſidii cauſ-
„ſa præ foribus ipſius attribueram: qua co-
„horte perrupta, interfectus eſt Admiralius
„cum aliquot Nobilibus, multisque aliis in
„hujus urbis locis alii complures trucidati
„ſunt, tantaque fuit rabies, adeoque ef-
„frænis, ut præcaveri, atque impediri, ut
„res poſtulare videbatur, non potuerit,
„cum mihi ſatisfuerit negotii in cuſtodibus
„meis, & cohortibus ad hujus arcis Lupa-
„ræ tutelam, & meum, fratrumque meo-
„rum præſidium adhibendis, ut poſtea per
„univerſam Urbem, ſeditionem illam com-
„peſcerem, quæ jam Dei benignitate re-
„preſſa, & reſtincta eſt: orta primum ex
„inimicitiis, quæ inter Guiſii, & Admiralii
„familias intercedebant: ex quibus cum
„antea ſemper prævidiſſem incommodum
„aliquod naſciturum, omnem operam, ſtu-
„diumque in illis reconciliandis collocave-
„ram, ut patet omnibus; neque enim hoc
„facto edictum noſtrum pacificatorium in-
„firmatum eſt, quin potius volo, ut poſt-
„hac pari ſeveritate, atque diligentia, quam
„antea obſervetur, hancque meam volun-
„tatem, ac mandatum in omnes regni mei
„provincias perferri, ac promulgari juſſi,
„& quoniam periculum eſt, ne propter il-
„lud facinus cives mei tumultuentur, at-
„que alii in alios arma capiant, neve ma-
„gnæ per regni noſtri oppida cædes, ac
„trucidationes fiant, quod magno cum ani-
„mi

„mi noſtri dolore accideret, dabis operam, „ut paſſim per univerſam provinciam, ac „præfecturam tuam lege promulgata ſan„citum ſit, ut omnes ſe pacate, & quiete „in ſuis domiciliis contineant, neve quis al„teri injuriam faciat, ſuppliciumque capi„tis de iis, qui huic legi immorigeros ſe „præbebunt, ſumatur: quem in finem edi„ctum noſtrum pacificatorium diligenter „etiam, atque etiam obſervandum curabis. „Quod ſi qui huic noſtro mandato non pa„ruerint, ſeſeque ad arma compararint, „copias quam maxime multas poteris, co„ges, quibus in illos irrues, ſimul etiam „capitaneos urbium, atque arcium, quæ in „tua præfectura ſunt, monebis, ut earum „tutelæ, atque cuſtodiæ invigilent, vi„deantque, quomodo nihil inde incommo„di oriatur, meque quam diligentiſſime „certiorem facies de ſtudio, & diligentia, „quam in his rebus adhibueris, necnon de „totius tuæ præfecturæ ſtatu. Qua de „cauſſa Deum oro, ut te ſuo ſancto præſi„dio tueatur. Lutetiæ vigeſima quarta „Auguſti anno milleſimo quingenteſimo ſe„ptuageſimo ſecundo.

Poſtea Author alias ejusdem Regis literas exhibet ad Magiſtratus civitatis Biturigum ejusdem argumenti.

„Dilecti, & fideles, non dubitamus, per„latum jam ad vos eſſe nuntium de

„ſeditione illa, quæ nuper maximo noſtro „cum dolore in hac Pariſiorum urbe orta „eſt, in qua Cognatus meus Admiralius, hu„jusque nonnulli amici interfecti ſunt, at„que in aliis ejusdem urbis locis non pau„ci internecione mandati fuere. Hoc au„tem nuntio periculum eſſe videmus, ne „pax, & publica tranquillitas, quæ hacte„nus poſt edictum pacificatorium in urbe „noſtra Biturigum locum obtinuit, convel„latur, ſi maturum non adhibeatur reme„dium. Hanc ob cauſſam has literas, & „mandata noſtra ad vos perferri juſſimus, „quibus vobis maxime præceptum volu„mus, ut unusquisque veſtrum pro ſua vi„rili, & publici muneris functione videat, „nequis inter cives oriatur tumultus, neve „qua patretur cædes: quarum rerum ini„tium duci poſſet ab iis, qui prætextu vio„latæ, & abruptæ pacis (quamquam in il„lo Pariſienſi facto nihil, quod hoc oleat, „eſt) inimicitias ſuas perſequi, animumque „explere, ac ſatiare conarentur: quæ res „mirum in dolorem, moleſtiamque incre„dibilem nos conjicerent. Quam ob rem „veſtræ erunt partes lege Biturigibus, „ejusque ditionis omnibus in locis promui„gata, edicere, ut omnes domi pacifice, „& quiete ſe contineant, nec arma ca„piant, aut alii alios offendant, ſupplicio „capitis in eos, qui non paruerint, conſti„tuto, quo edictum noſtrum pacificatorium

„ſum-

„ſumma cnra, ac diligentia obſervetur. „Quod ſi quis ſecus fecerit, & huic noſtro „mandato non paruerit, ſevere in eum ani„madvertatur, pænasque noſtris conſtitu„tionibus indictas det. Ceterum de urbe „noſtra ſic ſolliciti eſtote, ut inde nihil no„bis nocuum accidat: quibus rebus omni„bus tantum ſtudium, diligentiam, ope„ramque navabitis, quantam veſtra erga „me fidelitas, atque obſervantia poſtulat. „Datæ Lutetiæ Pariſiorum vigeſima ſepti„ma Auguſti anno milleſimo quingenteſi„mo ſeptuageſimo ſecundo.„ Huic epiſtolæ a latere ſubſcriptus legebatur *Carolus IX.* in imo autem Paginæ *De Novavilla.*

Recitata hac Caroli IX. epiſtola ſequuntur literæ Regii apud Helvetios quæſtoris, juſſu Regis ad Confœderatos, quos *Cantones* vocant, ſcriptæ, quarum idem, quod literarum Superiorum argumentum eſt.

„Magnifici Domini, Dominus Fontanus „Legatus Regis ſummi amici, ac vo„bis confœderati, egoque Regis ejusdem in „hac Helvetiorum regione quæſtor, man„datum ab ipſius Majeſtate accepimus, ut „vobis ſummis, & certiſſimis ejus amicis „exponamus infortunium, quod Lutetiæ „ſuperioribus diebus accidit, dum ibi cum „aula, & aulico comitatu eſſet, ex quo „major animi dolor eum ideo invaſit, quod „id munus hoc præſertim tempore expe-

„ſtandum, ac metuendum erat. Quod ſic
„ha etote. Die vigeſima ſecunda Auguſti
„cum Dominus Admiralius ex arce Lupara
„egreſſus eſſet, globo bombardario petitus,
„& in utraque manu vulneratus eſt, cujus
„rei regia Majeſtas certior facta de inve-
„ſtigando tanti ſceleris, capiendo punien-
„doque authore mandatum dedit. Quod
„cum facere Magiſtratus inſtituiſſet, atque
„ædes, unde Admiralius globo petitus fue-
„rat, inhabitantes jam in cuſtodiam publi-
„cam conjeciſſet: ecce ii, qui (ut facile
„eſt colligere) prioris mali authores erant,
„obviam neceſſariæ juſtificationi euntes,
„hancque antevertentes, crimen novum
„præterito addiderunt, atque ea nocte, qua
„vigeſima tertia ejuſdem menſis clauditur,
„& vigeſima quarta oritur, copias convo-
„carunt, ad ſeditionem hujus urbis cives
„excitarunt, maximoque cum impetu fu-
„rioſi in domum, in qua erat Admiralis, ir-
„ruerunt, cohortemque, quam Rex præ-
„ſidii cauſſa præ foribus ſtatione collocari
„juſſerat, perruperunt: ingreſſi autem Ad-
„miralium, & quosdam, qui cum illo erant
„Nobiles, interficiunt, idem non paucis in
„ejusdem urbis locis factum eſt; tanta ve-
„ro cum celeritate rabies, ac furor ille
„graſſatus eſt, ut Rex tumultum illum ſe-
„dare cupiens, non parum negotii habue-
„rit in arce ſua Lupara tuenda, præſidio-
„que firmanda, in qua tum unacum Regi-
„na

„na Matre, & conjuge, necnon Illuſtriſſi-
„mis ſuis Fratribus, & Navarrorum Rege,
„aliisque Principibus ſeſe continebat. Hinc
„Magnifici Domini colligere poteſtis, quan-
„tam ea res animi perturbationem illi juveni,
„& magnamino Regi attulerit, qui, ex quo
„regnum adeptus eſt, ſpinas tantum loco
„ſceptri cum tractaſſet, atque tot civilibus
„bellis, quæ in ipſius regno orta ſunt, im-
„plicitus fuiſſet, exiſtimabat optimo, pru-
„dentique Matris, fratrumque ſuorum ad-
„hibito conſilio, & auxilio pacem, & tran,
„quillitatem regno recuperaſſe ſtabilem, &
„ſe deinceps regno ſibi, & ſubditis felicio-
„ri fruiturum, nimirum poſt ſublatas (ut
„credebat) omnes, & diſſenſionis, & ſu-
„ſpicionis inter ſubditos cauſſas, cum per
„edictum pacificatorium, tum per Regis
„Navarreni conjugium cum ſorore quinto
„ante die celebratum, necnon per aliud
„conjugium illuſtriſſimi Principis Condæi
„cum Duciſſa Nivernienſi: præterea nullum
„eorum prætermiſerat, quæ ad otium, ſum-
„mamque pacem facere arbitrabatur, ma-
„ximeque ut Amiralius tutus ab omni pe-
„riculo viveret, regia Majeſtas in eo toto
„fuit, ut illi præcipuos, & capitales ini-
„micos pacatos, ac inimicitiis vacuos red-
„deret: cujus rei haud cum difficultate lo-
„cupletiſſimos teſtes invenire eſt. Itaque
„Deus non dubius regis, & animi cando-
„ris, & conſilii teſtis benignitate propria
„mo-

„motus, voluit, ut post horas aliquot plebs „illa, cum satis furori exercendo operam „dedisset, domum se reciperet, nec ipsius „Majestati quidquam antiquius, & majori „curæ fuit, quam operam sedulo dare, ne „ipsius edictum pacificatorium antiquare„tur, neve pax, & concordia, qua utrius„que Religionis subditi tunc fruebantur, „violaretur, quam ob caussam ad omnes „provinciarum præfectos nulla mora inter„jecta nuntium misit, quo tanta cura, & „diligentia, quanta in ejus edictis est in„dicta, uterentur, simulque magna cum „animi affectione imperavit, ut huic rei „omnem industriam afferrent, ita, ut om„nes facile perspicere possint, tale infortu„nium accidisse propter privatas injurias, „non autem edictum pacificatorium infir„mandi gratia, quod regia Majestas nullo „modo fieri patietur, qua de re Magnifici „Domini, ut vos certiores faceremus, man„datum dedit: item ut vobis maxima peri„cula, quæ Gallico regno, & vicinis im„minere videntur, exponeremus, non ob „illius tumultus caussam; sperat enim divi„no adjutus auxilio se omnino posse illum „reprimere, & regnum cum pace, ac tran„quillitate, quæ post ultimum pacificato„rium edictum maxime viguit, conservare. „Verum quoniam ingentes variis in regio„nibus conscribuntur, & colliguntur exer„citus, maxime vero in inferiori Germania,

„nec

„nec adhuc conſtat, utri velit Deus victo-
„riam tribuere, nec in quem finem victor
„jam collectas, & conſcriptas copias ad-
„ducet, & qua in regione his poſtea uti
„volet: hanc inquam ob cauſſam regia
„Majeſtas vos oratos velit, ut pergentes in
„amicitia, & concordia, quæ hactenus re-
„gno Galliæ vobiſcum amicis, & fœdere
„junctis Cantonibus interceſſit, velitis,
„quantum res poſtulabit pro veſtra virili
„ejus regno invigilare, tantam curam, &
„diligentiam adhibentes, quantam ſe pro
„vobis, veſtroque felici ſtatu, re ita poſtu-
„lante, adhibiturum pollicetur. Denique
„in pace, tranquillitate, & concordia ve-
„ſtræ Helveticæ gentis conſervanda utami-
„ni veſtra magna, & ſingulari prudentia,
„quam conſtat, unicam eſſe cauſſam, non
„modo, ut poſſitis amicis auxilia mittere,
„verum etiam potentiam illam, atque au-
„ctoritatem retinere, quæ vicinis licet ma-
„gni ſint nominis, terrori, ac formidini
„eſſe poſſit. Porro regia Majeſtas, quoties
„res poſtulabit, omnem benevolentiam,
„ſtudium, ac amicitiam talem pollicetur,
„qualem ab optimo, & certiſſimo gentis
„veſtræ nunc, & in futurum amico optare,
„& expectare poteſtis.

Demum ab eodem Scriptore in præ-
fato ſuo libello profertur Declaratio a Rege
facta cauſſarum, & occaſionum mortis

Admi-

Admiralii, atque aliorum quorumdam eodem cum ipso crimine implicitorum, ejusque a partibus stantium, quæ Lutetiæ vigesima quarta Augusti anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo accidit. Publicis typis hæc declaratio prodiit Lutetiæ apud Joannem Dallierum librarium habitantem in ponte S. Michaelis, ad candidæ rosæ insigne, cum Regis privilegio, item Lugduni apud Michaelem jovem.

Ex Regis mandato.

„Regia Majestas cupiens ab omnibus pro„ceribus, nobilibus, aliisque, qui „sunt sub ejus ditione cognosci causſam, & „occasionem necis Admiralii, & qui cum „illo sentiebant, commissæ nuper Lutetiæ „vigesima quarta die hujus Mensis Augusti, „ne falsæ, & fucatæ causſæ illius facino„ris in medium prodeant, & locum obti„neant. Declarat Regia Majestas, quod „id omne, quod hac in parte accidit, ex„presso suo mandato, atque imperio factum „sit, non propter ullam Religionis causſam, „neque ut edictum ipsius pacificatorium „abrogetur, quod non secus, ac antea post„hac observari, vimque habere ut semper „voluit, sic & nunc vult: sed ut cuidam „conspirationi, quæ facta est ab ipso Admi„ralio, atque ab iis, qui ab ejus stabant „partibus, in Regem, Regisque statum, „Reginam Matrem, Regis Fratres, Regem „Navar-

„Navarrenum, principes, & Dominos, qui „tunc in aula regia erant, obviam iret, „hancque anteverteret, quapropter hac de„claratione, atque hoc præſcripto Regia „Majeſtas omnibus nobilibus, aliisque cu„jusvis ordinis hominibus, qui Religionis, „quam reformatam vocant, cultores ſunt, „palam fieri vult, ſe velle, ſibique cordi „eſſe, ut tuto, & libere manere in ipſorum „domiciliis una cum conjugibus, liberis, „& familiis ſub Regis tutela, præſidio, at„que auctoritate poſſint, ſicut antea iisdem „beneficio, ac edicti pacificatorii præſcri„pto licuit, magnaque cum animi inten„tione omnibus præfectis provinciarum, ac „gubernatoribus civitatum, omniumque or„dinum reliquis juſtitiæ diſpenſatoribus, „ne quid moliantur, neve quid moliri pa„tiantur in caput, fortunas, uxores, libe„ros, familiamque eorum, qui religionem, „ut vocant, reformatam ſectantur, pœna„que capitis iis, qui huic mandato immo„rigeros ſe præbuerint, indicatur, necnon „de iis ſumatur, ut autem obviam eatur „turbis, ſcandalis, ſuſpicionibus, & diffi„dentiis, quæ naſci poſſent ex concioni„bus, conventibusque in nobilium ædibus, „aliisve locis, ut per edictum noſtrum pa„cificatorium licet, haberentur: Regia „Majeſtas ſeveriſſime interdictum vult om„nibus nobilibus, aliisque ſupradictæ Re„ligionis profeſſoribus, ne ulla de cauſſa,

„donec

„donec tranquillitatem regno reſtituerit, „aliterque præſcripſerit, conventus habeant. „Quod ſi ſecus fecerint, inobedientiæ pœ„na, corpore, & fortunis in fiſcum addu„ctis plectantur, præterea ſimili indicta pœ„na prohibitum vult omnibus, qui religio„nis ergo captivos detinent, ne ab illis re„demptionis pretium exigant: ſed nulla „interjecta mora præfectos provinciarum, „& proreges de nomine, & conditione cap„tivorum certiores faciant, quos regia Ma„jeſtas ſolvi, & libertate donari vult: niſi „tamen religionis ergo Duces, aut capi„tanei fuerint, eoque nomine induſtriæ, „conſiliove in rebus bellicis gerendis non „pepercerint, aut ſupradictæ conſpiratio„nis participes fuerint, de quibus ſtatim „moneri vult, quo quid de his fieri ſibi „placeat, mandet. Denique ſtatuit, ne „poſthac adeo quis audax ſit ullum com„prehendere iis de cauſis, quas ſupra com„memoravimus, niſi expreſſo a Regia Ma„jeſtate mandato accepto, ipſiusve vica„riis imperantibus: neque per agros, ruſti„casque domus graſſetur, prædamve in e„quos, equas, boves, pecora, fortunas, „proventus, farra, neque in rem ullam „aliam exerceat, agricolas facto, nequi„dem verbo vexet: ſed ruſticis operibus „incumbentes, agrorumque culturæ invi„gilantes pace, & quiete frui ſinat, pœna „ſupradicta denuntiata. Data Lutetiæ vi-

„geſima

„gesima octava die Augusti anno millesimo „quingentesimo septuagesimo secundo.„

Sequuntur literæ a Rege scriptæ ad Magistratum Bituricensem, quarum idem cum superiori declaratione argumentum.

„Dilecti, & fideles, cum animadverte„rem, periculum esse, ne quidam no„biles, atque alii ex nostris subditis, qui „religionem, quam reformatam vocant, „profitentur, propter Amiralii, hujusque „commilitonum cædem tumultus excitent, „armisque se accingant, otiumque & pa„cem, quam in nostro regno semper anti„quissimam habuimus, evertant, propterea „quod fictæ, & commentitiæ quædam il„lius cædis causæ divulgentur, declara„tionem hanc ad vos mittendam statuimus, „quam primo quoque tempore per tibici„nes, & libellos publice affixos pronun„tiandam, ac divulgandam curabitis, id„que per omnia ditionis vestræ loca, in „quibus ejusmodi proclamationes, & pro„mulgationes fieri solent. Porro licet sem„per in animo habuerimus edictum nostrum „pacificatorium observare: cum tamen „animadvertimus, periculum esse, ne pro„pter illam Amiralii, & eorum, qui cum „illo erant, cædem, tumultus, & sedi„tiones inter subditos nostros exoriantur, „mandamus, ac vobis præscribimus, ut „privatim præcipuis nobilibus, atque iis,

„qui inter illius Religionis cultores primas „obtinent, & ſub veſtra ditione nobis pa„rent, conventibus, & concionibus, quæ „in ipſorum domiciliis, alibive haberi poſ„ſent, interdicatis, idque guo omnis ti„mor, & ſuſpicio, quæ inde ortum habere „poſſet, extinquatur. Qua de re eos etiam, „qui intra urbium mænia vivunt, certio„res, ut faciendum judicabitis, reddatis, „ut ſcilicet hac in parte animi noſtri ſen„tentiam aſſequantur, nobisque pareant: „& in ſuas ſe quisque ædes recipiat, in „quibus, ut per edictum noſtrum pacifica„torium, licet pacifici vitam degant: quam „obrem ſub præſidio, & tutela noſtra con„ſervabuntur. Quod ſi ſecus jam a vobis „moniti fecerint, in eos & irruetis, & ir„ruendum curabitis omnibus cum copiis „tum capitalium rerum præfecti, hujus„que ſatellitum, tum etiam aliis, quas „ſonitu campanæ aliove modo ſigno dato „cogere poteritis, donec in fruſtula ipſo„rum corpora tanquam regii noſtri ſceptri „inimicorum, ſecta ſint. Ceterum licet „mandatum verbo tenus factum per eos, „quos tum ad vos, tum in reliquas noſtri „regni provincias miſimus, acceperitis, „Quod tunc datum fuit, cum juſtam de „quodam ſiniſtro eventu occaſionem timo„ris haberemus, nimirum nobis palam „facto, quod in nos inibat Amiralius, con„ſilio: id, qualecunque ſit, revocavimus, „& re-

„& revocamus, nec ut quidquam exitum „fortiatur, & illi mandato pareatis volu„mus, ſic enim nobis placet. Datæ Lu„teriæ trigeſima die Auguſti anno milleſi„mo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. „Sic ſignatæ erant *Corolus*, & infra *de No„vavilla*, in ipſo judiciali foro lectæ.„

Hæc epiſtola unacum priori declaratione ad Magiſtratum Bituricenſum transmiſſa fuerat: poſtea Auctor alias refert epiſtolas cum hac inſcriptione.

Regis literæ & Schedæ ad comitem de Charnii Burgundiæ præfectum, quibus, quomodo ſe in ſua præfectura gerere debeat, edocetur.

„Rex tumultum nuper hic Lutetiæ exci„tatum conſiderans, in quo Admira„lius Caſtillioneus, & nobiles aliquot, qui „cum ipſo erant, internecioni mandati „ſunt eam obrem, quod neſarie conſpira„verant in Regiam Majeſtatem, Reginam „Matrem, Illuſtriſſimos Regis Fratres, Re„gem Navarrenum, aliosque Principes, & „proceres, qui tunc in aula regia erant, „necnon de regni Gallici ſtatu labefactan„do conſilium inierant: cogitansque acci„dere poſſe, ut religionis, quam reforma„tam vocant, cultores illius tumultus cauſ„ſam ignorantes, animum ad conſilia, & „bellicos apparatus converterent, non ſe-

„cus ac ſuperioribus bellis fecerunt, con-
„jurarentque inter ſe adverſus Regiam Ma-
„jeſtatem, regnique tranquillitatem, ſi ma-
„ture non occurreretur, reique geſtæ veri-
„tas ab ipſo exponeretur, certioresque fie-
„rent nobiles, aliique illius Religionis cul-
„tores, quomodo res illa ſe habuerit, nec-
„non de Regis erga ipſos animo, & con-
„ſilio: cogitans præterea utile fore, maxi-
„meque neceſſarium, ut provinciis præfecti
„illas perluſtrent. His, inquam, de cau-
„ſis jubet Dominum Comitem de Charnii
„primum Galliæ enſiferum, & provinciæ
„Burgundiæ præfectum, civitates, loca-
„que ejus provinciæ omnia adire, ibique
„quam commodiſſime fieri poterit, ratio-
„nem inire, operamque dare, ut omnes
„regiæ Majeſtatis ſubditi, cujuscunque re-
„ligionis ſint, placide, & quiete ſe gerant.
„Quem in finem haud ineptum fuerit, no-
„biles, aliosque, qui religionem illam pro-
„fitentur, blando pellicere ſermone, eo-
„que coram omnibus, aut clam facto, ut
„opus eſſe factu videbitur ad Regis conſi-
„lium, & utilitatem accomodatiſſimo, qui-
„bus veritatem tumultus in hac urbe ex-
„citati palam faciet: fieri namque poſſet,
„ut fuco tinctus, atque ornatus illis ex-
„poſitus fuerit, atque his dicet regiam Ma-
„jeſtatem animadvertiſſe, quod prætextu
„vulneris ab olim Admiralio recepti, qua
„de re juxta id quod optime inſtitutum,

„& præ-

„& præſcriptum erat ſupplicium ſumi vo-
„lebat: Amiralius ille, nobilesque cum
„illo eandem profitentes religionem, qui
„in hac urbe erant, effectum ejus præ-
„ſcripti antevertentes in Regiam Majeſta-
„tem, Reginam Matrem, Illuſtriſſimos Re-
„gis Fratres, Regem Navarrenum, alios-
„que principes, & nobiles, qui tunc cum
„ipſis erant, nec non regni ſtatum, con-
„juraverant, quemadmodum nonnulli, qui
„inter illos primas obtinebant unaque con-
„ſpiraverant, ſcelus a ſe admiſſum agno-
„ſcentes falſi ſunt. Ut igitur huic perver-
„ſo, & pernicioſo conſilio obviam iret Re-
„gia Majeſtas, coacta fuit magno cum ani-
„mi dolore, nulla ratione religionis impel-
„lente, nec ut edictum pacificatorium a
„ſe præſcriptum vim ullam pateretur, per-
„mittere, quod in caput ipſius Amiralii,
„hujusque aſſeclarum vigeſima quarta die
„Auguſti accidit. Nihilominus tamen Re-
„giæ Majeſtatis mens eſt, ut, qui ſupra-
„dictam religionem profitentur, vivere in
„libertate, & pace cum uxoribus, liberis,
„& familiis in ſuis domiciliis poſſint ſub
„ipſius præſidio, & tutela, ſub qua illos
„& conſervabit, conſervandoque curabit,
„ſi, ut Regia Majeſtas optat, morigeros,
„& mites ſe præbuerint, quam ob cauſſam
„vult Comitem de Charnii, offerre, & dare
„tutelæ libellos forma decenti, & ſpecta-
„bili conſcriptos, quorum pacem eſſe vult

„authoritatem, ac si in Regia descripti es-
„sent: ut videlicet illo quasi præsidio tuti,
„atque integri ab omnibus injuriis, & ve-
„xationibus conserventur. Ceteris autem
„Regiæ Majestatis subditis, qui Catholici
„nominantur, cujuscunque generis, & con-
„ditionis sint, severe interdicit, ne quam
„religionis, quam reformatam vocant, cul-
„toribus, illorumve familiis injuriam in-
„ferant, dummodo se placide, & modeste
„in suis sedibus contineant. Quod si qui
„temeritate, & levitate impulsi hoc nostrum
„mandatum transgressi fuerint, libellosque
„illos securitaris infregerint, Regia Maje-
„stas jubet quam citissime, & severissime
„de illis tale exemplum edi, ut reliquis
„sint documento, & magnitudine pœnæ
„alii ab ejusmodi audacia deterreantur.
„Atque hæc vera, & unica ratio est, qua
„Regia Majestas uti potest in illius religio-
„nis cultoribus conservandis, cui sermo-
„nem suum, & promissum adjungit, quo
„se bonum & clementem Principem, &
„horum, atque omnium ad ipsos spectan-
„tium tutorem, & conservatorem fore pol-
„licetur, idque si modeste sub ipsius impe-
„rio adversus hoc nihil tentantes se con-
„tineant. Porro quoniam Regia Majestas
„sæpe compertum habuit, consilia contra
„suam dignitatem ab illius Religionis cul-
„toribus in iis conciombus, & conventi-
„bus in ta fuisse, quos hactenus nobilibus

„in

„in ſuis feudis, ac domiciliis per edictum „pacificatorium habere licuit, idem Comes „de Charnii denuntiabit illis, Regiam Ma„jeſtatem cogitaſſe, nulla re alia Catholi„cos adeo offendi, aut adverſus religionis, „quam reformatam vocant, cultores com„moveri, quam ejusmodi concionibus, at„que conventibus, quorum continuatio cer„tiſſimam novarum turbarum materiam „præberet, his de cauſis regiam Majeſta„tem optare, ut conciones illæ intermit„tantur, donec ſuper hac re aliter ſtatutum „fuerit, debere autem nobiles hac in re „voluntati Regiæ obtemperare; quippe quæ „maxime ad ipſius conſilia, atque inſtituta „accommodata ſit, & ad ſubditos in gra„tiam, & concordiam reducendos, atque „diſſenſiones omnino funditus tollendas. „Verum quandoquidem poſtulatum iſtud „durius fortaſſe ab initio videri poterit, „idem Comes de Charny blandum ſe in hoc „negotio tractando præbebit, illisque ami„ce denuntiari curabit, ne qua inde ſiniſtra „oriatur ſuſpicio, nam Regiæ Majeſtatis „animus eſt ſumma uti ſinceritate cum iis, „qui ſeſe ad ipſius voluntatem accommo„dabunt. Itaque idem Comes quibus pote„rit argumentis illorum animos ad hoc con„ſilium inflectet, confirmans eos parem, „atque Catholicos Regis benevolentiam, „manſuetudinem, ac benignitatem exper„turos. Sed ut Catholici certi ſint, quo-

„modo hac in parte se gerere debeant, &
„ne sibi non prædictum dicant, idem Co-
„mes illis significabit, Regem neque un-
„quam antehac in animo habuisse, neque
„in præsentia propositum illi esse Religio-
„nis, quam reformatam vocant, cultores
„ullis incommodis injuriave afficere, modo
„placide, & modeste illi obsequium præ-
„stent, monebitque Catholicos, quod si
„quam dictæ religionis cultoribus modeste,
„ac submisse se gerentibus injuriam attu-
„lerint, aut adversus securitatis libellos,
„vel a Majestate Regia, vel ab eodem co-
„mite concessos quicquam tentarint, con-
„festim in illos tanquam in contumaces
„animadverterent, idque nulla ipe veniæ
„propositа. Hanc denuntiationem idem
„Comes claris verbis dilucidisque illis pro-
„ponet, severissimeque hoc nostrum man-
„datum curabit: posteaquam vero idem
„Comes benigna oratione, & blandis arti-
„bus, quibus Rex uti mavult, usus fue-
„rit, ut ejus subditos in pace, atque tran-
„quillitate retineat, & securitatis inter ipsos
„rationem aliquam inveniat: qui se regiæ
„Majestati morigeros hac in re præbuerint,
„ab ipsa conservabuntur, & qua ratione
„mitius fieri poterit, tractabuntur. Sin
„autem ex illius religionis cultoribus qui-
„dam reperiantur, qui his admonitionibus
„contemptis pertinaces, & rebelles regiæ
„Majestati se præbuerint, scilicet milites

„con-

„convocando, consilia ineundo, factiones-
„que in ipsam agitando: Comes idem de
„Charny in illos irruet, atque illos dila-
„niabit, priusquam se munire, atque una
„convenire potuerint. Quem in finem quam
„multas maxime poterit copias coget, cum
„ex cataphractorum numero, aliisque or-
„dinariis, & extraordinariis, tum ex alio
„equestrium, & peditum militum genere,
„qui in præsidiis sunt collocati, civibus-
„que Catholicis, & incolis oppidorum, quæ
„in ipsa Burgundiæ præfecturæ continen-
„tur, quibus coactis obsidione cinget eos,
„qui in aliquas ejusdem præfecturæ civi-
„tates se receperint, & munierint, rem-
„que ita geret, ut regia Majestas victo-
„riam obtineat, ejusque authoritas non
„imminuatur. Datum Lutetiæ trigesima
„die Augusti anno millesimo quingentesi-
„mo septuagesimo secundo.„

Demum Author alias Regis literas profert, quibus persuasum reddere nititur, quod Rex tumultuum Auctores plecti jusserit: his autem literis sequentem præfixit inscriptionem.

Literæ a Rege ad Dominum de la Guiche scriptæ, quibus palam fit, Regi in animo esse, animadvertere in omnes, qui aliquo modo rei bellicæ Superioribus turbis præfuerunt.

„Domine de la Guiche, perlatum ad me
„est Matisconi captivos teneri tres

„fratres Dagonnellos, Porcerium, caupo„nem ad insigne fortunæ Moissonerium, „Crispinum, & capitaneum Grisium, qui „inter Burgundos factiosi præcipui haben„tur, & superioribus bellis in Urbe Mati„sconensi occupanda Duces, ac signiferos „se præbuerunt, & in caussa sunt, quod „regio illa tota vastata fuit. Quoniam au„tem intellexi, spem illis libertatis propo„sitam esse redemptionis pretio soluto, quod „nullo modo fieri velim: mando tibi, at„que impero, ut eos in certa, ac fida cu„stodia retineas, ne qua evasionis ansa „illis pateat, spero namque fore, ut multa „per eos scruter, quæ ad meam authori„tatem, & dignitatem tuendam pertinent. „Si qui sint alii Matisconi captivi novæ re„ligionis cultores, dato operam, ut in cu„stodia detineantur, neque permitto eos „redemptione soluta missos fieri; non enim „inter meos subditos pretia pro captivis „redimendis locum habere patiar. Deum „oro, Dominum de la Guiche ut te suo „sancto præsidio tueatur. datæ Lutetiæ de„cima quarta Septembris anno millesimo „quingentesimo septuagesimo secundo.

Sequuntur postea literæ a Rege ad Dominum de Gordes Delphinatum provinciæ præfectum scriptæ, quibus eum certiorem facit, se nullum præstantius ac certius examen eorum, quæ ab ipso acta sunt, require-

quirere, quam quod a religionis cultoribus in illum accuſationes intendantur, & querelæ inſtituantur, quibus reſpondendi curam omnem deponere debeat.

„Domine de Gordes, ex tuis literis pri„mo hujus menſis die ſcriptis cogno„vi, quomodo in adminiſtratione tuæ præ„fecturæ te geſſeris, & quod certior ſis fa„ctus de Amiralii, ejusque aſſeclarum cæ„de, neque credo, te ex eo tempore quic„quam prætermiſiſſe, quod ad ea loca un„de malum aliquod naſci poterat, præſi„diis firmanda, atque ſub tua poteſtate „retinenda pertinere judicaſti. Quo vero „major tua ſit authoritas, mandavi, ut „cohortes Corſicæ, quas in Provinciam mi„ſeram, rurſus in Delphinatum, & præ„fecturam tuam reducantur: qua de re ad „cognatum meum Comitem de Tendes „ſcripſi, qui ſine dubio eas ad te quampri„mum mittet, quandoquidem earum jam „in provincia nullus eſt uſus, mature etiam „te de illarum ad te itinere monebit, ut „ad commeatum, ceterasque res neceſſa„rias comparandas, & ad oppida, in qui„bus præſidii cauſſa diſponentur deſignan„da, ſatis temporis tibi ſuppetat. Quæ ad „me de militum ſtipendio, qui in Delphi„natu perpetui præſidii cauſſa eſſe ſolent, „illis ex anni Superioris rationibus debito „ſcripſiſti, legi: videboque, quisnam ſit „ærarii

„ærarii mei ſtatus, & operam dabo, ut „illis conſulatur. Quod ad pontis Gratia- „nopolitani refectionem attinet, neceſſe eſt „oppidanos una perſpicere, quid ad id opus „pro ſua parte præſtare poſſint: ubi me cer- „tiorem fecerint, efficiam, ut ipſis quoque „conſulatur. Porro quod de cohortibus „Baroni Adreſſio attributis aſcripſiſti, cum „jam ea cauſſa, propter quam eas conſcri- „pſeram, ſublata ſit, mandavi ei, ut eas „ſacramento ſolutas miſſas faciat: itaque „quod de ſtipendio eo nomine procurando „ad me ſcribis, jam ſupervacaneum eſt, „neque minus otioſum eſt attingere ea, „quæ reſponderas ad capita quarumdam „accuſationum, quas in te religionis cul- „tores intenderant: cum mihi, quomodo „te in tua præfectura geras, ſatis ſuperque „notum ſit neque ullum tuæ fidelitatis, „ac integritatis examen, aut teſtimonium „certius expeto, quam illorum adverſus „te criminationes, quamobrem, quantum „ad illam rem attinet, ſecurum te eſſe ju- „beo. Ceterum ſuperioribus diebus ad te „miſi exemplar declarationis factæ a me „de cæde Amiralii, hujusque aſſeclarum, „Reſcripſi, me velle illis meis obſequium „præſtari, cædiumque & rapinarum, ac „depopulationum finem fieri, multis tamen „ex partibus querelæ ad me deferuntur ta- „lia facinora non intermitti: quæ res mihi „non vulgarem affert triſtitiam. Quapro-

„pter

„pter iterum ad te ea de re ſcribere volui, „ut in præfectura tua operam des, nequid „poſthac tale admittatur, neve alii in alios „hoſtiliter graſſentur, & ut illi noſtræ de„clarationi diligentiſſime pareatur, pœnis „in eos, qui non paruerint, ejusmodi con„ſtitutis, ut reliqui exemplo deterreantur: „mihi namque in animo eſt, eos pro ſuis „meritis coercere, atque etiam in eos ju„dices, qui hac in re negligentes, aut cæ„cos ſe præbuerint, diſſimulationeque uſi „fuerint, animadvertere. Ceterum literæ „tuæ quinto hujus menſis die datæ mihi „redditæ ſunt, quibus ſcribis, nullum tibi „a me verbotenus factum mandatum alla„tum eſſe, ſed eas tantum literas, quas „vigeſima ſecunda, vigeſima quarta, & vi„geſima octava die menſis præteriti ad te „dederam: qua de re ſecurum te eſſe ju„beo: nam illa mandata tantum ad quos„dam, qui tunc temporis apud me erant, „pertinebant. Deum autem oro, Domi„num de Gordes ut te ſuo ſancto præſidio „tueatur. Lutetiæ decima quarta Septem„bris anno milleſimo quingenteſimo ſeptua„geſimo ſecundo.„

Literæ a Rege ad Ducem Guiſium Campaniæ, & Briæ præfectum ſcriptæ.

„Cognate, etſi ex ſuperioribus meis lite„ris cognoſcere potuiſti, quantopere „cupiam omnes meos ſubditos cum ex no„bilibus,

„bilibus, tum ex aliis, qui novam profi-
„tentur religionem, & modeſte ſeſe in præ-
„fecturæ tuæ finibus continent, per te con-
„ſervari ſub præſidio, & authoritate mea
„incolumes, neque ullam ipſis aut ipſorum
„fortunis inferri injuriam: tamen certior
„factus ſum in multis regni mei locis, la-
„trocinia, direptiones, ac depopulationes
„fieri in eorum tum ruſticis, tum urbanis
„domiciliis, qui novam religionem ſectan-
„tur, idque prætextu illius tumultus, qui
„vigeſima quarta die Auguſti Lutetiæ con-
„tigit, quo nuntio accepto maxima & gra-
„viſſima ſui moleſtia affectus. quapropter
„Cognate, quia cupis perſpectum mihi
„eſſe tuum erga me ſtudium, & obſervan-
„tiam, te oratum velim, ut ejus rei acer-
„rimam curam ſuſcipias, & ſicut ſuperio-
„ribus diebus tibi & dixi, & ſcribendum
„curavi, tuearis religionis illius cultores,
„qui in tua præfectura placide, & quiete
„ſeſe continent, neque patiaris ullam ipſis,
„vel ipſorum fortunis injuriam fieri, non
„magis, quam ceteris meis ſubditis Catho-
„licis. Quodſi quæ eam illis injuria adver-
„ſus voluntatem meam, quam antea tibi
„expoſui, & nunc tibi expono, allata fue-
„rit: volo ac jubeo, ut in criminis reos
„animadvertas, talesque de illis pœnas
„ſumas, ut ceteri a ſimili audacia deter-
„reantur; cupio enim ubique mihi morem
„geri, atque diligentius, quam hactenus
„meis

„meis mandatis obtemperatum, ac tibi affir-
„mo gratius mihi abs te nuntium afferri
„non posse, quam si cognovero sumptum
„per te supplicium de iis, qui meis man-
„datis non paruerint. Deum oro, Cogna-
„te, ut te suo sancto præsidio tueatur. Lu-
„tetiæ decima octava Septembris anno mil-
„lesimo quingentesimo septuagesimo se-
„cundo.

Postea Scriptor libellum recitat, ex cujus argumento comprobare nititur, quod Rex sua agendi ratione sese patratæ cædis Auctorem declarit: inscriptus autem legitur hic libellus sequenti modo:

Libellus a Rege ad omnes provinciarum Præfectos missus in eum finem, ut omnes, qui religionem professi sunt, publicis muneribus ad justitiam, sive quæsturam, aut rationes pertinentibus amplius non fungantur, iisque priventur, licet religionem abjurare velint. Exceptis tamen iis, quorum functiones ex infimo genere sunt, modo velint religionem juxta hac de repræscriptum, & missum libellum abjurare.

„Rex cogitans eos, qui novam sectantur
„opinionem, & Magistratus gerunt,
„quæsturasve, & tribunatus ærarii sui ex-
„ercent, suspectos, atque odiosos fore suis
„subditis Catholicis, si functiones illas suas
„publicas post motus recenter excitatos ex-
„erceant:

„erceant: quæ res plebi novam tumultuandi occaſionem afferre, novam autem opinionem ſectantibus periculum creare poſſet, licet novam illam opinionem abjurarent, ſanctamque fidem, & religionem Catholicam, & Romanam amplecterentur. Majeſtas ergo regia cupiens incommodis, novisque motibus occurrere, qui propterea exoriri poſſent, optimum factu judicavit, ut Magiſtratus illi, & tribuni „, atque quæſtores ſuis ſe muneribus abdicent, donec aliquid certius hac de re ſtatuat. Interea tamen ii, quibus illæ præfecturæ mandatæ fuerant, dum voluntati regiæ obtemperabunt, ſuisque in domiciliis placide ſeſe continebunt, neque quicquam adverſus ipſius dignitatem molientur, honoraria, & ſtipendia ſua recipient: qui vero præfecturas illas ſuas cuidam Catholico cedere volent, ſi Majeſtatem regiam conveniant, honorifice ab illa excipiantur. Quantum autem ad infimi generis functiones attinet, quæ odioſæ eſſe non ſolent, veluti Notariorum, apparitorum, ceterorumque, quorum non magna eſt auctoritas, neque tantopere ſuſpecti, & odioſi populo ſunt: Majeſtas regia ſtatuit, ut qui ex eorum numero volent abjurare novam illam opinionem, fidemque, & religionem Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam amplecti, colere, & profiteri, libere ſuis illis muneribus fungantur. Alii

„vero,

„vero, qui in nova illa opinione perſevera-
„bunt, functionibus ſe ſuis abdicent, quoad
„aliter per regiam Majeſtatem decretum
„fuerit. Quod idcirco ſtatuitur, ut ea fu-
„giant pericula, in quæ incidere poſſent,
„ſi functiones illas exercerent, propter ſu-
„ſpiciones, & odia Catholicorum adver-
„ſus eos, qui novam opinionem ſectantur.
„Majeſtas tamen regia ſecum reputans ma-
„ximam partem eorum, qui tales infimas
„exercent functiones, non poſſe ſe, & fami-
„liam alere, copiam illis facit cedendi, &
„reſignandi functiones illas ſuas viris Ca-
„tholicis capacibus, & ad eas idoneis:
„quod ſi eam ob rem regiam Majeſtatem
„conveniant, quæſtores, & regiis nationi-
„bus præfectos cum ipſis liberaliter, & be-
„nigne agere jubebit. Hoc ſuum decre-
„tum, voluntatem, atque Magiſtratuum
„abrogationem jubet regia Majeſtas denun-
„tiari functiones illas exercentibus, & no-
„væ opinionisſectatoribus, non modo a ſum-
„mis præfectis, & rectoribus provinciarum,
„verum etiam a Parlamentorum Senatoribus,
„ab iis, qui rationibus præſunt, reliquis-
„que omnibus publicum aliquod munus ge-
„rentibus, ac ſingulos illorum functiones
„publicas exercentium privatim evocatos
„admoneri, ut hac in re ſe ad Regis vo-
„luntatem accommodent. Quod ſi quis eo-
„rum, qui ſummas exercent præfecturas,
„redire vellet in ſinum Eccleſiæ Apoſtoli-

„cæ Romanæ, tum admonebitur gratiſſi-
„mum illud fore Majeſtati regiæ, quæ ni-
„hil antiquius in optatis habet, futurum-
„que, ut hac ratione Rex illis majorem
„habeat fidem, eorumque opera, prout vi-
„tam, ac mores inſtituerint, in poſterum
„utatur: velle tamen interea, ut ſuis mu-
„neribus, ac præfecturis ſe abdicent. Por-
„ro quoniam multis in locis bona eorum,
„qui novam ſectantur opinionem, ſive ab-
„eſſent, ſive latitarent, aut in ſedibus, ac
„domiciliis ſuis ſe continerent, eis aucto-
„ritate regia fuere adempta, licet Rex edi-
„cto ſuo vigeſima octava die Auguſti dato
„ſtatuerit, ut opinionem illam novam ſe-
„ctantes ſuis bonis, & fortunis libere frue-
„rentur: ne tamen anſa dubitandi pateat,
„iterum ſtatuit, ut qui ex illis neque ulti-
„mæ conſpirationis participes fuerint, ne-
„que poſt edictum ultimum pacificatorium,
„ullum adverſus regiam Majeſtatem conſi-
„ſilium inierint, in ſua domicilia, bona-
„que tum mobilia, tum immobilia redu-
„cantur, atque eorum, qui interfecti ſunt,
„viduæ, & hæredes ſuccedere illis poſſint,
„bonorumque poſſeſſionem impetrare. Quem
„in finem jubet omnes Magiſtratus illis ad-
„jumento eſſe, prohibereque, nequis illis
„injuriam afferat, pæna capitis in eos, qui
„non paruerint, conſtituta. Præterea ſta-
„tuit, ut novam opinionem ſectantes nihil
„deinceps adverſus regiam Majeſtatem mo-
„lian-

„liantur, nullamque opem, aut consilium „aliquid molientibus præbeant: quod si „quosdam aliquid moliri sciverint, palam „faciant, atque detegant. Ut autem omnis „dubitandi occasio tollatur, quoniam in illo „edicto vigesima octava die Augusti dato „verba hæc inserta sunt, (nisi tamen ex „eorum numero fuerint, qui superioribus „bellis rei militari præfuerint, opemve, aut „consilium illis præbuerint, aut noviſſimæ „conspirationis conscii, ac participes fue„rint) regia Majestas declarat excludi eos, „qui in superioribus bellis versati sunt, hoc „est ante pacificatorium edictum promul„gatum mense Augusto anni millesimi quin„gentesimi septuagesimi, vetatque, ne cui „ob eam causſam negotium fiat: quoniam „illa verba de iis tantum intelligenda sunt, „qui postremæ conspirationis in regiamMa„jestatem participes fuerunt. Alios autem, „qui forte captivi in carceribus detinentur, „solvi, ac missos fieri jubet. Quod si qui „ex eorum numero religionem Catholicam „Romanam amplecti volent, jubet eos in „hoc sancto instituto, a præfectis, rectori„bus, Magistratibus denique omnibus con„firmari, eorumque affines, ac propinquos „in hunc finem adhiberi, vetatque, ne illis „ulla injuria inferatur. Et ad novam illam „opinionem abjurandam usurpabitur ea „formula, quam edicto subjungi mandavi„mus. Lutetiæ 20. Septemb. 1572.

Huic epistolæ Auctor in suo libello subjunxit literas a Rege ad Guisium, aliosque Provinciarum Præfectos scriptas, quibus omnia pacificationum edicta abolentur, atque subvertuntur, & unicam religionem Romanam Rex se in suo regno retinere velle profitetur.

„Posteaquam Rex animadvertit, neque declarationem, quam promulgavit superiis, quæ superioribus diebus in hac „urbe Lutetiæ acciderunt, neque mandata, quæ quoquo versus misit ad omnium „provinciarum Rectores, & Magistratus, & „Curias Parlamentorum, aliosque juridicos, potuisse usque adhuc inhibere cædes, „direptiones, & rapinas, quæ in maxima „parte urbium hujus regni magno Majestatis suæ cum dolore acciderunt: optimum factu judicavit, Rectores omnes in „suas provincias mittere, sperans, atque „adeo confidens, fore, ut pro sua potesta„te perficiant, ut regiæ Majestati parea„tur. Itaque literas patentes, ac diplo„mata eis dari jussit, quibus voluntas ipsius „continetur. Præterea Dux Guisius, Gu„bernator, & Præfectus Generalis Regis „in Campania, & Bria evocabit ad se No„biles, qui novam opinionem sectantur, iis„que exponet, voluntatem Regis hanc esse, „ut cum ipsos, tum ipsorum conjuges, ac „liberos tueatur, fruique suis bonis, & pos„sessio-

„ſeſſionibus pertmittat: dum tamen ipſi „placide, & modeſte ſe gerant, & regiæ „Majeſtati obſequium, quod ei debent, „præſtent. Quod ſi fecerint, Rex dabit „operam, ne per Magiſtratus, vel alios ve„xentur earum rerum nomine, quæ acci„derunt ſuperioribus Galliæ motibus, hoc „eſt, ante pacem factam menſe Auguſto „1570. Tum illos amice commonefaciet, „ne diutius in errore novarum opinionum „perſeverent, hortabiturque, ut ad Catho„licam religionem revertantur, redeantque „in gratiam cum Eccleſia Apoſtolica Ro„mana, in cujus fide, & obſequio ſuperio„res, eorumque ſubditi ſancte vixerunt, „regnumque hoc diligenter conſervatum „eſt: revocabitque in memoriam detrimen„ta, & calamitates, quæ in hoc regno ac„ciderunt, poſteaquam iſtæ novæ opinio„nes hominum mentes, atque animos oc„cuparunt, quot cædium cauſſam præ„buerint, quam alienarint ſectatores ipſa„rum ab ea via, quam Majores ipſorum te„nuerunt. Quemadmodum illæ opiniones „averterunt ipſos primum ab Eccleſia, de„inde a ſuis propinquis, & a ſervitio, at„que obſequentia Regi debita: cujus rei „multa poſt hunc Regem inauguratum do„cumenta extiterunt. Etſi autem aucto„res, ac principes tumultuum actiones ſuas „tegere, & velare voluerunt prætextu re„ligionis, & conſcientiæ: tamen effecta

„docuerunt, nomen religionis tantum ad „ſpeciem uſurpatum fuiſſe, ut eo prætextu „machinationes omnes, & rebelliones te„gerentur, hominesque ſubornarentur, & „ad jusjurandum adigerentur, tanquam ali„qua religionis cauſſa ſubeſſet: atque his „rationibus abducerentur a naturali obſe„quio, & ſtudio, quod Regi debent. Sa„tis enim conſtat, ſectatores opinionis „novæ regiis mandatis, atque Imperiis „nunquam paruiſſe, niſi quatenus ipſorum „Ducibus, & ſigniferis placuerit. Ex con„trario Duces ipſorum juſſerunt ar„ma capi, urbes occupari, templa ſpoliari, „& comburi, regnumque univerſum ſangui„ne, & incendiis repleri. Qui vero illos „ſectabantur, fidem, & obſequium, quod „Regi debebant, obliviſcebantur, ut illo„rum Ducum mandatis obtemperarent. „Quæ omnia ſi prædicti Nobiles cum ani„mis ſuis reputare velint, facile cognoſcent, „quam miſera, & infelix illorum conditio „futura ſit, ſi diutius in illis opinionibus „permaneant, nam per ſe ipſi cogitare „poſſunt, Regem, qui tot pericula exper„tus eſt, (ex quibus Dei benignitate eſt li„beratus, poſtquam multis incommodis, „& calamitatibus affectus fuit, eorum ope„ra, qui cauſſæ iſtius duces, & ſectatores „fuerunt) nunquam lubenter ejus Nobilis „ſubjecti ſui opera uſurum, qui aliam in re„ligione opinionem præter Catholicam ſe„cta-

„ctabitur, in qua religione Catholica Rex „Majorum ſuorum veſtigia conſequens, vi- „vere, & more ſtatuit. Decrevit præter- „ea diffidentiæ omnis inter ſubjectos ſuos „tollendæ cauſſa, & diſcordiarum omnium „ſedandarum gratia, ut omnes, ac præ- „ſertim Nobiles, quorum opera utitur in „ampliſſimis functionibus, quique cupient „ab ipſo Rege pro bonis, & fidelibus ſub- „jectis agnoſci, gratiamque ipſius inire, & „operam illi ſuam in regni negotiis obeun- „dis navare, profiteantur ſe deinceps unam, „eandemque cum ipſo religionem ſecutu- „ros. Comperit enim, diſcordias, & bella „civilia nunquam finem habitura in ea re- „publica, ubi varietas religionis hærebit, „impoſſibileque eſſe Regi illam religionum „pugnantiam tueri, niſi ſubjectorum ſuo- „rum animos a ſe alienare velit. Quippe „cum ii, qui alterius ſunt religionis ab ea, „quam Rex colit, nihil taciti aliud optent, „niſi Regis, & Reipublicæ mutationem. „His de cauſſis prædictus Dux Guiſius co- „nabitur perſuadere nobilibus, & aliis ho- „noratis viris, ut libenter, atque ultro ad „religionem Catholicam revertantur, & „novam abjurent, neque aliam planiorem „Regis voluntatem exſpectent. Nam quo- „modocunque id fiat, Regi deliberatum eſt, „ſubjectos ſuos cogere ad eandem, quam „ipſe profitetur, religionem colendam: ne- „que unquam permittere (quicquid accide-

„re poſſit) ut alia ſit forma religionis in „ſuo regno, quam Catholica. Idem Dux „Guiſius hæc Regis mandata communica„bit cum ſummis quibusque Magiſtratibus, „& juridicis ſuæ provinciæ, ut intelligant, „cujuſmodi ſit ipſius voluntas, quodque „ipſius ſit ſtudium, nimirum conſervandæ „quietis, & pacis inter ſuos ſubjectos, ut „prædicti Magiſtratus unacum Duce Guiſio „voluntatem Regis exequi ſtudeant, & pa„cem, ac tranquillitatem totius regni pro„curent. Ballivi, & Seneſcalli, qui non „ſunt ejus conditionis, & religionis, quam „Rex præſcribit, abdicabunt ſe intra men„ſem ſuis præfecturis, & officiis, eaque „Nobilibus capacibus, & religionem præ„ſcriptam colentibus cedent, ac reſigna„bunt. Quod ſi huic mandato non paruerint, „regia Majeſtas ex nunc prout exhinc decla„rat illos officiorum, ac præfecturarum ſua„rum expertes. Eadem tamen Majeſtas „permittit illam ceſſionem, & reſignatio„nem fieri ſine ulla in Fiſcum regium lar„gitione: omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi „in ſuis Diæceſibus permanebunt. Qui ve„ro propter ſenectutem, & valetudinem „concionari, & verbum Dei annuntiare, & „per ſe populum ædificare, aliasque fun„ctiones Eccleſiaſticas obire non poterunt, „cogendi ſunt adſciſcere conductorem quem„dam, qui laborem ipſorum ſublevet, & „ipſorum munus obeat, eique conductori

„ido-

„idoneam, ac honeſtam penſionem aſſigna-
„bunt, pro ratione fructuum, & proven-
„tuum ipſius beneficii. Curati, ſive Paro-
„chi ſimiliter in ſuis Parochiis reſidebunt,
„aut eas aſſignabunt aliis, qui reſidere po-
„terunt, & ſuis officiis fungentur. Archi-
„epiſcopi, & Epiſcopi inquirent in eorum
„vitam, qui fruentur Abbatiis, Priorati-
„bus, aliisque beneficiis, quæ in ipſorum
„Diæceſibus ſunt, cujus ſint conditionis,
„quemadmodum officio ſuo in ſuis præſe-
„cturis, & beneficiis fungantur, eamque
„inquiſitionem literis mandabunt, & per-
„ſcriptam Gubernatoribus provinciarum
„tradent, ut illam Majeſtati regiæ trans-
„mittant: ut ſi quo forte remedio opus fue-
„rit, provideat. Cogent Parochos in ſuis
„beneficiis actualiter reſidere, vel alios in
„ipſorum locum ſubſtituent, ſecundum Ca-
„nonum decreta. Datæ Lutetiæ 3. No-
„vemb. 1572.

Ad hujus argumenti confirmationem adducuntur aliæ literæ a des Gorges Præfecto generali regio Delphinatum provinciæ ſcriptæ ad quosdam, qui in ejus præfectura ſunt, quibus illos hortatur, ut ad Romanam religionem redeant, nam Regi deliberatum erat nullam aliam ferre.

„Domine, tuarum actionum non ſum ne-
„ſcius, ſed in memoriam revocare de-

„beres documenta, quæ ad te antea dedi, „& tua ſponte ad Religionem Catholicam „redire, qua nullum fortius propugnacu„lum pro tua ſalute, & conſervatione eli„gere poſſes, abigendo a te omnes, qui in „contrariam ſententiam te adducere vel„lent, & libentius omnis generis motus, „ac perturbationes viderunt, quam de ſua „opinione ne tantillum quidem cederent. „Atque hoc modo Regi patefaceres id de„ſiderium, quo te teneri ais, ut obſequium „ſuæ Majeſtati debitum præſtes, etenim illi „deliberatum eſt alterius Religionis, quam „ſupradictæ, exercitium in ſuo Regno non „tolerare: teque certiorem facio, quoniam „tibi bene cupio, ſi ita feceris, nec aliud „expreſſius mandatum expectaris, tibi ma„ximo fore commodo. Quod ſi ſecus, cre„de, nihil præter malum tibi accidere poſſe, „foreque, ut Regia Majeſtas velit ſibi tan„dem obſequium præſtitum iri. Quare „Deum oro, ut tibi conſilium dare, & ſuas „benedictiones largiri dignetur. Gratia„nopoli 6. Decembris 1572. tibi omni ex „parte bonus amicus. *Gordes.*

Sequitur poſtea reſponſio Nobilium, Capitaneorum, Civium, aliorumque, qui Rupellæ ſunt, ad mandatum de præſidiariis militibus recipiendis Regis nomine allatum.

„Nos nobiles, capitanei, cives, atque „alii, qui in hac urbe Rupella ſumus, „ad

„ad tua Domine Legate poſtulata, quæ „nobis Regiæ Majeſtatis nomine propoſuiſti, „ſic reſpondemus: nimirum non agnoſci a „nobis mandatum illud, quod in hac urbe „promulgari poſtulas, a Regia Majeſtate „datum eſſe, cujus rei teſtem eandem Ma„jeſtatem imploramus, ejusque literas 22. „& 24. die Menſis Auguſti ad nos datas, „Chirographum præterea, & ipſius ma„num, necnon earundem literarum pro„mulgationem in hac urbe factam. Nam „in illis literis Regia Majeſtas omnem no„vorum tumultuum, & cædium Lute„tiæ patratarum culpam in Guiſianam fa„miliam transfert, affirmans ſatis ſibi ne„gotii fuiſſe in arce ſua Lupara, ubi ſeſe „continebat, præſidiis, & corporis ſui cu„ſtodibus firmanda. Neque unquam ad„ducemur ad credendum nefaria illa con„ſilia, & immania facinora in mentem „Regi noſtro venire potuiſſe, tantum abeſt, „ut de ipſius mandato ſint patrata, juxta „id ſcriptum, quod nobis attuliſti, aut „eum adeo improbis uſum conſiliariis, ut „ſibi brachia amputaret, ſacrasque Soro„ris ſuæ nuptias tam multorum nobilium, „& innocentium ſanguine cruentare voluiſ„ſe, adeoque immanis facinoris ignominia „polluere, gentique Franciæ, & Regiæ „Agnationi, quæ ſemper laudem humani„tatis præter ceteras gentes tulit, macu„lam inurere, ac ſcriptoribus argumentum

„hiſtoriæ

„hiſtoriæ tragicæ conſcribendæ præbere:
„cui ſimilis ex omnium ſæculorum memo-
„ria nulla extat, quam denique neque le-
„gere, neque audire poſteri ſine horrore
„poterunt. Quin potius credimus, eos, qui
„auctores in Gallia ſuperiorum turbarum
„fuerunt, huic conſilio Romæ incubuiſſe,
„atque foviſſe, quod tandem Lutetiæ ab
„iisdem ad exitum perductum eſt. Sed quo-
„quo modo ſe res habeat, negamus ex ore
„Regis calidum, & frigidum exire: nega-
„mus illum modo hoc, modo illud pronun-
„tiare, modo album, modo nigrum, unum
„idemque affirmare, cujus rei, ſi iſtud ſcri-
„ptum ex ipſius Auctoritate profectum eſſet,
„argui videretur: cum antea nobis ſcri-
„pſerit, teſtatusque ſit, ſibi in animo eſſe
„edictum ſuum pacificatorium ſanctiſſime
„obſervare: cædes, & trucidationes illas
„magno ſuo cum dolore Guiſianorum vio-
„lentia, & impetu factas eſſe, quibus cum
„ipſe reſiſtere vellet, non potuit. Mox ve-
„ro illud abroget, ſcribatque, cædes, &
„trucidationes illas ſe jubente, atque im-
„perante eſſe factas. Atque hoc nomine,
„nos nobiles, Capitanei, & alii, qui tibi
„hoc reſponſum damus, denuntiamus nos
„paratos eſſe, ſive duello, ſive alio dimi-
„candi genere, Regis noſtri dignitatem ad-
„verſus eos omnes tueri, qui res ſacras
„polluunt, & hujusmodi ſcriptis, & ſer-
„monibus Regiæ Majeſtatis dignitatem, &
„Prin-

„Principum Regii Sanguinis existimatio-
„nem, quantum in ipsis est, dedecorant.
„cujus rei argumento sunt tot strages, quæ
„etiam nunc Lutetiæ, aliisque multis in
„locis fiunt, tot nobilium, mulierum, at-
„que infantium, necnon juvenum studio-
„sorum, qui secunda a Deo Regnorum, &
„rerum publicarum olim futura firmamen-
„ta sunt, trucidationes. adde innumera,
„immania, & barbara facinora, quæ pas-
„sim committuntur. His igitur de causis
„arbitramur, ac judicamus Regiæ Maje-
„stati, & Illustrissimis DD. ejus Fratribus
„vim esse illatam, & Guisianos jam, ut
„sæpius antea tentarunt, regnum velle oc-
„cupare: denique Regiam Majestatem ab
„eisdem Guisianis, qui tumultuosæ, & re-
„bellis plebis Parisiensis opera, & auxilio
„fruuntur, cogi, atque coarctari. Nam
„quod ajunt Admiralium, & reformatæ re-
„ligionis cultores, conjurationem adver-
„sus Regiam Majestatem, hujusque con-
„sanguineos feciſſe, æque magnam mere-
„tur fidem, ac æquitas illa laudem, qua
„(inquam) æquitate tum usi sunt, cum
„conjurationis insimulatos prius supplicio
„affecerunt, quam in ipsorum factum in-
„quirerent; ejus enim rei veritas non a tem-
„pore, quod occulta patefacere dicitur,
„est expectanda, quandoquidem oculis
„cernitur, atque manibus tangitur, neque
„quis-

„quisquam eſt, ne Romanæ quidem Re„ligionis cultor, in quo tantillum modo „humanitatis reſideat, quin hæc eadem „fateatur, pudoreque ſuffuſus capite ince„dat inclinato, atque toto corde, & pleno „ore crudelibus nefarii illius conſilii autho„ribus, & opificibus male & cupiat, & di„cat, qui pacem publicam perturbarunt, „nec magis quam antea ferre potuerunt, „ut hoc miſerum regnum diu otio, & pace „frueretur, quam ſolus Rex, Deo primo „Authore, ſapienter conſtituerat, parique „modo ſancte obſervandam curabat: cujus „fructum omnes magna cum voluptate gu„ſtare cœperant, ſolis pacis adverſariis, at„que huic regno inimicis, Guiſianis ſcili„cet exceptis. Ceterum ubi Regia Maje„ſtas ab ipſorum manibus, & poteſtate li„berata, quænam ſit ſua voluntas, decla„rarit, conabimur hujus mandatis, atque „imperiis obtemperare omnibus in rebus, „in quibus conſcientia noſtra, quæ ſoli Deo „debetur, non violabitur. Alias malumus „terram potius, quam cœlum deſerere, & „& caduca potius, quam cœleſtia domici„lia relinquere, interea obſequentes juri „naturæ, & officio, quod tum Principi „noſtro, ejusque ſceptro, & coronæ, tum „etiam noſtræ, conjugum, ac liberorum „noſtrorum ſaluti debemus, quoad poteri„mus, nobis cavebimus, neque nos in eo-

„rum

„rum poteſtatem dedemus, qui ficto no-
„mine Regis cruenta Guiſianorum man-
„data ad nos deferunt: ut eadem perfidia,
„& crudelitate erga nos utantur, qua nu-
„per erga fratres noſtros, qui apud Re-
„giam Majeſtatem erant, uſi ſunt: quos
„in ipſius ſinu, atque complexu, & veluti
„ſub alis veſtimenti regii trucidarunt, quod
„proditores extranei ſanguine vere Fran-
„cico cruentarunt, cum Regia Majeſtas ſe
„opponere, & nefarios eorum conatus a-
„vertere non poſſet: tantum abeſt, ut jam
„nos tanto itineris intervallo a ſe diſtinctos
„tueri, ac conſervare poſſit juxta animi
„ſententiam, quæ cum nobis ſit cognita,
„ad arma capienda nos incitat, ut ſaluti
„noſtræ conſulamus, & privilegia, quæ
„nobis conceſſit, tueamur, donec nos ad-
„verſus ſuos, & noſtros hoſtes conſervare
„poſſit.„

Hæ ſunt illæ literæ, ex quibus Auctor ſimulatum Caroli Regis animum demonſtrare, ac ipſummetBartholomæanæ cædis Auctorem exſtitiſſe, tanquam luculento argumento oſtendiſſe arbitratur: enimvero mearum partium non eſt, hunc Regem ab hac nota immunem vindicare, aut forte hujus cædis conſcium ad cenſuram vocare; id tamen omnino certum eſt, quod Rex hoſce Calviniſtas, eorumque Anteſignanos non propterea neci dari juſſerit, ut ipſis præ-

prætenſam conſcientiæ libertatem, ac promiſſum Religionis uſum adimere voluerit, ſed ideo, quia indulta hac libertate abutentes Regnum ſeditionibus fædare, Regis vitæ, & auctoritati inſidias ſtruere, ſenſimque armorum potentia, ac tumultuum præſidio ſceptrum ſibi vendicare, necnon Catholicam Religionem penitus evertere moliti ſunt, proin Rex illos non tanquam Calviniſtas, ſed velut rebelles ſubditos, regni proditores, & patriæ, publicæque tranquillitatis everſores, ſæpiusque læſæ Majeſtatis reos promeritis pœnis ad officium redigere decernebat: quis autem ſupremo Principi, jus auctoritatemque denegare audebit, in ejusmodi ſceleratos animadvertendi? ſi Calviniſtis ad tuendam falſam ſuam ſectam privata auctoritate licuit, multa Catholicorum millia trucidare, in Regem, Regnumque conjurare, ipſumque famoſis libellis proſcindere, num Regi, ac legitimo Principi pro conſervanda vera fide, regnique ſalute non licebit publica auctoritate domeſticos ejusmodi hoſtes tot publicorum ſcelerum reos plectere? Nonne luce meridiana clarius eſt, quod Calviniſtæ, priusquam in eos communis hæc pœna fuerat Pariſiis decreta, ſeſe perduellionis, aliorumque graviſſimorum ſcelerum reos fecerint? quis credat, quod ipſi etiam Regum ſuorum, qui apud illas quoque gentes,

tes, quibus nulla eſt Religio, ſancti habentur, ſepulcra evertere, atque omni contumeliarum genere conſpurcare non abhorruerint, & tamen hi Franciſci II. cor, Ludovici XI. Corpus, aliorumque Principum oſſa indigniſſimis modis habuere, atque igne concremarunt. Nunquid omnium Hiſtoricorum teſtimonio, ac ipſa veritatis evidentia patet, quod Franciæ Regnum antehac bello paceque florentiſſimum ab eo tempore, quo Calviniſtæ ex infantilibus ſui Magiſtri cunis prodierant, atque eorum Miniſtri ſeditioſas conciones habere cæperant, immani ſtrage diſcerptum, laceratum, ac tum quinto jam bello civili penitus deformatum fuerit, urbesque & integræ Provinciæ incendiis, rapinis ac cædibus devaſtatæ, & plura centena civium millia ſub ſpecioſo tuendæ reformationis obtentu trucidata fuerint: nec tamen fratrum, civium que ſuorum ſanguine ſatiata erat Calviniſtarum furentium rabies, ſed inſuper Germanos, Danos, Helvetios, Anglos & Batavos, exteros ſectæ factionisque ſuæ ſocios evocabant, ut juncta cum illis opera totum Regnum communi ruinæ involverent: At ne hoc quidem ſatis: inſuper etiam hi rebelles in Regem ſuum conjurare, eidem inſidias ſtruere, arma in eum ſumere, apertam ei vim inferre,

fractisque juratæ fidei legumque repagulis bellum ei indicere, ac inferre attentarunt: quem enim latent Renaudianæ conspirationes, cujus in Regiam familiam conceptæ incentores erant Calviniſtarum Miniſtelli? Nonne hi Franciſcum II. Regem ſuum Amboſiam auffugere compulerunt, atque dum ibidem adverſus eorum furorem aſylum quærebat, urbem obſederunt, ut Regem captum abducere poſſent? quid magis barbarum erat, quam Carolum IX. Meldis intercipere, inſidias ſtruere, atque vim adhibere, adeo, ut cum Lutetiam fugere cogeretur, nonniſi ab Helvetiis juſtam vim iniquæ Calviniſtarum violentiæ opponentibus periculo ſubduci potuerit: nonne perduellionem teſtantur tot urbes Regi ſuo ereptæ, incenſæ, ac ſpoliatæ, totque hoſtiles copiæ adverſus Regem ſuum undique conſcriptæ? Si hæc atrox non eſt proditio, læſæque Majeſtatis crimen, quid demum ſit perduellio, cunctos latere oportet: quid memorem inauditam Calviniſtarum petulantiam, qua toties Franciſci I. & Henrici II. tempore in regnum Regesque ſuos tectas fraudes occultasque machinationes tam periculoſe moliebantur, ut illos pœnarum metu jam tum coercere neceſſe eſſet, irrito licet conatu; hi enim imbellicem Regum pupillo-

pillorum ætatem, & aulam factionibus sciſſam, Reginæque Matris indulgentiam in rem ſuam vertentes, brevi in apertam vim erumpebant, atque incredibili furore, & inſana atrocitate Religionem Catholicam, in qua tamen ipſi, eorumque Majores enutriti erant, inſectabantur, ac paulopoſt, cum tres Caſtillionæos Principes, præter Borbonium ſuæ factionis Duces cernerent, omnes honeſtatis, ac moderationis limites excedebant, adeo, ut præ ceteris Caſpar Colinius Architalaſſus ex præfatis tribus fratribus primogenitus poſt colloquium Poſſiacenſe per ſummam audaciam bis mille centum quinquaginta Catholicorum Templa intentatis etiam minis pro Hugonottis a Regina poſtulare non erubeſceret: poſtea creſcente eorum audacia Pariſinum Templum excitato ingenti tumultu violenter invadebant, ſenſimque eadem furentium barbaries per omnes graſſabatur Provincias, ut merito dici valeat, quod profanationes Pariſiis impune patratæ velut claſſicum ad Univerſalem crudelitatum & rapinarum licentiam eſſe viderentur; mox enim ubique Templa Deo ſacrata, ſummaque Religione hucusque frequentata fuere ſpoliata, everſa, cineribusque ſepulta, vel cultui nuper a quodam hæreſiarcha temere adinvento dicata, pari-

ter ipſæ Chriſti Domini, ſuæque Genetricis, ac Sanctorum imagines pedibus conculcatæ, ac contritæ, ipſaque eorum avaritia profanis ſpoliis nondum ſatiata etiam aurum, argentumve, quod in Dei honorem oblatum erat, in nummos cuſum, campanæ, ceteraque ærea vaſa vel ſtatuæ in bellica tormenta fuſæ, ſacraque omnia profanata, polluta ac contaminata fuerunt; enimvero ipſa Mahometanæ ſuperſtitionis immanitas ad propaganda ſua deliria armis magis ſacrilegis æque ac impiis uti haud potuiſſet: ne vero quicquam ad efferatæ crudelitatis cumulum deeſſet, majorem adhuc rabiem in Sacerdotes & Religioſos effundere certabant; hi enim equorum caudis alligati per plateas paſſim raptabantur, effoſisque oculis, abſciſſis etiam auribus, naribusque tumultuantis populi ludibrio exponebantur, vivis quoque pellis fuit detracta, alii in fervens oleum injecti, alii dum pedum plantis ſoleæ ferreæ clavis impactæ erant, aratrum trahere coacti verberibus laniebantur, donec exanimes corruerent: non pauci vivi ex integro, alii capite tenus ſepeliebantur, in aliorum vero capita toto corpore terræ immerſo globis ludebatur, vel in tonſos Monachorum vertices clavi adigebantur, vel bulliens oleum

affun-

affundebatur: pluribus etiam Calviniſtæ linguam ſub mento extrahebant, vel exſecto ventre ad paſcendos equos avenam injecerunt. Præterea Sacerdotem ad Miſſam accinctum ſacro habitu indutum vi e Templo extrahebant, impoſitoque ad ludibrium probroſo pileo, humerisque haſta, ad portam vigilias agere compellebant: alium jamjam octogenarium fune collo injecto prope nudum ſpineis virgis flagellarunt, & demum glande trajectum ex arbore ſuſpenderunt, non aliam ob culpam, niſi quod hi omnes veræ Religioni firmiter addicti novæ eorum ſectæ nomen dare renuiſſent. Taceo innumera alia hæreticæ crudelitatis ſpecimina, quibus in omnes promiſcue Catholicos, atque ipſas etiam fœminas ac infantes ſæviebant: Sileo, quod ne ipſis quidem mortuis peperceriſt, ſed eorum cineribus in profluentem ſparſis, ipſa etiam ſanctorum Irenæi, Eutropii, Martini, Juliani, Benigni, Franciſci de Paula, Auſonii, Agnani, Hilarii, aliorumque corpora cum ſummo ludibrio aut concremarint, aut profanarint.

Jam vero tanta tamque atrocia in Deum, Regem, Religionem veram, regnumque patrata ſcelera impune tolerare,

nonne maxime impium foret? qua ergo fronte Carolum Regem tanquam crudelem, & Sanguinarium traducere audent, ſi hoſce rebelles, ac ſceleratos debitis pœnis caſtigare ſtatuit, dum ipſi nequaquam a Catholicis provocati aut laceſſiti, ſed ipſimet priores ejusmodi atrocia facinora perpetrarint: non diffiteor, quod fervente eorum ſævitia nonnunquam Catholici immoderato Zelo abrepti etiam in quosdam Calviniſtas ſuam rabiem exercuerint, aſt id nunquam impune fecerunt, ſemper Regum juſſu a Magiſtratibus caſtigati, cur ergo ipſi longe atrociora eorum crimina impune toleranda contendunt? Attamen cetera inaudita ſævitiæ, libidinis atque impudicitiæ exempla recenſere prætermitto, cum paſſim etiam Proteſtantes hiſtorici omnium ſcelerum colluviem, qua Calviniſtæ eo tempore in Francia ſeſe contaminarunt, deteſtentur, atque æternæ execreatione ſepelienda cenſeant.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CLXXIII.

§. 1. Navarræ Regina unacum Filio ſuo ad Franciæ Aulam delata. Pag. 1

§. 2. Navarræ Reginæ obitus. 2

§. 3. Actum de exequendo Calviniſtas trucidandi conſilio. 4

§. 4. Deliberatum hac de re in Senatu. 5

§. 5. Architalaſſus ex Lupara egrediens ſclopeti ictu ſaucius. 7

§. 6. Rex ob hoc facinus vehementem indignationem ſimulans. 9

§. 7. Inane ſtudium pro capiendo Sicario. 10

§. 8. Colinius Regi colloqui efflagitans. 11

§. 9. Rex Colinium inviſens. 12

§. 10. Colinii ſermo ad Regem ibid.

§. 11. Regis reſponſum. 14

§. 12. Calviniſtarum molimina, & Carnutenſis Vicedomini ſententia. 15

§. 13. Guiſii Principes diſcedendi veniam petentes 16

§. 14. Reginæ Matris conſilium de exterminandis omnibus Calviniſtis. 17

§. 15. Proteſtantes Proceres ad Colinium convocandi conſilium. 18

§. 16. Cuncta neceſſaria ad cædem a Guiſio Duce parata. 21
§. 17. Conventus in urbis Prætorio hac ſuper re habitus. 23
§. 18. Rex a Regina Matre ſua ad hujus propoſiti firmitatem animatus. 24
§. 19. Calviniſtarum laniena in die ſancti Bartholomæi inchoata. 26
§. 20. Architalaſſi ædes a Coſſenio, ejuſque militibus vi effractæ. 27
§. 21. Colinius pugione confoſſus, ac per feneſtram dejectus. 29
§. 22. Colinii cadaver male habitum. 30
§. 23. Populus Pariſiis in Calviniſtas concitatus. 32
§. 24. Plures Proceres hac in occaſione trucidati. 33
§. 25. Cædes in Luparenſi Palatio patrata. 35
§. 26. Regis oratio ad Navarræ Regem, & Condæum Principem. 37
§. 27. Navarræ Regis, ac Condæi Principis reſponſum ad Regem. 39
§. 28. Proteſtantes in ſancti Germani ſuburbio latitantes fuga elapſi. 40
§. 29. Continuata hæreticorum ſtrages. 41
§. 30. Petrus Ramus trucidatus. 43
§. 31. Generoſum Nobilis Carducenſis facinus erga ſuum hoſtem. 46
§. 32. Populus Pariſinus refloreſcente Alba Spina ferocior factus. 49
§. 33. Rex hujus facinoris invidiam literis ſuis excuſans. 50
§. 34. Rex Guiſios in exilium amandare a Regina prohibitus. 52
§. 35. Rex in Senatu ſe cædis cauſſam extitiſſe faſſus. 54
§. 36. Regis edictum circa cædem in feſto ſancti Bartholomæi patratam. 58

§. 37.

§. 37. Hugonottæ in variis regni urbibus occiſi. 59
§. 38. Calviniſtæ in Provincia, & Delphinatu benignius habiti. 62
§. 39. Plures Calviniſtæ a Lexovienſi Epiſcopo in ſua Diæceſi mortis ſupplicio erepti. 63
§. 40. Feſta Romæ, & in Hiſpania ob hæreticorum internecionem celebrata. 65
§. 41. Calviniſtæ vita ſuperſtites in varias regiones profugi. 66
§. 42. Continuata Caroli IX. anxietas. 67
§. 43. Caroli IX. monita ad Navarræ Regem, & Condæum Principem. 68
§. 44. Navarræ Regis, & Condæi Principis reſponſum datum. 69
§. 45. Patris Maldonati, ac Roſerii conatus in utroque Principe ad veram fidem revocando. 70
§. 46. Ambo Principes ejurata hæreſi ad veram fidem reverſi. 72
§. 47. Navarri, & Condæi literæ ad Papam. ib.
§. 48. Navarræ Regis edictum pro religione Catholica in ſuis ditionibus reſtauranda. 74
§. 49. Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis obitus. 75
§. 50. Pompeji Belleverii oratio ad Helvetiorum Magiſtratus. 77
§. 51. Carpenterii ſcriptum in eandem rem. 78
§. 52. Balduinus hanc cædem vindicare ab Andegavenſi Duce rogatus, ſed obluctatus. 80
§. 53. Equites Ordinis ſancti Michaalis in Eccleſia Beatæ Virginis congregati. 81
§. 54. Senatus edictum contra Architalaſſum Colinium. 82
§. 55. Bricomotii, & Cavagnii ſupplicium. 84
§. 56. Inchoata Rupellenſis urbis expugnatio. 86
§. 57. Regis edictum pro Proteſtantium ſecuritate promulgatum. 88

§. 58. Rupellenſes auxilia ab Anglis efflagitantes. 89
§. 59. Franciſcus Lanojus Gubernator Rupellas a Rege Deputatus. 90
§. 60. Lanojus a Rupellenſibus indignum in modum exceptus. 91
§. 61. Plures Belgii Urbes ad Oranium Principem deficientes. 93
§. 62. Urſinus Cardinalis Legatus in Franciam a Papa decretus. 94
§. 63. Regis repulſa circa Synodum Tridentinam in Galliis promulgandam. 95
§. 64. Ordo Militaris Equitum S. Mauritii in Sabaudiæ inſtitutus. 97
§. 65. Varia ſtatuta a novo Pontifice ſancita. 98
§. 66. Duo Nepotes in Cardinales nominati. 99
§. 67. Spinoſæ Cardinalis obitus. ibid.
§. 68. Cardinalis Hieronymus de Corrigio mortuus. 101
§. 69. Ferrarienſis Cardinalis extrema. 103
§. 70. Hieronymi Maggii fata. 106
§. 71. Joannis Geneſii de Sepulveda obitus. 111
§. 72. Franciſci Balduini fata. 114
§. 73. Opera ab hoc Scriptore elucubrata. 115
§. 74. Sancti Franciſci Borgiæ mors. 118
§. 75. Pariſienſis Theologicæ Facultatis geſta. 122
§. 76. Lovanienſis Facultatis ſententia in cauſſa Michaelis Baji. 123
§. 77. Baji errores in Pii V. Bulla proſcripti per aliam ſententiam damnati. 126
§. 78. Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſucceſſio. 127
§. 79. Sacrum-Cæſaris obſeſſum. 130
§. 80. Pax a Rege Caiviniſtis indulta. 131
§. 81. Pax Regis edicto confirmata. ibid.
§. 82. Sacri-Cæſarienſis Urbis deditio. 133

§. 83. Variæ expeditiones in Occidania, Delphinatu, & in Aquitania. 134
§. 84. Caſpari Schombergii ſollicitationes apud Electorem Palatinum. 136
§. 85. Alii ex Germanis a Schombergio ſollicitati. 140
§. 86. Commendoni ſtudia in Erneſti Archiducis favorem. 141
§. 87. Hæreticorum molimina de Commendono e Polonia amandando. 144
§. 88. Poloni Andegavenſium Duci magis propitii. 145
§. 89. Præſtitutum Comitiorum tempus, locusque pro futura electione. 147
§. 90. Montluci oratio in comitiis pro futura electione Varſoviæ celebratis. 148
§. 91. Cardinalis Commendonus in comitiis auditus. 150
§. 92. Cæſaris Orator ad alloquium admiſſus. 154
§. 93. Valentinenſis Epiſcopi oratio pro Andegavenſium Duce. 155
§. 94. Hæretici Commendonum excludi a Senatu poſtulantes. 159
§. 95. Hæreticorum poſtulata in comitiis ante electionem propoſita. 160
§. 96. Conventus pro Regis electione habitus. 162
§. 97. Andegavenſis Dux in Poloniæ Regem electus. 165
§. 98. Cracovienſis Evangelicorum Synodus. 167
§. 99. Commendonus in Italiam reverſus. ibid.
§. 100. Poloniæ Legati Pariſios venientes. 168
§. 101. Oratores novum Regem ſalutantes. 169
§. 102. Poloniæ Regis reſponſum hiſce Oratoribus datum. 170
§. 103. Poſtulata circa religionem Poloniæ Regi expoſita. 172

§. 104. Montluci teſtimonium de pollicitatione Polonis facta. 173
§. 105. Oratorum poſtulata a Poloniæ Rege eluſa. 174
§. 106. Juramentum a Poloniæ Rege in Eccleſia Beatæ Virginis nuncupatum. 175
§. 107. Electionis decretum recitatum. 176
§. 108. Poloniæ Rex Lutetiæ Pariſiorum ingreſſus. 177
§. 109. Rambulietus a Rege in Poloniam miſſus. 178
§. 110. Poloniæ Regis diſceſſus. 179
§. 111. Calviniſtarum Legati ex Aquitania, & Occidania ad Regem miſſi, eorumque poſtulata. 180
§. 112. Alia Proteſtantium poſtulata in Delphinatu, & Provincia. 183
§. 113. Milliadenſe conventiculum Calviniſtarum. 184
§. 114. Nova rebellium hæreticorum factio in Galliis. 186
§. 115. Sancti Roſarii Feſtum a Gregorio XIII. inſtitutum. 187
§. 116. Germanorum Collegium Romæ auctum. 188
§. 117. Othonis Truſchelii Cardinalis Auguſtani obitus. ibid.
§. 118. Cardinalis Aldobrandini mors. 191
§. 119. Claudius Gouſta mortuus. 192
§. 120. Michaelis Medinæ extrema. 194
§. 121. Andreæ Maſii fata. 196
§. 122. Hoſpitalii Cancellarii mors. 198
§. 123. Sanctus Carolus Borromæus Mediolanum reverſus. 200
§. 124. Concilium Provinciale III. Mediolani celebratum. 201
§. 125. Carolus a Mediolanenſi Gubernatore vexatus. 203
§. 126. Poloniæ Regis adventus in regnum ſuum. 208
§. 127. Palatinus Cracovienſis ſeſe Regis inaugurationi opponens. 210

§. 128.

§. 128. Tumultus a Proteſtantibus Alenſonii indignatione ſuffultis in Galliis ſuſcitati. 211
§. 129. Proteſtantium reorum nonnulli juſſu Regis in cuſtodiam dati. 213
§. 130. Tumultus in Franciæ regno rurſus a Calviniſtis ſuſcitati. 215
§. 131. Tumultus a Montgomerio in Normania excitati. 216
§. 132. Caroli IX. Regis obitus. ibid.
§. 133. Reginæ Matris ſollicitudo in ſedandis tumultibus. 218
§. 134. Montgomerii Comitis ſupplicium. 219
§. 135. Injurioſus libellus contra Reginam Matrem. 220
§. 136. Henricus III. Pœnitentium ſodalitati inſcriptus. 222
§. 137. Cardinalis Lotharingii obitus. 223

LIBER CLXXIV.

§. 1. Lutheranorum molimina de Græcis ad ſuam ſectam pertrahendis. 226
§. 2. Jeremiæ Patriarchæ ſcriptum contra Lutheranos. 227
§. 3. Pontificis apparatus pro celebrando anni ſequentis Jubilæo. 230
§. 4. Joannis Riccii Cardinalis obitus. 234
§. 5. Antonius de Crequis Cardinalis mortuus. 236
§. 6. Cribellii Cardinalis extrema. 238
§. 7. Aquavivæ Cardinalis deceſſus. 238
§. 8. Antonii Muchii, ſeu Democharis fata. 241
§. 9. Cornelii Muſſii mors. 242
§. 10. Pauli Manutii obitus. 247
§. 11. Joachimi Damerarii interitus. 248
§. 12. Aretius, & Weſtphalus mortui. ibid.
§. 13. Monaſterienſis, Epiſcopi mors. 250

§. 14. Cenſura in Hiſpanam novi Teſtamenti verſionem. 251
§. 15. Renati Benedicti cauſſa continuata circa verſionem Bibliorum. 253
§. 16. Renatus Benedictus ſeſe Facultatis judicio ſubjicere paratus, 254
§. 17. Facultatis reſponſum ad hunc libellum. 256
§. 18. Facultatis decretum de re ad ſummum Pontificem remittenda. 257
§. 19. Facultatis epiſtola ad Pelleveum Cardinalem Romam miſſa. 260
§. 20. Univerſalis Jubilæi feſtivitas Romæ celebrata. 261
§. 21. Collegium Nobilium a Sancto Carolo Borromæo erectum. 262
§. 22. Sancti Caroli epiſtolæ Paſtorales pro jejunio adventus tempore ſervando. 264
§. 23. Sanctus Borromæus Henricum III. e Polonia reducem inviſens. 265
§. 24. Sanctus Carolus pro anni ſacri feſtivitate Romam profectus. 268
§. 25. Sanctus Carolus Romam delatus, atque a Pontifice exceptus. 269
§. 26. Salutaria monita Pontifici a ſancto Carolo propinata. 271
§. 27. Sanctus Borromæus Roma profectus, ac Mediolanum reverſus. 272
§. 28. Congregatio Oratorii Romæ per Pontificis diploma ſtabilita. 274
§. 29. Legatus ad ſedandos tumultus Genuam a Papa decretus. 275
§. 30. Henrici III. Franciæ Regis inauguratio, atque connubium. 278
§. 31. Inſolita hujus Regis pietas. 279
§. 32. Proteſtantium, & Politicorum Deputati ad Aulam delati. 281

§. 33.

§. 33. Horum poſtulata, ac colloquium cum Rege. ibid.
§. 34. Regis reſponſum ad Deputatorum poſtulata. 284
§. 35. Horum Deputatorum adventus ad Rupellenſem urbem, necnon eorum relatio. 286
§. 36. Montbrunius a Catholicis captus, & ſupplicio affectus. 288
§. 37. Alenſonius Dux ab Aula profugus. 289
§. 38. Reginæ Matris profectio ad Alenſonium Ducem. 290
§. 39. Pariſienſes petitam pecuniarum ſummam Regi denegantes. 294
§. 40. Leidenſis, & Duacenſis Univerſitates erectæ. 295
§. 41. Joannis Pauli ab Eccleſia Cardinalis obitus. 297
§. 42. Antonii Bobbæ Cardinalis extrema. 299
§. 43. Simonis Vigorii Narbonenſis Archiepiſcopi fata. 300
§. 44. Mathiæ Flaccii Illyrici interitus. 301
§. 45. Henrici Bullingeri fata. 306
§. 46. Continuata Renati Benedicti cauſſa. 311
§. 47. Renatus Benedictus ſuam verſionem apologia vendicans. 312
§. 48. Pariſinæ Facultatis Theologicæ conatus contra Patris Maldonati Jeſuitæ ſententiam de Conceptione. 315
§. 49. Pariſienſis Epiſcopi ſententia in favorem Maldonati. 317
§. 50. Facultatis oppoſitio contra hanc ſententiam, ejuſque libellus ſupplex ad Senatum. 318
§. 51. Univerſitas ab Epiſcopo excommunicata, illiusque appellatio ad Senatum. 320
§. 52. Sæviſſima peſtis in Italia. 321
§. 53. Mediolanum peſtilentia infectum. 322

§. 54.

§. 54. Sancti Caroli zelus, & charitas graſſante peſtilentia. 323
§. 55. Carolus amicorum ſuorum diſceſſum ſuadentium conſilia rejiciens. 325
§. 56. Continuatum ſancti Caroli ſtudium peſtiferis ſuccurrendi. 327
§. 57. Sanctus Carolus pœnitentis habitu in publicis ſupplicationibus a ſe decretis incedens. 329
§. 58. Sanctus Carolus omnia ſua Diœceſis loca peſte infecta perluſtrans. 332
§. 59. Quarta Mediolanenſis Synodus a ſancto Carolo celebrata. 333
§. 60. Joſias Simler, & Conradus Heresbachius mortui. 337
§. 61. Quintum concordiæ edictum in Calviniſtarum favorem. 340
§. 62. Initium Ligæ, ſeu ſancti fœderis. 340
§. 63. Pariſienſes præ ceteris primi huic fœderi adhærentes. 342
§. 64. Fœdus in Picardia amplo ſucceſſu glorioſum. 343
§. 65. Unionis pacta a fœderatis ſubſcripta 345
§. 66. Fœdus recens auctum. 355
§. 67. Plures Provinciæ huic fœderi adſcriptæ. 356
§. 68. Proteſtantes firmato hoc fœdere territi. 357
§. 69. Bona Eccleſiaſtica in Galliis alienata. 358
§. 70. Papa pro approbando fœdere a ſocietatis Principibus ſollicitatus. 360
§. 71. Generalia Regni comitia Bleſis a Rege indicta. 366
§. 72. Initia Generalium comitiorum. 368
§. 73. Biragi Cancellarii oratio ad eosdem Ordines. 372
§. 74. Ordinum petitio de judicibus a Rege non impediendis. 373

§. 75.

§. 75. Regis responsum ad hæc Ordinum postulata. 374
§. 76. Rex fœderis caput sese declarans. 375
§. 77. Ordinum deliberatio circa Religionis articulos. 376
§. 78. Joannes Bodinus Clericorum sententiæ obluctatus. 377
§. 79. Rex omnem aliam præter religionem Catholicam interdicere rogatus. 379
§. 80. Navarræ Regis, & Condæi Principis Deputati ad comitia. 380
§. 81. Quidam ab Ordinibus ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem Deputati. ibid.
§. 82. Confalonis societas a Gregorio XIII. confirmata. 382
§. 83. Regis Coccini Legatio ad Papam. 383
§. 84. Cervantes Cardinalis mortuus. ibid.
§. 85. Bartholomæi Caranzæ Toletani Archiepiscopi obitus. 385
§. 86. Cornelii Jansenii Gandavensis Episcopi obitus. 396
§. 87. Fata Jacobi Paivæ de Andrada. 399
§. 88. Universitatis Parisiensis sollicitudo. 400
§. 89. Torgavense Lutheranorum conventiculum. 403
§. 90. Ubiquitas humanitatis Christi a Lutheranis explicata. 405
§. 91. Francofordiensis conventus pro concinnanda communi fidei confessione. 406
§. 92. Comitiorum Blesensium continuatio, Clerique petitum de recipienda Tridentina Synodo. 411
§. 93. Trium Ordinum postulata Regi exposita circa religionem. 412
§. 94. Novum pacificationis edictum. 413

§. 95. Articulus de Matrimonio Sacerdotum, & Religioſorum. 415
§. 96. Joannis Morvillerii obitus. 418
§. 97. Catholici ab Angliæ Regina Eliſabetha dire vexati. 419
§. 98. Iſemburgo Comiti Colonienſem Archiepiſcopatum cedenti Gebhardus Truchſeſius ſubrogatus. 420
§. 99. Albertus Auſtriæ Archidux Cardinalium Collegio adſcriptus. 422
§. 100. Pauli Aretii Cardinalis obitus. 423
§. 101. Scipionis Rebibæ fata. 425
§. 102. Innocentii de Monte Cardinalis extrema. 426
§. 103. Petri Daneſii Vaurenſis Epiſcopi mors. 428
§. 104. Ludovici Andreæ Reſendii Dominicani deceſſus. 431
§. 105. Didacus Covarruvias mortuus. 433
§. 106. Continuatum ſancti Caroli ſtudium durante peſtilentia. 435
§. 107. Lites circa Jurisdictionem Eccleſiaſticam rurſus contra ſanctum Carolum motæ. 438
§. 108. Initia Fulienſis Congregationis a Joanne Barriero erectæ. 442
§. 109. Libellus ſupplex a Facultate Regi porrectus contra Calviniſtas. 443
§. 110. Henricus olim Cardinalis in Luſitaniæ Regem proclamatus. 444
§. 111. Continuatum Belgii bellum, ac diploma ad Joannem Auſtriacum a Papa transmiſſum. 446
§. 112. Proteſtantes Amſtellodami recepti, eorumque crudelitates. 447
§. 113. Alenſonii Dux per Deputatos a ſe miſſos Belgii Ordinibus auxilia promittens. 448
§. 114. Belgii Ordines ſuam rebellionem edito diplomate circa religionem excuſantes. 450

§. 115.

§. 115. Religiosi quibusdam Ordinum edictis obluctantes. 452
§. 116. Sectæ suæ libertas Protestantibus per Ordinum edictum indulta. 454
§. 117. Deputati pro vindicando hoc edicto ad Papam ab Ordinibus ablegati. 456
§. 118. Dissidia inter Belgii populos. 457
§. 119. Articuli circa religionem inter Arausionensem Ducem, & Gandavenses initi. 461
§. 120. Joannis Austriaci obitus. 462
§. 121. Alexander Farnesius Parmensis Princeps Joannis Austriaci Successor. 463
§. 122. Religionis negotia in Transylvania. 464
§. 123. Tordense Unitariorum Ministrorum conciliabulum. 465
§. 124. Franciscus Davidis coram Transylvaniæ Principe accusatus. 468
§. 125. Davidis interitus, ejusque opera. 470
§. 126. Concordia cum Protestantibus in Occidania, & Delphinatu inita. 472
§. 127. Reginæ Matris iter in Aquitaniam ad reducendum Navarræ Regem. 473
§. 128. Bellum inter Catholicos, & Protestantes in Avenionensi comitatu. 475
§. 129. Sancitæ concordiæ articulis bello finis impositus. ibid.
§. 130. Cardinales a Gregorio XIII. creati. 478
§. 131. Ludovici Lotharingii Guisii Cardinalis obitus. 480
§. 132. Madrutii Cardinalis Tridentini Episcopi mors. 482
§. 133. Julius de Ruvere Cardinalis mortuus. 485
§. 134. Laurentii Surii Cartusiani fata. 487
§. 135. Nationalis Calviniſtarum Synodus in Galliis in oppido sanctæ fidei celebrata. 488
§. 136. Parisiensis Senatus sententia adversus Natalem Baudinotum Religiosum. 491

§. 137. Continuata Michaelis Baji cauſſa. 493
§. 138. Baji altercationes cum Marnixio Sanct-Aldegondo. 495

LIBER CLXXV.

§. 1. Altercationes redintegratæ circa Pii V. Bullam contra Bajum. 498
§. 2. Gregorii XIII. Bulla pro confirmando Pii V. diplomate contra Bajum. 499
§. 3. Varia pia opera a Gregorio XIII. Pontifice inſtituta. 501
§. 4. Hiberni Catholici præſidio Pontificis erecti. 502
§. 5. Catholici mota ſeditione profligati. 504
§. 6. Ordo ſancti Baſilii a ſummo Pontifice reſtauratus. 506
§. 7. Philippus II. in Luſitaniæ regno ſuffectus. 508
§. 8. Concordiæ pacta inter Fœderatarum Provinciarum Ordines. 510
§. 9. Antverpienſium tumultus ob publicam ſupplicationem. 511
§. 10. Exitus Neracenſis conſultationis. 512
§. 11. Regina Mater in Vaſconiam, Occidaniam, & Delphinatum profecta. 513
§. 12. Franciſci Montmorantii Franciæ Mareſcalli obitus. 514
§. 13. Ordo Equitum ſancti Spiritus a Rege inſtitutus. 517
§. 14. Cleri Gallicani petitio de celebrandis ſuis Comitiis. 520
§. 15. Melodunenſis Synodus, atque Vaſatenſis Epiſcopi oratio ad Regem. 521
§. 16. Regis reſponſum ad Vaſatenſis Epiſcopi orationem. 525
§. 17. Epiſcopi Vaſatenſis reſponſum ad Regis orationem. 528

§. 18.

§. 18. Regis poſtulata ad Clerum Gallicanum. 530
§. 19. Varia ſtatuta in Cleri comitiis promulgata. 533
§. 20. Bricocenſis Epiſcopus ab Ordine Eccleſiaſtico ad Regem deputatus. 535
§. 21. Regis reſponſum ad Bricocenſis Epiſcopi orationem. 538
§. 22. Clerus ſub quibuſdam conditionibus hoc donum gratuitum concedens. 540
§. 23. Regis reſponſum ad haſce Cleri propoſitiones. 541
§. 24. Tumultus ob Cleri repulſam circa ſolvendas decimas Pariſiis exortus. 542
§. 25. Stanislai Hoſii Cardinalis obitus. 543
§. 26. Hujus Cardinalis opera. 548
§. 27. Lomellini Cardinalis mors. 550
§. 28. Franciſcus Pacecus Cardinalis mortuus. 551
§. 29. Epiſtola Paſtoralis ſancti Caroli Borromæi ad ſuum gregem contra Bacchanaliorum abuſus. 553
§. 30. Sancti Caroli edictum adverſus ſpectacula. 554
§. 31. Quinta Mediolanenſis Synodus a ſancto Carolo celebrata. 557
§. 32. Translatio Corporum ſancti Nazarii, aliorumque Sanctorum. 561
§. 33. Nuntius Apoſtolicus ſancti Caroli opera ad Helvetios, & Griſones decretus. 562
§. 34. Mediolanenſis Gubernator ſancti Archipræſulis nomini labem Romæ aſpergere machinatus. 564
§. 35. Sanctus Carolus Romam pergere paratus. 566
§. 36. Sanctus Carolus Romam delatus, atque a Papa exceptus. 567
§. 37. Variæ Gregorii XIII. Papæ conſtitutiones. 569
§. 38. Diſſenſio inter Papam, & Venetos circa viſitationem. 570

§. 39. Toletus Lovanium delatus, ac Pontificis diploma Facultati exhibens. 573
§. 40. Bulla Facultati congregatæ a Toleto exhibita. 576
§. 41. Gregorii XIII. Bulla a Bajo, ceterisque Doctoribus recepta. 578
§. 42. Fidei confessio Toleti jussu a Bajo subscripta. 580
§. 43. Pontificis diploma Bajo traditum. 582
§. 44. Pii V. Bullæ exemplar Bajo traditum. 583
§. 45. Disputatio Reinerium inter, & Bajum circa operum merita. 586
§. 46. Continuata disputatio Baji cum Marnixio. 589
§. 47. Lusitaniæ status propter regni successionem. 591
§. 48. Henricus olim Cardinalis Lusitaniæ Rex mortuus. 592
§. 49. Philippus II. Lusitaniam armis sibi vendicare paratus. 594
§. 50. Conscientiæ casus a Rege Hispano Complutensibus Theologis propositus. 595
§. 51. Antonius Cratensis Prior Scalabi in Regem proclamatus. 597
§. 52. Legatus a Papa ad Philippum Regem decretus pro concordia ineunda. 600
§. 53. Philippi colloquium cum Legato Pacis-Augustæ habitum. 603
§. 54. Antonii molimina suo successu destituta. 605
§. 55. Antonius cæsus, ac Ulyssiponensis urbs a Philippo occupata. 606
§. 56. Novæ Antonii copiæ rursus profligatæ. 607
§. 57. Bragantiæ Dux Philippum invisens, atque ab eo humaniter exceptus. 608
§. 58. Sacerdotes Angli Roma, & Duaco in Angliam profecti. 609
§. 59. Reginæ edictum adversus Catholicos. 611

§. 60.

§. 60. Dracki navigatio circa universum orbem, ejusque reditus in Angliam. 612
§. 61. Anabaptistarum Regnum per Joannem Guilielmum Ruremundannm redintegratum. 614
§. 62. Concordiæ liber a Lutheranis consarcinatus, typisque editus. 616
§. 63. Navarræ Rex redintegrato bello Cadurcum occupans. 617
§. 64. Reliquiæ sancti Georgii Nazianzeni a Pontifice translatæ. 619
§. 65. Sancta Theresia in reformationis suæ negotio plurimum perpessa. 620
§. 66, Carmelitæ Excalceati a mitigatis separati. 622
§. 67. Variæ Constitutipnes Gregorii XIII. Pontificis. 624
§. 68. Grouesbrokii Cardinalis Leodiensis Episcopi obitus. 625
§. 69. Franciſci Alciati Cardinalis mors. 627
§. 70. Moroni Cardinalis extrema. 629
§. 71. Cardinalis de Blanchis mortuus. 634
§. 72. Hieronymi Osorii obitus. 635
§. 73. Petri Emottæ mors. 637
§. 74. Cuneri Petri mors. 633
§. 75. Georgii Ederi fata. 640
§. 76. Laurentii Villavicentii decessus. 641
§. 77. Claudius Gouste mortuus. 642
§. 78. Nicolai Sanderi extrema. 643
§. 79. Emanuelis Tremellii interitus. 646
§. 80. Hieronymi Wolffii obitus. 648
§. 81. Primi Parisinæ Curiæ Præsidis oratio ad Regem. 649
§. 82. Pragmaticæ Sanctionis restauratio a Præside postulata. 651
§. 83. De excutiendo Hispaniæ Regis imperio a fœderatis Belgii Ordinibus actum. 653
§. 84. Continuata sævitia in Anglia contra Catholicos. 656

§. 85.

§. 85. Moſcoviæ Ducis Orator ad Gregorium XIII. Papam ablegatus. 660

§. 86. Poſſevinus Jeſuita Papæ Legatus in Moſcoviam, & Sueciam miſſus. 661

§ 87. Pacis fœdus inter Poloniæ Regem, & Moſcoviæ Ducem. 664

§. 88. Papa Moſcovitarum unioni intentus. 665

§. 89. Supremi Melitenſium Magiſtri diſſidia cum ſui Ordinis Equitibus. 666

§. 90. Senatus in ſupremum Magiſtrum exurgens. 667

§. 91. Nuntius a Papa Melitam hac in cauſſa decretus. 670

§. 92. Supremus Magiſter Romam delatus, atque a Pontifice perbenigne exceptus. 672

§. 93. Romageſio mortuo ceteri Equites ad Magiſtri obſequium reverſi. 675

§. 94. Supremus Melitenſis Ordinis Magiſter Romæ mortuus. 676

§. 95. Tres Equites a Papa nominati, ut ex iis unus eligeretur. 677



S. Carolus peste laborantibus assistit.

Klauber sc. Aug.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXXIII.

GREGORIUS XIII. PONTIFEX MAXIMUS, MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Navarræ Regina unacum Filio suo ad Franciæ Aulam delata.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Cum interea Romana Curia variis motibus, qui semper ad novorum Pontificum electiones subsequi solent

Thu. l. 51. p. 788.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

lent (*) agitaretur, Franciæ Aula tragicum ſpectaculum, cujus mentio absque horrore fieri nequit, adornare parabat; cum enim Rex pacem cum Calviniſtis magis, magisque firmam reddere ſe ſimularet, Navarræ Reginam invitabat, ut ad eum Pariſios veniret, & nuptias inter Margaritam Regis Sororem, & Navarræ Principem propoſitas ad exitum deducere curaret: itaque Navarræ Regina iter aggreditur, inſtante Rege, qui, ut ſua conſilia felicius tegeret, ipſus Bleſas uſque obviam proceſſit, eamque multis amicitiæ ſignis excepit. Paulo poſt Reginam Matrem ſuam ſequebatur Navarrus Princeps, qui unacum Condæo Principe, Comite Rupifacaldio, & Nobilium quamplurimis Bleſas venit, ubi de connubii iſtius rebus actum eſt, omnesque articuli mutuo conſenſu firmati die undecima Aprilis rati habebantur.

Mem. de l'Etoile tom. 1. p. 20.

§. II.

Navarræ Reginæ obitus.

Per-

(*) Quinam autem fuerint hi motus, Continuator indicare non audet, cum omnes Scriptores ſaltem poſt hanc electionem cuncta in ſumma pace, ac gaudio fuiſſe tranſacta memorent.

Peracto hoc negotio Navarræ Regina pauliſper Bleſis ſubſiſtens die decima quarta Maji Lutetiam Pariſiorum venit, ut ibidem ea, quæ nuptiarum celebrationi neceſſaria erant, pararet, porro eadem ſibi hoſpitium delegit in ædibus Caroli Gillarii Carnutum Epiſcopi, qui jam Proteſtantium doctrinam propalam amplectebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Thuan. l. c. Mezeray abrege chr. tom. 5. p. 237. Dupleix hiſt. de France t. 3. p. 783.

Verum ibidem die decima proximi Menſis Junii anno ætatis ſuæ quadrageſimo quarto vivis exceſſit, ac teſtamento cavit, ut abſque ulla funebri pompa in eodem tumulo, ubi Henricus ejus Pater erat reconditus, terræ mandaretur: inſuper Filio ſuo injunxit, ut eandem fidem, in qua eſſet enutritus, conſtanter profiteretur, eaque decreta, quæ ipſa Bearni, atque in inferiori Normania promulgari jufſerat, immote ſervanda curaret, ac ſingulari cura Catharinæ Sorori ſuæ invigilaret: præterea eundem ſuum Filium, qui poſtea Navarræ Regis titulum ſibi vendicabat, hæredem dixit, Regemque, Reginam Matrem ſuam, necnon Andegavenſem, & Alenſonium Duces rogavit, ut hunc Principem, ejusque Sororem ſuo foverent præſidio, eisque ſectam ſuam profitendi libertatem indulgerent. Tandem Borbonium Cardinalem, & Colinium Admiralem nominabat, qui poſtremæ

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

ſtremæ ſuæ voluntatis juſſa exequerentur.

§. III.

Actum de exequendo Calviniſtas trucidandi conſilio.

Eo tempore Colinius ſuo exitio eo proximius accedebat, quo minus quicquam adverſi ſuſpicabatur, utpote haud obſcuris amicitiæ, & benevolentiæ ſignis honoratus: hinc incaſſum etiam illum ejus amici hortabantur, ne ſpecioſis hiſce blanditiis nimium fideret: ipſe tamen inter ipſius periculi ſibi imminentis inſidias malum omnino proximum eſſe nequidem levi ſuſpicione aſſequebatur, unice intentus, ut Franciæ Regem ad bellum Hiſpanis palam denuntiandum ſollicitaret, oppido incurius, quatenus propriæ ſuæ ſecuritati proſpiceret: quinimo nequidem infirmæ rationes, quas Rex validis ejus cauſſis hoc bellum ſuadentibus oppoſuerat, illius tranquillitatem imminuebant: porro abſolutis nuptiarum ſolemniis, quæ inter Navarræ Regem, & Margaritam Franciæ Regis Filiam Pariſiis die decima tertia Auguſti hoc anno in Eccleſia ad Beatam Virginem celebrabantur, Carolus IX. Calviniſtarum excidium maturare feſtinabat, ac propterea ſatellitum agmina ad urbem convoca-

vocabat, quæsito obtentu, quod Guisios, ne seditionem molirentur, continere pararet; ast his copiis vix Parisios delatis mox primæ eo tendebant curæ, ut de opportunis infestum, ac diu agitatum consilium exequendi mediis ageretur, ac Protestantium fæx ex universo Regno penitus exterminaretur. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. IV.

Deliberatum hac de in re in Senatu.

Variæ erant opinantium sententiæ in secretiori Senatu, qui præsente ipso Rege inter Reginam Matrem, Andegavensem Ducem, aliosque exploratæ fidei Viros hac de re habebatur: quippe nonnulli ita perorabant: „præprimis „e medio tollendus est Colinius; hoc „enim unicum erit medium, cujus ope „cuncti Protestantes eliminari poterunt, „nam dum hi ipsius necem a Guisiis „fuisse paratam credent, abs dubio „mox ad arma convolabunt, eo facilius „opprimendi, quo numero potentiores „sunt Catholici: si vero huic consilio „optatus deesset successus, saltem pro„brum hujus facinoris, ex quo Rex „haud parum utilitatis capiet, in Gui„sianæ Familiæ Viros rejicietur, iique „facile ad officium redigi poterunt, ut„pote æmulis destituti; de Protestanti-

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

„bus vero Principibus, quos Rex suæ „potestati subjectos habet, minime „dubitandum, quin Rex illos, quam„primum perversis consiliariis sese orba„tos cernent, a suis erroribus aver„tere, atque ad veram Religionem, & „pristinum obsequium revocare possit.„

Hæc coram Rege proponebantur: ast in Reginæ Matris Senatu res potentius urgebatur, atque Senatores hunc in modum pronuntiabant: „Non modo „Montmorentius, & Architalassus e me„dio tollantur, sed etiam Guisii Prin„cipes, quibus Regina tanquam gravi„ter, & multiplici a se olim offensione „læsis, nequaquam fidere, aut parce„re debet, occasione capta trucidentur; „si enim Protestantes Colinii mortem „ultum irent, ipsi una, & Momoran„tii, tanquam in eo conflictu viribus „inferiores a plebe opprimentur: inter„ea vero Rex contracto ad Luparam „milite numeroso, quem penes se ha„beat, tanquam spectator otiosus persi„stere poterit: demum vero cædendo „fractos, ac debilitatos ipse etiam post „rem confectam, perinde acsi sine jussu „suo, & per seditionem arma sumpsis„sent, occasione inde sumpta eos inva„det, atque ad unum omnes, unaque „proceres tanquam his, aut aliis ad„dictos interfici jubebit.„

§. V.

§. V.

Sæcul. XVI. A.C.1572.

Architalaſſus ex Lupara egrediens ſclopeti ictu ſaucius.

Huic cruento conſilio, quod tum agitabatur, feria ſexta vigeſima ſecunda Auguſti die datum eſt initium; eadem enim die Colinius Regem, qui ex ſacello prope Luparam exibat, uſque ad Sphæriſterium comitabatur, cum autem inde ad domum ſuam in Beliſiana platea ſitam unacum duodecim, aut quindecim Nobilibus reverteretur, ac monaſterium Sancti Germani Antiſſiodorenſis lento admodum pede pertranſiret, ac quemdam libellum ſupplicem forte ſibi porrectum perlegeret, ſclopeti ictu petebatur ex feneſtra illius domus, quam Petrus Pila Villemurius Canonicus, ac quondam Guiſii Ducis Moderator incolebat. Hic Sicarius erat Nicolaus Luvierus Morevellius Briaoriundus, Vir audax, & vindictæ cupidus, qui olim Guiſii Ducis Ephebus ob Valdræi Moji necem ſeſe celebrem reddebat: porro ex tribus globis, quibus ſclopetum erat oneratum, unus dexteræ indicem Architalaſſo abſtulit, alter vero in brachium ſiniſtrum prope cubitum vulnere magis violento penetravit, ubi mox Colinius nihil vultu turbatus dicebat: „hunc fructum repor-

Thu. l. 52. p. 816. Hiſt. de la Monarch. Franc. par Marcell. t. 4. p. 669. entre les preuves.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

„tavi ex mea cum Guiſio Duce recon-
„ciliatione:„ inſuper eodem tempore ædes, undeglobi evolarunt, indicabat: igitur confeſtim facto in hanc domum impetu, refractisque foribus, cunctisque locis ſedulo perluſtratis ſclopetum reperiunt unacum ancilla, ac puero curſore, qui ibi mox captivi vinciuntur, Sicarius vero ſtatim per poſticum equo conſcenſo ad Antonianam portam pervolavit, ubi mutato equo, & alio ad id deſtinato rurſus conſcenſo aufugerat: Colinius vero Regi, quid actum eſſet, ſignificari vulnusque ſuum curari juſſit, ac demum ad ſuum palatium, quod ſat vicinum erat, Guerchio, & cuidam Nobili innixus pedes pervenit: porro cum in itinere moneretur a quibuſdam ex ſuo comitatu, ut attenderet, ne globuli illi, quibus vulneratus erat, venenati eſſent, reſpondit, nihil eventurum, niſi quod Deus decreviſſet.

Ceterum Rex Navarrus, Condæus Princeps, & Rupifacaldius Comes præter alios Proceres Calviniſtas de hoc facto certiores facti quantocius Architalaſſum adeunt, Ambroſius autem Paræus Regius Chirurgus eo accerſitus digitum amputabat, ac ſiniſtrum brachium in duabus partibus, quas globi læſerant, ſæpius incidere cogebatur.

§. VI.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. VI.

Rex ob hoc facinus vehementem indignationem simulans.

Adhucdum Rex pila ludebat, dum hujus facinioris nuntium acceperat, moxque vehementem indignationem simulans reticulum in terram projecit, atque ira commotus dixit: „ergone nunquam quiescere potero, semperque novæ indies turbæ?„ postea Sphæristerio excedens Lugaram secessit, palam professus, quod tanti sceleris auctorem severe punire vellet: insuper Guisium Ducem capi jussit, qui tamen jamjam fuga evaserat: interea Navarrus Rex, & Condæus Princeps de facti indignitate querentes ad Regem contendunt, petuntque, ut nunc, quando sibi, ac suis Lutetiæ secure subsistere non permitteretur, saltem cum bona ipsius gratia eis liceat discedere. Ad hæc Rex adhibitis vehementioribus, quam antea, diris fidem suam obstringit, se de percussore, auctoribus, fautoribus, ac consciis eas pænas sumpturum, quæ Colinio, ejusque amicis satisfacerent, ac ceteris in posterum exemplo forent futuræ: id vero, quod factum est, tam sibi displicere ajebat, quam cui maxime, sed quando id infectum fieri non possit, de remedio se accurate cogitaturum, facturumque spopondit, ut omnes intelligant, vulnus Colinio

Thu. l. 52. p. 811.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

quidem esse inflictum, intimum autem ejus sensum ad Regem pertinere: porro ejus rei ut ipsimet testes sint, neve Lutetia excedant, Navarrum, & Condæum rogabat. Mox etiam dicentem excipiebat Catharina, quæ aderat, & Regi, non Colinio factam injuriam testabatur, eoque tandem evasuram esse licentiam augurabatur, ut ipsum aliquando Luparæ in suo Palatio aggredi audeant, si hoc impunitum facinus relinquatur: itaque suadebat, ut omnes capesserentur rationes tanti sceleris acerrime vindicandi. His verbis indignabunde prolatis placabantur utcunque Navarræ Rex, & Condæus Princeps, qui nihil simulate agi credebant, ita, ut de discessu ex urbe nullum amplius verbum facerent.

§. VII.

Inane studium pro capiendo Sicario.

Postmodum Rex illico in Sicarium, cujus nomen adhuc ignorabatur, inquiri jussit, deditque Parisiensi Prætori negotium, ut ubique Satellites ad Andegavensis jussa paratos disponeret, cunctasque urbis portas occluderet, exceptis duabus, per quas annona inferebatur, eas tamen Rex valido custode muniri præcepit: postea Christophorus Thuanus, Bernardus Prevotius Morsanus

nus Curiæ Præsides, & Jacobus Viola Senator, ancillam, & puerum in Villemurii absentis ædibus captos seorsim interrogabant, & ambo fatebantur, quod ante paucos dies Villerius Challius Guisianorum Principum cliens ad Villemurii ædes militem quemdam adduxisset, cujus tamen nomen se ignorare dicebant: ergo Challius mox comprehendi jubetur, nullibi tamen reperitur: hinc Rex perscribebat ad omnes Provinciarum Præfectos literas, quibus factum detestabatur, significans, sibi summopere hoc facinus displicere, ac brevi fore, ut tanti criminis exstet apud omnes severissimum exemplum. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. VIII.

Colinius Regi colloqui efflagitans.

Fervente hoc tumultu Architalassus mira animi tranquillitate potiebatur, quem etiam Damvilla, Cossæus, & Villarius Marescalli invisebant, illisque cum eo de funesto hoc fato differentibus reposuit: „vero ex animo vobis affirmo, „nihil me mors terret, hinc si spiritum, „quem a Deo accepi, ipse a me re„poscet, eum libentissime illi reddere „paratus sum, sed magnopere exopta„rem, ut antequam e vita demigrem, „mihi alloquendi Regem facultas detur, „nam habeo quædam ad ipsum, ac re-

Thu. l. 52. p. 812. Hist. Monarch. l. c. p. 572.

„gni

Sæcul. XVI A.C. 1572.

„gni salutem, & dignitatem pertinen-
„tia, quæ, certo scio, nemo vestrum
„auderet ad illum deferre.„

§. IX.

Rex Colinium invisens.

Mox igitur Damvilla hac de re certiorem reddidit Regem, qui etiam paulo post Colinium visum ibat, comitantibus eum Regina Matre sua, Andegavensi, & Alensonio Ducibus, necnon Cardinale Borbonio, Montpensierio, & Nivernio Ducibus, pluribusque aliis præcipuæ nobilitatis viris: porro adventante Rege, ceteri omnes, qui in Architalassi cubiculo erant, discedere jubebantur, exceptis Telinio, ejusque conjuge, illoque domestico, qui infirmo adstiterat:

§. X.

Colinii sermo ad Regem.

Paulo post Architalassus Regem his verbis alloquebatur: „Testis est mi-
„hi Deus, ad cujus tribunal jam sisti
„videor, quod ego, quamdiu vixi, fi-
„dissimus semper erga Majestatem tu-
„am, & addictissimus fuerim, hinc per-
„petuo, & ex animo optavi, ut quam
„florentissimum, ac quietissimum reg-
„num diutissime obtineres: attamen non
„ignoro, haud defuisse, qui me prodi-
„torem, ac perduellem, & regni tui
„perturbatorem appellarent: sed con-
„fido

„fido Deum aliquando inter me, & il- Sæcul. XVI.
„los disceptatorem futurum, apud quem A C. 1572.
„paratissimus sum, si ejus voluntas fe-
„rat, ut e vita demigrem, illius meæ
„erga te fidei, & observantiæ ratio-
„nem reddere: porro cum a Rege Hen-
„rico parente tuo multis, ac permagnis
„honoribus cumulatus sim, quos Ma-
„jestas tua mihi confirmare dignata est,
„non possum pro fide, ac studio, quo
„res tuas prosequor, non suppliciter a
„te petere, ne tam præclaram rei bene
„gerendæoccasionem prætermittas,præ-
„sertim cum jam res non sit integra, ac
„multa tui in Belgicum negotium animi
„documenta, & quasi pignora extent,
„ut tunc, si res inchoata relinquatur,
„maximum regno tuo periculum impen-
„deat: an non enim infamia vix audita
„est, quod verbum in tuo sanctiore con-
„silio proferri non possit, quin continuo
„fere, antequam prolatum sit, nuntius
„ad Albanum Ducem excurrat? an non
„indignissimum est, amplius trecentos
„vel nobiles, vel egregios milites præ-
„lio Genlisiano captos, vel strangulatos,
„vel alio supplicii genere crudeliter Al-
„bani Ducis jussu affectos? interim ta-
„men video hæc in aula pro ludibrio, &
„jocandi, ac ridendi materia haberi:
„tertium, de quo cum tua Majestate
„agere cupiebam, est pacificatorii edicti
„con-

Sæcul. XVI. A. C. 1572

„contemptus, ab iis, qui jurisdictioni „præsunt, profectus, qui fidem a te da- „tam gravissime quotidie violant, cujus „fidei, ac jurisjurandi etiam exteri „Principes testes sunt: nihilominus, „ut sæpe Majestatem, & Reginam „Matrem tuam monui, non aliam „certiorem pacis, otii, ac tranquilli- „tatis publicæ tuendæ rationem exisi- „mo, quam si edicta religiose, ac seve- „re serventur, sed illa usque adeo con- „temnuntur, ut nuper die duodecima „ejusdem Mensis Augustobonæ Tricas- „sium in Uxoris Condæi Principis clien- „tes impetus sit factus, insuper cum „illa ex edicti formula Villam nomine „Insulam delegisset, in qua religio no- „va coleretur, nuper tamen quidam „interfecti sunt, cum ex concione in illo „habitu domum reverterentur.

§. XI.

Regis responsum.

Ad hæc Rex Architalasso Colinio hunc in modum reposuit: „habeo te mi „Princeps, quemadmodum sæpe jam „sum testatus, pro viro forti, ac fideli, „& meæ dignitatis studiosissimo: deni- „que unum te ex summis, ac fortissi- „mis mei Regni Belliducibus judico, „nec si aliam de te opinionem concepis- „sem, ea, quæ jam tua gratia ipsius pere- gi,

„gi, facere voluiſſem: porro quantum „ad edictum a me nuper factum ſpe- „ctat, optavi ſemper, optoque etiam, „ut illud diligentiſſime ſervetur, ob id- „que viros ad id delectos, qui in eam rem „incumbant, per provincias mittendos „curavi, qui ſi tibi ſuſpecti erunt, alii in „eorum locum mittentur. His dictis, ut „ſermonem abrumperet, ſubjecit Rex, vi- „deo te, mi pater, contentius loqui: porro „ea contentio tibi, & vulneribus office- „re poterit; hinc ea res mihi curæ erit, „rurſusque nomen Dei dejerans, tibi „confirmo, me injuriam hanc uti mihi „illatam, in facti auctores ſeveriſſime „ulturum.„ Ad hæc Colinius repoſuit: „non magnopere requirendus eſt facino- „ris auctor, nec dubia valde ſunt indicia, „ſed ſatis eſt, quod Majeſtas ſe mihi jus „reddituram tam benigne pollicita ſit, „hinc eo nomine, quam demiſſiſſimis ver- „bis poſſum, Majeſtati tuæ gratias ago.„ Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XII.

Calviniſtarum molimina, & Carnutenſis Vicedomini ſententia.

Poſtquam Rex unacum illis, qui eum comitabantur, diſceſſerat, mox Calviniſtæ Proceres habito conſilio deliberare cæperant, ubi Carnutenſis Vicedominus ita perorabat: „nulla cau- „tella noſtræ ſecuritati proſpectum „erit, *Thu. l. 52. p. 813.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

„erit, nec blandis Aulæ verbis fide„dum nobis est: perspectum enim ha„beo, quod plures Catholicæ Religio„nis fautores Calviniſtis, qui in Navar„ræ Regis nuptiis e Templo Beatæ Vir„ginis, ne sacro interesse cogerentur, „excesserant, dixerint, hanc anxieta„tem brevi sublatum iri, ac fore, ut „Calviniſtæ intra paucos dies Missam „audirent: insuper emissarii nostri re„tulerunt, se a Caroli Gondii Regii „Vestiarii famulis percepisse, in hisce „nuptiis plus sanguinis, quam vini ef„fusum iri, hancque tragediam a Coli„nii vulnere inchoatam brevi cetero„rum internecione esse absolvendam: „eapropter vobis consulo, ut nulla mo„ra omnes Parisiis excedatis.„ Hæc Carnutensis Vicedominus prudenti sane consilio suadebat: verum illius executioni obstitit Telinius.

§. XIII.

Guisii Principes discedendi veniam petentes.

Hist. Monarch. p. 575.

Altera die rumor per urbem volabat, quod Calviniſtæ in Guisios Duces acerba quævis minitarentur, eapropter hi unacum Aumulio Duce Regem adeunt, eique præsentibus adhuc pluribus aliis hæc exponunt: „haud obscu„re colligimus, nostra regiæ Majestati „obse-

„obsequia jam aliquo abhinc tempore „minus accepta esse, hinc petimus, ut „Aula excedere nobis liceat „ His Rex commotiorem animum simulans respondit: „quandocunque vobis placuerit, „abire poteritis: si vero insultus in Ar„chitalassum attentati reos vos depre„hendero, facile vos reperire potero.„ Accepto hoc responso ipsi valido comitatu stipati, equisque vecti discedere parabant, quamvis illi ex Parisina urbe nequidem excesserint. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. XIV.

Reginæ Matris consilium de exterminandis omnibus Calvinistis.

Post prandium Regina Mater Regem, Andegavensem, & Nivernium Ducem, Tavannium, & Rhetium Comitem ad hortum suum, qui vulgo *Tegularius* dicitur, secum educit, atque hæc exponit: „ capti jam tenentur illi, qui„bus jam diu insidiæ fuerunt structæ, „& quidem Architalassus utroque bra„chio saucius lecto affigitur, neque mo„vere se potest: Navarrus autem, & „Condæus Princeps hospitio in arce Lu„para excepti sunt, ac de noctu portæ il„lorum clauduntur, ac ibi excubiæ lo„cantur, ne inde fugere illinc compre„hensi possint: porro ita Ducibus captis „non est metuendum, ne qui deinceps ex „reli- *Hist. de Matthieu l. 6. Mem. de Tavannes.*

Sæcul. XVI. A C 1572.

„reliquis tumultuentur: præclara igi„tur rei gerendæ facultas datur, nam „unius horulæ ſpatio Calviniſtæ omnes „e medio tolli, ſtirpsque, ac nomen „hoſtium, horumque impiorum homi„num deleri poterit: niſi autem Rex „hac opportunitate temporis utatur, non „eſt dubitandum, quin tunc, ſi Archita„laſſus, ſicuti chirugiſpem eidem faciunt, „valetudinem recuperet, tota Gallia „quarto civili bello propediem exardeſ„cat, quod prioribus longe crudelius „erit: nunc ergo populo alias jam ſatis „commoto fræna laxanda, nec voluntа„ti Dei, qui moderata conſilia exitum „non habere voluit, reluctandum eſt: „porro poſt rem confectam non deerunt „rationes, quibus factum excuſetur o„mni culpa in Guiſios, quam illi invi„diam libenter ſuſtinebunt, rejecta.„

Placuit omnibus Reginæ Matris conſilium, ſimulque illud exequi decretum; Navarræ tamen Regem periculo eſſe ſubducendum communis omnium erat opinio propter regiam dignitatem, & affinitatem nuper contractam: de Condæo autem Principe major erat contentio, nihilominus hujus Principis dignitas, ac juvenilis ætas, necnon Ludovici Gonzagæ Nivernii Ducis auctoritas prævaluere illorum ſententiæ, qui hujus quoque Principis exitium machi-

na-

nabantur; Gonzaga enim Nivernius, cum eundem a cæde eximi percuperet, affirmabat, quod is in Regis fide, & obsequio constantissimus sit futurus, atque ipse hujus promissi sponsor existat, imo spes affulgeat, juvenem hunc Principem vel promissis, vel minis adactum hæresin abjuraturum. Igitur ab omnibus decretum, ut eidem parceretur. Sæcul. XVI. A.C 1572.

§. XV.

Protestantes Proceres ad Colinium convocandi consilium.

Arrepto hoc consilio, solutoque Senatu decretum est, ut nocte sequenti, priusquam dies illucesceret, cædis propositæ executio fieret, totiusque rei cura Guisio Duci, qui Architalasso summe infensus erat, committeretur: igitur cælo advesperante Rex mille ducentos sclopetarios partim ad fluminis oram, partim in variis plateis, nonnullos autem ad Colinii ædes disponi curabat, ubi etiam circumcirca potissima Procerum Protestantium, ac Nobilium pars sua habebat diversoria: insuper vicorum Præfectis, quos Decuriones vocant, injunctum, ut stationibus prompte assignatis cunctorum, qui Calvini sectæ addicti erant, nomina describerent, eorumque tot, quot possent, in *Thuan. p. 814 Hist. Monarch. p. 576.*

Sæcul. XVI. A.C.1572.

vicinas Colinii ædes contraherent: demum vero ipsemet Rex tam alta voce, ut ab omnibus exaudiri potuerit, prohibuit, nequem ex Catholicis ad horum domus accedere permittant, cunctosque, qui hoc mandatum violare præsumerent, sclopeto trajiciant. His motibus, de quibus nonnulli mox Architalassum certiorem reddiderant, haud parum suspicio augebatur Protestantium, quorum quidam Regem adire, eumque de tota rei serie edoctum rogare jubebatur, ut regium aliquot armatorum præsidium tuendis Architalassi ædibus apponi præciperet. Ad hujus relationem Rex attonitus hærere videbatur, ac Reginam suam Matrem accersens eandem non sine indignatione interrogabat, unde ejusmodi fama fuisset exorta, ac populus conflata seditione arma capesseret: „mox vero, reposuit Regina, „rebellionis a populo concitandæ ne „ulla quidem suspicio est; nam cuncti „duntaxat Regis jussa exequi parati „sunt: vestra enim Majestas præcepit, „ut omnes in suis stationibus immoti „subsisterent:„ ad hæc quantocius respondit Rex: nec id diffiteor, simul tamen, ne ullus arma sumeret, prohibui: porro cum Calviniſtarum Delegatus quosdam milites præsidiarios sibi tradi peteret, ut tunc, si forte populus

lus quicquam moliretur, saltem regii præsidii reverentia coerceri posset, Andegavensis Dux tum præsens eidem respondit: „ad vestra vota paratus est Cossenius unacum quinquaginta sclopetariis: cum autem hic idem Cossenius Architalasso summopere infensus esset, Delegatus reposuit, satellites ad cohibendum populum sufficere: „ nequa„quam, inquiebat commotiori animo „Rex, assume tibi Cossenium; eo enim „meliorem seligere haud poteris.„ Igitur Delegatus recedens hanc rem sibi sat suspectam videri Thoreo Montmorentii Mareschalli fratri, qui huic colloquio intererat, declarabat: nihilominus Regis jussis ad effectum deductis Cossenius paucis post horis cum suis quinquaginta Sclopetariis Colinii ædes custodiebat, duasque viciniores officinas pro statione seligebat.] Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XVI.

Cuncta necessaria ad cædem a Guisio Duce parata.

Guisius Dux, cui tota rei exequendæ cura fuit demandata, sero ad noctis initium Helvetiorum Ductores, ac quosdam Gallicarum cohortum Tribunos, qui urbem ingressi erant, accersebat, eisque palam hæc declarabat: „venit hora, quâ ex Regis mandato de

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

„viro Deo, & hominibus inviſo, atque „adeo tota perduellium factione pænæ „ſumentur; nam nunc tenetur fera caſ„ſibus irretita, hinc opera danda eſt, ne „elabatur: non ergo occaſioni tam op„portunæ, ubi glorioſiſſimos de regni ho„ſtibus triumphos reportare poteritis, de„ſitis, dum certe magis celebrem trium„phum ſuperioribus bellis omnibus fuſo „regiorum ſanguine nunquam retuliſtis: „victoria autem facilis eſt, & opima „ſpolia proponuntur, ac rei bene geſtæ „præmia citra ſanquinem conſequi po„teſtis.„ Juxta hæc conſilia Helvetii circa Luparam collocantur, quibus adjunguntur quædam Gallorum cohortes, addito mandato, ut darent operam, ne quis ex Navarræ Regis, & Condæi Principis familia Luparano Palatio egrederetur, Coſſenio autem commiſſa eſt ædium Colinii cuſtodia, atque quinquaginta Sclopetariorum, ac quorumdam peditum in vicinis ædibus excubantium manus ei attributa, ne quis inde elaberetur. Rebus ita compoſitis, Guiſius Dux Joannem Charronium vectigalium curiæ Præſidem, qui nuper in locum Marcelli Præfectus mercatorum fuerat creatus, ad ſe vocat, mandatque, ut decurionibus ſignificet, quatenus ſuos in armis eſſe juberent: ipſi vero in Prætorio urbis media nocte

adſint,

adsint, ut, quid opus factu sit, intelligant: insuper Marcellum, qui Mercatorum Præfectura functus erat, Dux accersiri jussit, eumque de arrepto consilio certiorem fecit, minime dubius, quin non, & ipse ad hujus propositi executionem sua auctoritate concurreret, cum aliunde, quamvis suam dignitatem abdicasset, adhuc tamen populo percarus esset. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. XVII.

Conventus in urbis Prætorio super hac re habitus.

Cum igitur præstituta hora unaomnes Rectores, ac vicorum Magistri, Commissarii, aliique in urbis Prætorio convenerant, tunc Charronius, quem nonnulli Guisianæ familiæ addicti, atque inter eos Entragins, ac Puygollartius comitabantur, ad congregatos ita effatus est: „Regis voluntas petit, ut cun„ctis ad Colinium, & alios perduelles „exscindendos cunctosque in urbis carce„ribus detentos armorum potestas fiat: „igitur sedulo curetis, ut nemini par„catur, nec in ulla Provincia impii ho„mines celentur: sic vult, sic jubet Rex, „qui & provisurus est, ut ceteræ Regni „urbes Parisiensium exemplum statim „sequantur: impetus vero faciendi sig„num erit, dum horologii Palatini tin- *Thuan. l. c. Dupleix hist. de France t. 3. p. 789.*

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

„tinnabulum fæpius pulſabitur; inſignia „autem, ut noſtri ab aliis internoſci „poſſint, linteolum album in ſiniſtro „brachio alligatum, & crux ejusdem „coloris pileis præfixa erit: dato igitur „ſigno armis bene inſtructi, animisque „intrepidi magno numero adſint omnes, „atque attendant, nequa perturbatio „oriatur, aut tumultus ante datum ſig„num fiat.„ Pronis auribus hæc imperia, & monita fuerunt accepta a decurionibus, regionum Præfectis, centurionibus, ac Decanis urbanis, qui ſummo, quantum rerum ſubitarum ſtatus patiebatur, ſilentio ſe expediunt, diſpoſitis per plateas, & compita, ſed intra domos, ſuis ſtationibus: interim Guiſius Dux, & Engoliſmenſis Eques ſuos milites contrahebant, eosque in variis urbis regionibus diſpoſitos tenebant.

§. XVIII.

Rex a Regina Matre ſua ad hujus propoſiti firmitatem animatus.

Thuan. l. c. Poſtmodum Regina Caroli IX. Mater circa mediam noctem verita, ne Rex, quem ad facinioris atrocitatem adhuc fluctuantem, ac nutantem animadvertere videbatur, ſententiam mutaret, in ejus cubiculum deſcendit, quo & continuo Andegavenſis, Nivernius Duces, nec-

necnon Biragus, Tavanius, ac Radesianus Comites, & paulo post etiam Guisius Dux venerunt, qui unaomnes Regem in concepto consilio firmare nitebantur, cum enim Rex ob crimînis atrocitatem vacillare, ac quid decerneret, dubius hærere videretur, hi omnes rationum fontes exhaurire satagebant, ut Regem ad rei decretæ executionem permoverent; porro cum is ad modum hæsitaret, Regina eundem nonnihil vehementius increpans exponebat, quod tam opportunam a Deo oblatam occasionem, qua hostes suos plene debellare posset, interrogativa cunctatione haud elabi sibi sineret. Hoc sermone, cum quasi ignaviæ insimulatum se sentiret, nulla mora rem impigre exequendam imperat, eodemque temporis momento Guisius Dux, Engolismensis Eques, atque Aumalius, & Cossenius, qui & ipse ad Regem venerat, unacum pluribus tam Regis, quam Andegavensis Ducis satellitibus ad Colinii ædes concurrunt, ut dato signo rei exequendæ initium facerent. Sub idem tempus Nivernius Dux præcavere sollicitus, ne ullus ex Calviniſtis, qui in suburbiis erant, fuga elaberetur, Maugironio in mandatis dedit, ut præprimis illos, qui in suburbio Sancti Germani latebant, percepto signo unaomnes

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Hist. de Monarch. des Isr. preuves t. 4. p. 589.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

interficeret: præterea ipſe impenſe Regem, & Reginam ſollicitabat, quatenus ei permitterent, ut cum ſuis Equitibus ex Pariſina urbe excedere, & Calviniſtas forte auffugientes intercipere poſſet: verum eidem hoc denegatum, unde accidit, ut horum plures, prout ipſe probe proſpexerat, pœnam fuga eluderent, proin Rex plene illo emolumento, quod ex hæreticorum ſuppliciis ſperare poterat, potiri præpediebatur.

§. XIX.

Calviniſtarum laniena in die Sancti Bartholomæi inchoata.

Thu. l. 52. p. 817. Matth. hiſt. l. 6. Mem. de la Reine Marg.

Tandem armorum ſonitu, atque inſolito ſtrepitu, & quidem hora adeo aliena edito expergefacti Proceres Proteſtantes, qui per hoſpitia vicina juſſu Regis diverſabantur, pedem domo eferunt, & Luparam, quo concurſus fiebat, tendunt, atque ab obviis percontantur, quorſum tot armatorum concurſus, & faces ubique accenſæ pertinerent? quibus tamen reſpondebatur, parari ludicrum certamen a Rege, ac noctu accenſis facibus arcem ad populi oblectamentum ſtudioſe conſtructam eſſe expugnandam, unde tot homines ad ſpectaculum undique accurrerent; cum nihilominus iidem ulterius pergerent, a ſta-

stationariis, qui prope Luparam erant, injurioſe repelluntur, etiam convitiis laceſſiti, cum ergo ex hiſce Calviniſtis unus pari injuria vicem rependere vellet, mox quidam ex Vaſconibus miles ejus caput haſta ſua feriebat, ceteris dein omnibus in Calviniſtas confeſtim irruentibus, quo intellecto Regina Mater moræ impatiens cum haud ultra cunctandum exiſtimaret, prompte Regem accedit, eumque monet, contineri militis rabiem jam non poſſe, hinc mature ſignum dari in arce imperet, alias verendum, ne tunc, ſi mora longior interponeretur, omnia confuſe, ac præter ejus voluntatem acciderent. Itaque ejus juſſu pulſatur Sangermani Antiſiodorenſis templi tintinnabulum paulo ante diluculum vigeſima quarta Auguſti, quæ dies Beato Bartholomæo dicata tum in Dominicam incidebat.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XX.

Architalaſſi ædes a Coſſenio, ejusque militibus vi effractæ.

Sub idem tempus Colinius, cum ob vulnerum ſuorum dolores ſomnum capere prohiberetur, Calvini commentarios in Jobum ſibi prælegi juſſerat, mox tamen ex ſtrepitu ſeditionem obortam intellexit, de egregia tamen Regis voluntate ſecurus, ac plane certus exi-

Thu. l. 52. p. 817. Monarch. p. 582. Vie de l'admiral de Coligny p. 129.

Sæcul. XVI A.C. 1572.

existimabat, plebem a Guisianis commotam esse, quam tamen, quamprimum prætorianos in sui, ac suorum defensionem dispositos conspiceret, protinus dilapsuram sperabat: imo nec suum errorem deponebat, nisi postquam magis adhuc crebrescente tumultu primas ædium suarum fores vi effractas, ac jamjam sclopeti in domus suæ area displosi ictum perceperat: tum vero, id quod erat, sed serius conjectans, lecto surgit, & veste nocturna sumpta in pedes ad preces faciendas erigitur, parieti innixus, præterea Merlino Pastori hæretico præcepit, ut junctis cum eo precibus ipsius animam Deo commendaret. Postea Labonus Architalassi famulus, qui claves ædium asservabat, a Cossenio jussus nomine Regis januam aperire, nihil mali suspicatus confestim aperuit; mox autem Cossenio ingresso Labonus obvius pugionum ictibus confectus periit: postea idem Cossenius cum suis militibus palatium vi occupans, Helvetios, qui in area erant, in fugam egit, & proximam ædium januam post se adductam uncis, & mensis ligneis, congestaque alia suppellectile firmavit, ex Helvetiis uno tantum in illo primo conflictu scloppeti ictu occiso tandem in scalas Cossenius enititur, & ad Colinii cubile accurrit: Guisius vero Dux cum

Pro-

Proceribus, aliisque, qui eum sequebantur, in area remanserat: demum Ambrosius Paræus chirurgus, qui apud Architalassum tunc erat, eundem admonuit, ipsum a Deo vocari, ædiumque fores esse effractas, nullaque ratione amplius resisti posse. Ad hæc reposuit Colinius: „ video, quid agatur, quippe „ad mortem, quam nunquam expavi, ac „jam pridem animo præsensi, patienter „ subeundam paratus sum: o felicem „me, qui me mori sentio, & in Deo, „cujus gratia in spem vitæ æternæ „erigor, moriturus sum: jam vero hu„manis præsidiis amplius nihil egeo, hinc „vos amici quam citissime facessite, ne „mea calamitate involvamini, vestræ„que olim uxores mihi mortuo male „precentur, quasi exitii vestri caussa ex„titerim: de cetero Dei præsentia, cu„jus bonitati animam hanc mox e cor„pore evolaturam commendo, mihi ab„unde est.„ Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Hæc verba Colinius nullo perturbatæ mentis signo mutatus pronuntiabat.

§. XXI.

Colinius pugione confossus, ac per fenestram dejectus.

Postea Cossenius perfractis cubiculi foribus irrumpit, ac cum alius quidam Ger-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

manus Guiſii Ducis famulus nomine Bemius, quem ſpuriam Lotharingii Cardinalis filiam duxiſſe ferunt: concurrerant inſuper Atinius Tribunus, quidam Aumulii Ducis domeſticus, Coboranus Cardilacus Sarlaboſſius primarius legionum Præfectus, & Achilles Petruccius Senenſis loricati omnes: Bemius vero, qui ceteris prior cubile intraverat, cum Virum in quadam ampliori ſella ſedentem, ac nocturna vitta, necnon toga pellibus inſtructa indutum cerneret, illum his verbis alloquebatur: *Tune Colinius maris Præfectus es?* ad hæc Colinius imperterrito vultu: „Hic idem ego ipſe ſum, tu vero juve„venis canos meos reverere; ac mea„rum virium imbecillitatem conſidera: „nihilominus quicquid feceris, vitam „meam nihilo breviorem efficies.„ Hæc loquenti Bemius gladium in pectus intorquet, & eum retractum ictu tranſverſo in os adigit: tum repetitis ictibus, quibus a Bemii ſociis transfigebatur, Colinius tandem exanimis corruit.

§. XXII.

Colinii cadaver male habitum.

Thuan. l. c. Monarch. l. c.

Tum Guiſius Dux, qui in area cum ceteris Catholicis Proceribus ſubſtiterat, Bemium accerſens, eundem alta voce interrogabat, an res confecta

Sæcul. XVI. A.C.1572.

cta esset, Bemio autem rem ita confectam respondente Guisius reposuit: „Engolismensi Equiti id persuaderi „non potest, nisi ipsus cadaver videat, „ergo corpus per fenestram dejicite.„ Igitur quantocius Bemius a Sarlabossio adjutus Colinii corpus in aream præcipitat: cum vero illud ob plagas in facie acceptas sanguine obtectum, deturpatumque esset, nec facile dignosci posset, hinc Guisius Dux, vel Engolismensis Eques linteo cruorem per faciem diffusum detersit, agnitoque tandem eo, & cadavere, ut quidam addunt, calcibus contumelioše impetito inquiebat: „enimvero hic ipse Colinius est, ipsum nosco.„ Postea unacum ceteris e domo progressus: „Eja inquit, „commilitones, feliciter inchoata pro„sequamur, ita Rex jubet, arripiamus „arma, nam hæc est Principis nostri „voluntas, ac disertum ejus mandatum:„ quibus verbis sæpius repetitis, cum statim insonuisset horologii palatini tympanum, ad arma conclamatum est ubique, & plebs statim ad Colinii ædes accurrit, ubi tum quidam Italus Nivernii Ducis famulus Colinio caput amputans, illud ad Regem, & Reginam ejus Matrem defert, populus vero fors concurrens eidem manus, pedesque abscindit, & cadaver integro triduo per omnes urbis

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

bis plateas raptat, tandem que ad furcas Monfalconias deportatum ferreis catenis ſuſpendit: aſt paulo poſt Franciſcus Momorantius proxima cognatione, & majore neceſſitudine mortuo conjunctus, qui ſe mature periculo eripuerat, per homines fidos nocte illud e patibulo transferri, & Cantiliæ in ſacello terræ mandari curavit.

§. XXIII.

Populus Pariſiis in Calviniſtas concitatus.

Mezeray t. 3. p. 388. Thuan. p. 818.

Occiſo Colinio omnes, qui vel obvii in ejus ædibus reperiebantur, vel ibidem latebant, pari fato ſublati fuere: protinus vero milites ad rapinas vertuntur, arcisque refractis pecuniam, & alia pretioſa deprædantur, literis tantum, & chartis conſervatis, quas Coſſenius ad Reginam Matrem detulit, prout ipſa juſſerat. Demum Nivernius, & Montpenſerius Duces, necnon Tavannius per urbem armati volitant, & currenti plebi, atque ad cædem jamjam paratæ ſtimulos addunt, ſimulque per vicos, & compita ſedulo divulgant, conjurationem a Colinio, & ſectæ ſuæ ſociis initam fuiſſe contra Regem, Reginam, Regis fratres, ac Navarræ Regem, ac ipſum Condæum Principem, eo fine, ut poſtmodum regnum ad Reipublicæ

publicæ regimen, normamque reducere poſſent, proin Catholici abſque conſcientiæ anxietate illos exterminare valerent, ac duntaxat vix unius horæ tempore illorum furorem prævenirent. Ceterum hanc conjunctionem raro Dei beneficio eſſe datam ſpargebant, proinde ne impiorum hominum, & capitalium Regis, ac patriæ hoſtium ſanguini parcerent, ſed in illorum bona ut prædam legitime partam involarent, cum ea ſit Regis voluntas, ut peſtiferum, ac ſerpentinum ſemen extirpetur, & ſectario veneno extincto, nonniſi ſola Religio Catholica in poſterum floreat (*). Sæcul. XVI. A. C. 1572

§. XXIV.

Plures Proceres hac in occaſione trucidati.

Hæ adhortationes adeo artificioſæ, ac Religioni non minus, quam probitati, & humanitati adverſantes haud ſuo caruere ſucceſſu; quippe nec ſenibus, nec infantibus, nec prægnantibus parcebatur, cunctis promiſcua cæde dele- *Thu. l. 52.*

(*) Quantum Continuator horum Procerum verba in Catholicorum invidiam auxerit, Lector verba illius cum textu, quem citat, conferens, deprehendet.

Sæcul. XVI. A.C. 1572

deletis: Telinius quoque Architalassi gener, cum jam multorum antea manus evasisset, tandem trucidatus est, nec minus Antonius Claromontius Renelii Marchio Porciani Principis frater uterinus, cui de Renelio Marchionatu lis cum Ludovico Claromontio Bussio Amboisiano ejus consobrino erat, in Navarri comitatum Lutetiam venerat, quasi liti molestæ, quam ob eundem Renelianum Marchionatum habebat, finem tandem impositurus: verum alio longe, ac putaverat, exitu res peracta est; nam in eo tumultu, cum ad ædes suis proximas fugeret, tandem in Consobrini illum investigantis manus incidit, qui eum ob nullam rem magis, quam oblitem inimicum crudeliter obtruncavit.

Præterea Marosinus Guerchius homo strenuus, qui pridie Colinium Architalassum rogaverat, ut sibi in ejus domo pernoctare liceret, cum oppressus vestes induendi spatium non haberet, pallio in brachium sumpto, & stricto gladio se contra percussores aliquamdiu defendit, nemine tamen ex hostibus suis interfecto, quippe loricati omnes erant, tandem multitudine circumfusa obrutus est.

Eodem tempore Franciscus Rupifacaldius Comes, Regi alioquin gratissimus, cum tamen post Colinium inter Cal-

Calviniſtas celeberrimus eſſet, eandem cum Architalaſſo ſortem expertus eſt; Rex enim, quocum Comes tota ferme nocte jocabatur, illum quidem a morte liberari præcepit, hoc autem mandato ſerius allato interfectus eſt: eadem quoque calamitas Ruvrajum, Subiſium, Caſtegneratem, Bellomanerium Lavardinum, pluresque alios Proceres, magnique nominis Nobiles involvit, qui aut pugionum, aut ſclopetorum ictibus perierunt: ubi Franciſcum etiam Nomparum Caumontium cum duobus filiis, quos paterno amore diligebat, in eodem lecto deprehenderunt percuſſores, qui eum non tam odio religionis, quam ſpe lucri una cum omni prole ad exitium petebant, hinc cum uno ex filiis ſuis interfectus eſt, alter autem exundante ſanguine cruentus, cum ſe ſub mortui Patris ſui cadavere deliteſcens contra ictus defendiſſet, mortuum ſe ſimulavit, quem interfectores, cum eum mortuum putarent, in eo ſtatu reliquerunt. Sæcul. XVI. A C. 1572.

§. XXV.

Cædes in Luparenſi Palatio patrata.

Pari etiam cæde in Luparenſi regia ſævitum, ubi plures Nobiles Navarræ Regis obſequio addicti gladiis occubuere, adeo, ut porticus, & ſcalæ ferme ubique cadaveribus obtectæ cer- *Monarch. p.* 584.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

nerentur, ac infelices hi hæretici etiam uſque ad regiorum Principum cubiculum propellerentur, ubi Rex præſens, per feneſtram proſpexit, atque etiam exclamavit monens, ne quispiam ex Calviniſtis elabi permitteretur: porro inter eos, qui Luparæ occiſi ſunt, præcipui erant Pardallanus, Sanmartinus, Navarræ Regis Moderator, Broſſius, & præter alios Armandus Claromontius Pilius, qui cum nuper Angeriacum oppidum ſtrenue contra Catholicos defendiſſet, ac nomen ſuum celebre reddidiſſet, horum odium incurrebat, dum autem nunc inter ſicariorum agmina conſiſtebat, ac occiſorum cadavera cernebat, inclamabat: „Hæccine eſt Re„gis fides? hæc ejus promiſſa? hæc „pax? at tu Deus optime Maxime op„preſſorum cauſſam tuere, tantamque „perfidiam, & immanitatem juſtus „judex olim vindica;„ hæc verba tam alto proferebat ſermone, ut facile a Rege percipi potuerit: poſtea exuto ſuo magni pretii pallio illud nobili cuidam ſibi noto, qui circumſtabat, tradidit, hoc habe, inquiens, a me tam infauſtæ, atque indignæ mortis monumentum: porro is hoc munus averſatus eſt, qua conditione recuſata, dicentique hæc Pilio mox haſta latus a quodam ſatellite transfixum eſt, quo ex vulnere ille con-

concidit, ejusque corpus ad reliquorum acervum dejicitur, militibus ad illos, qui rem conspexerant, acclamantibus: „Hoc modo plectendi sunt, qui Regis „vitæ insidias struere non erubuerunt.„ Dein Bellovarius, cum jam a longo tempore ex athritide decumberet, in lecto oppressus est: Grammontano autem in Vasconibus Domino, Joanni Dursortio Duracio, Joachimo Roaldo Gamacio, & Buchavanio a Rege gratia facta est, qui in ejus fide se fore promiserunt, nec spem fefellerunt. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XXVI.

Regis oratio ad Navarræ Regem, & Condæum Principem.

Deferveſcente prima hujus cædis rabie Rex Navarrum Regem, & Principem Condæum ad ſuum cubile accerſit, & præſente ſecretiori Senatu ſuo hæc eis expoſuit: „ab ineunte ætate „per tot annos bellis toties repetitis ma„gno rerum mearum detrimento in re„gno meo quies publica ab ipſis ſubditis „meis turbata fuit, nunc tandem Dei „beneficio inita a me ratio eſt ad omnes „bellorum cauſſas extirpandas; occu„buit enim meo juſſu Colinius Archita„laſſus harum turbarum auctor, idem„que ſupplicium nunc paſſim in urbe „ſumitur de ſceleratis hominibus, & *Thu. l. 52. Matthieu hiſt. l. 6.*

Sæcul. XVI. A C. 1572.

„impiæ ſuperſtitionis lue infectis ;„ his præmiſſis Rex ſermone ad Navarræ Regem, & Condæum Principem converſo ita proſequebatur: „nunquam obli„viſci potero, quanta ab ipſo Condæo, „& a Vobis incommoda acceperim, qui „vos profligatis hominibus Duces obtu„liſtis, & bella contra me ſeditioſe geſ„ſiſtis: hinc non deeſſent mihi juſtæ „haſce injurias vindicandi cauſſæ, cum „ultro etiam nunc occaſio mihi offerre„tur, præterita tamen ob conſanguini„tatem, & recentem affinitatem, ve„ſtramque ætatem denique vobis con„dono, præſertim eoquod facta a vobis „non veſtro, ſed Colinii, & ſequacium „ejus, qui meritas jam dant, aut mox „daturi ſunt ſceleris pænas, conſilio, & „culpa fuiſſe attentata credam: imo & „ea oblivione libenter ſepulta volo, dum„modo in poſterum ſuperiorum tempo„rum offenſiones fide ſincera, & debito „obſequio ſarciatis, & ejerata profa„næ ſuperſtitionis doctrina ad Majorum „ſacra, atque adeo ad Catholicam Ro„manam Religionem revertimini, nam „unam duntaxat fidem, quam a Majo„ribus accepi, in meo regno coli volo: „declarate igitur, num ea in re mihi „morem gerere velitis, alioqui ſciatis „eaſdem, quas Socii veſtri perpeſſi ſunt, „pænas vos ſubituros. „

§. XXVII.

§. XXVII.

Sæcul XVI. A.C.1572.

Navarræ Regis, ac Condæi Principis reſponſum ad Regem.

Ad hæc Navarrus Regi hunc in modum reſpondit: „impoſterum meam „voluntatem plene Regiæ Majeſtatis „ſuæ arbitrio committere, ac omnibus „in rebus eidem ſemper ſatisfacere para„tus ſum: interim id unice rogo, ut „eadem promiſſi ſui, necnon affinitatis „nuper contractæ haud immemor pon„derare velit, conſcientiæ libertatem „adeo caram eſſe, ut eidem nulla vis „inferenda ſit, præcipue circa eam „Religionem, in qua quis a teneris eſt „enutritus, atque imbutus.„ De cetero Condæus Princeps, quamvis præſentaneum cerneret periculum, arroganter tamen Regi ſic reſpondit: „mihi „perſuadere non poſſum, Regem, qui „fidem ſuam tam ſolemni jurejurando „univerſis Regni ſui Proteſtantibus ob„ſtrinxit, ulla ratione ab ea diſceſſurum, „aut adverſariis, inimicisque ſuis ea in „re auſcultaturum: porro ab obſequio, „quod Regi debetur, hucusque nun„quam receſſi, atque in eadem ſubmiſ„ſione perſtiturum, ac ne latum un„quem ab eo me receſſurum ſpondeo: „quantum vero ad Religionem attinet, „ea imperari non poteſt: ecquidem de

Thuan. l. c. Dupleix p. 793.

Sæcul XVI A.C. 1572

„capite meo, ac fortunis in Regis po-„testate est, ut arbitrio suo, quid velit, „statuat, Religionis vero, cujus noti-„tiam a Deo accepi, huic soli ratio-„nem mihi reddendam scio: itaque ra-„tum apud me, fixumque est, nunquam „ab ea Religione, quam veram esse „certo novi, ne præsenti quidem vitæ „discrimine, recedere.„ Hoc responso Rex ultra modum exacerbatus contumacem, seditiosum, perduellem, ac perduellis filium Condæum appellitabat, ei denuntians, nisi intra tres dies resipiscat, sectamque abjiciat, fore, ut pervicaciæ suæ pœnas capite luat.

§. XXVIII.

Protestantes in sancti Germani Suburbio latitantes fuga elapsi.

Thuan. l. c. Dupleix pag. 793.

Latitabant in sancti Germani suburbio plures Proceres secta Calviniſtæ, cunctaque necessaria data fuerant mandata, ne eorum ullus fuga elabi posset: Marcellus quoque veteranus Mercatorum Præfectus Maugironio, cui in hoc loco cædis exequendæ cura erat demandata, ex militibus in urbe recens contractis mille armatos submiserat: cum autem Marcellus segniter rem administraret, interea Protestantes nuntium acceperunt, quod tota urbs tumultibus flagraret, ac incolæ arma sumpsissent,

pſiſſent, hinc hæretici unaomnes conveniunt, quid agerent, incerti, eoquod plerique Regis fidei confiſi, id ſine ipſius juſſu a Guiſianis plebis ſeditioſæ audacia fretis fieri ſibi adhuc perſuaderent: attamen cum adhucdum deliberarent, Guiſius Dux, cum moras eas impatienter ferret, evocatis e Lupara prætorianis, dum ipſi naviculis ſequanam fluvium transmittebant, ipſus ad ſancti Germani ſuburbium contendere ſtatuit, ubi cum ad portam Neslanam ventum eſſet, tanta trahebatur mora, ut Calviniſtæ auffugiendi ſpatium nanciſcerentur. Sæcul.XVI. A.C.1572.

§. XXIX.

Continuata hæreticorum ſtrages.

Poſtea Guiſius Dux Montgomerium, aliosque Proteſtantium Proceres Montfortium Lamorium usque inſecutus eſt, cum tamen Sanleodegarium perveniret, fugientium veſtigiis inſiſtere ceſſabat, Pariſios reverſus, ubi regii Satellites quoscunque obvios occidebant, domosque hæreticorum ſpoliabant, ac plebs a decurionibus, & centurionibus huc illuc circumvolitantibus incitata in concives effundebatur, atque ad omnem intemperiem licentia debachabatur, adeo, ut ex ipſis etiam Catholicis quamplurimi occiderentur; *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

sæpe enim pro Calviniſtis habebantur illi, qui vel divitiis abundabant, aut ejusmodi officiis inſignes erant, quæ aliorum cupiditatem, invidiamque excitabant: inſuper non raro etiam multi præteritæ injuriæ ultionem, aut pinguem hæreditatem aucupandi aviditatem explere ſatagebant.

Ceterum inter Proteſtantes in Urbe occiſos numerabantur Annas Ferrerius Chapius jam octogenarius magni nominis in Senatu Advocatus, & Jacobus Lomenius Regi ab epiſtolis, quamvis enim is vitæ incolumitatem pactus eſſet, in carcerem tamen trudebatur a Joanne Pariſienſi Satellitum Præfecto, quocum de Verſalio fundo lis illi erat, illudque ſuo adverſario vili pretio vendere cogebatur: nec tamen propterea a periculo exemptus fuerat, nam brevi poſtea juſſu eorundem, quibuscum transegerat, interfectus eſt: inſuper Magdalena Briſſoneta Theobaldi Longicolii Ivernii libellorum ſupplicum magiſtri vidua, Guilielmi Briſſoneti Cardinalis neptis, de cetero femina lectiſſima, neque mediocribus literis erudita, cum obſoleto habitu filiam Franciſcam ſecum traheret, ac una cum Joanne Spina notiſſimo hæreticorum Præcone, qui quondam Poſſiacenſi colloquio intererat, urbe aufugeret, agnita a Sicariis, & ad ejuratio-

rationes, quas illa conſtanter facere recuſabat, fruſtra adacta, uncis percutiebatur, ac ſemianimis in fluvium ex litoris aggere deturbabatur: id vero cum nautæ animadverterent, mox concurſitantes eam lentis ictibus tandem ſumma immanitate trucidabant: Spina tamen Miniſtellus utpote ignotus inter turbam evaſit: filiæ autem ob ætatem parcebatur ſuperveniente Clemente Marcello, qui pro ea deprecatus eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XXX.

Petrus Ramus trucidatus.

Inſuper furentium rabies ad ipſa etiam Univerſitatis Collegia ſeſe extendebat, ac præprimis notus ille Petrus Ramus, vel Ramæus illius victima cadere cogebatur. Is anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo quinto in Veromanduis natus Patrem habuit patria Leodienſem, qui inde ejectus, ut vitam ſuſtentare poſſet, carbonarium agere compulſus eſt: Ramus vero in Navarræ Collegio famulus poſtea tam felices in literis progreſſus fecerat, ut dein in regio Collegio Mathematicas ſcientias tradere juberetur: verum variis fortunæ fatis jactabatur; cum enim erroneas opiniones docuiſſe accuſaretur, Petrus Daneſius linguæ Græcæ Profeſſor, ac poſtea Vaurienſis Epiſcopus

Thuan. pag. 822. Sanmarth. l. 2. elog. Spond. n. 15. Bezalp. 43. & 36.

Sæcul. XVI. A.C. 1572. pus, necnon Joannes Salagnacus Theologiæ Doctor, & Joannes Quintinus Juris peritus præter alios eruditos Viros Rami scripta, moresque discutere a Francisco I. jubebantur, qui etiam eidem Ramo silentium imponebant: verum is ad Cardinalis Lotharingii preces ab Henrico II. benigne pristino honori restituebatur, rursus tamen regnante Francisco II. lata Senatus sententia exauctoratus Parisiis excedere cogebatur, ne graviori adhuc supplicio plecteretur. Eo absente in Preleæ Collegio, cui olim præerat, ejus Bibliotheca fuit exspoliata, pace tamen Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio inita Ramus Lutetiam reversus denuo suum munus obiit: inchoato autem bello civili circa annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum sexagesimum septimum Parisiis exulatum abire jussus anno sequenti in Germaniam auffugit: porro ex duabus epistolis, quas Beza ad illum perscripserat, non modo sat aperte proditur ejus cum hoc hæretico familiaritas, sed insuper ejusdem Genevam secedendi voluntas, quamvis Beza illum ab hoc proposito absterreret, expositа difficultate, qua Professoris munus ægre obtinere posset, vel si illud obtineret, nonnisi tenui admodum proventu

ventu contentus vivere deberet, præterquam quod ibidem Aristotelis doctrina pro aris, & focis defenderetur, quam tamen ipse semper tam acriter impugnasset, ut hac de re Parisiis plures sibi hostes accersivisset. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Præterea Antonius Goveanus Lusitanus celeberrimus sui ævi Philosophus vehementer Petro Ramo adversabatur, majori autem adhuc odio illum Jacobus Carpentarius Claromontanus in Bellovacensi agro insectabatur, suamque in eum invidiam adeo exerebat, ut illum Parisinæ lanienæ involveret; cum enim Ramus merito vitæ suæ timens fervente tumultu in quadam cavea delitesceret, a Carpentario re comperta immissis sicariis, qui eum prodebant, inde extractus, atque ad quoddam cubile ascendere jussus ibidem pugione transfossus periit, ejusque corpus per fenestram projectum est, effusis ejus visceribus, quæ Scholares per plateas sparserunt: cadaver vero virgis ignominiose diverberantes inhumane raptarunt. Ceterum Ramus Vir erat doctus, ac Philosophicis, & Mathematicis disciplinis apprime excultus, bonisque moribus præditus, plurimum ad literarum restaurationem contulit, insuper ad nova excogitanda aliorum animos excitavit, induxitque, ne amplius Aristote-

Sæcul. XVI A.C. 1572

ſtotelis doctrinæ ſervilem in modum inhærerent: præterea inſtituit Mathematicam Scholam, cujus Profeſſori annuum proventum quingentarum librarum e facultatibus ſuis attribuit. Porro hujus hæretici cædes Dionyſium Lambinum linquæ Græcæ, ac latinæ Profeſſorem tanto terrore obruebat, ut in graviſſimum morbum incidens poſt unius menſis ſpatium decederet, cauſſa hujus mortis pariter Carpentario adſcripta, quamvis aliunde ſimultates, quæ inter utrumque hunc Doctorem exortæ erant, nonniſi quasdam privatas opiniones circa Horatii opera reſpicerent; Lambinus enim Ariſtotolem, cujus opera moralia latine reddiderat, propugnabat, ceteroquin autem Religioni Catholicæ immota fide adhærens.

§. XXXI.

Generoſum Nobilis Carducenſis facinus erga ſuos hoſtes.

Thuan. l. 52. pag. 823. Dupleix hiſt. de France t. 3. p. 791.

Eadem die cædibus funeſta heroicum plane facinus, memoratu dignum acciderat. Jam dudum duo Carducenſes Nobiles, quorum primus Vezinius, Regius in Provincia Vicarius, rudis, ferocisque indolis vir, alter vero Reinierus animi manſuetudine clarus erat, ſeſe odio plusquam vatiniano infectabantur: cum autem Reinierus ſecta Calvi-

Calviniſta Regi Navarræ addictiſſimus eſſet, ac cum eo ad aulam veniſſet, eo tempore Vezinius quædam officii ſui negotia pertactaturus pariter eo advenerat, qui abſolutis in aula negotiis ſuis, cum jamjam diſceſſum pararet, campanam in Eccleſia ſancti Germani Antiſſiodorenſis pulſari percipit, ac cædi initium dari cernit: ergo de hoſtis ſui ſorte ſollicitus, equum conſcendit, atque ad Reinerii ædes properans, effractis foribus ipſius cubile ingreditur, dextera ſclopetum, altera manu evaginatum enſem tenens, quo conſpecto Reinerius Calviniſta terrore perculſus e lecto ſuo proſilit, atque in genua provolutus Dei miſericordiam implorat, nil niſi feralem ictum certo expectaturus: cum ecce! Vezinius Catholicus adeo non hoſtem ſuum interimere cogitat, ut etiam eidem repente præciperet, quatenus mox veſtes ſuas indueret, paratoque equo inſidens auffugeret: ad hæc morem gerit Calviniſta, & Vezinius nil ultra addens adverſarium ſuum proſpere e Pariſina urbe educit, eumque Carducum usque ad arcem ſuam comitatur, quin toto itineris ſpatio vel verbulum cum eo loqueretur: tandem vero ſoluto ſilentio: „iam dudum, inquiebat, de „te vindictam ſumere potuiſſem, ſi oppor„tuna voluiſſem occaſione uti: verum „ſalva

Sæcul XVI. A.C 1572.

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

„salva Religione, ac honore meo id attentare nolui, tuaque virtus, ut periculi mecum socius esses, te dignum mihi exhibebat: igitur ex meis favoribus vivas, ac persuasum tibi habeas, quod deinceps litem nostram mediis inter Nobiles usitatis componendi voluntatem adeo pronam in me experturus sis, ac nunc me intentum vidisti, ut te a præsentaneo periculo eriperem.„ His Vezinii verbis Reinierus intimo sensu tactus suo benefactori hæc reposuit: „conditione, quæ impleri nequit, litem nostram onerasti, nunquam enim res utrinque ad æqualitatem reduci poterunt: quippe tua erga me generositate mihi animum, vires, ac me defendendi voluntatem eripuisti: nec aliud mihi reliquum est, nisi ut te, ubicunque volueris, sequar, vitamque meam, quam tibi debeo, in tuum obsequium impendam.„ Prolatis his verbis Calvinista ulnis apertis in Vezinii amplexus ruebat, hic autem ferociam, animumque haud commotum ostentare statuens reponebat: tuum est eligere, an me tanquam amicum, vel inimicum habere velis, nulloque exspectato responso calcaribus equo impactis illum, quo iter suum confecerat, equum reliquit, ac nequidem illum fors remitten-

tendum accipere, vel illius pretium acceptare voluit

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Interea Parisiis cædes per septem omnino dies continuabatur, de qua referunt nonnulli, plusquam quinque hominum millia ibidem fuisse trucidata; quamvis enim Rex vespere in festo sancti Bartholomæi tubæ sonitu per universam urbem promulgari jussisset, quod quilibet ad sua reverteretur, nec e domo exiret, indicta etiam mortis pœna in eos, qui huic mandato refragaturi essent: hujus tamen edicti exigua habebatur ratio.

§. XXXII.

Populus Parisinus reflorescente Alba Spina ferocior factus.

Ceterum populi furor augebatur occasione desumpta ex quodam rubi genere, quod oxyacantham, seu Albam Spinam vocant; hæc enim quantumvis ferme exsiccata, suisque foliis exuta, nihilominus in Sanctorum Innocentium cæmeterio eadem die alieno prorsus tempore flores progerminare cæperat: quamvis vero hic eventus forte naturæ vires non excederet, factiosi tamen rem velut prodigium deprædicabant, atque ad Deum referebant, qui vindictam ab hæreticis sumptam gratam habere hoc indicio testa-

Thuan. l. c. Spond. n. 15. Dupleix pag. 739.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

tus esset: quapropter insolito tympanorum pulsu, ac Sodalitatibus solemnem supplicationem instituentibus Rex ipse hanc Spinam conspecturus accesserat: nec tamen a cæde cessatum, licet ex Calvinistis, qui fuga evaserunt, longe plures fuerint, quam qui morte debitas perfidiæ suæ pœnas luissent.

§. XXXIII.

Rex hujus facinoris invidiam literis suis excusans.

Thuan. l. 52. pag. §24. Mezeray abrege chron. t. 5. pag. 255.

Die vigesima quinta Rex, cum vel hujus facinoris immanitatem abhorreret, aut illius culpam in se solum rejici pertimesceret, ad omnes Provinciarum Gubernatores literas dedit, quibus hujus sævitiæ invidiam in Guisios Principes exonerabat, hæc exponens: „inscio me, ac nolente seditio exorta est: „postquam enim deprehenderam, quod „omnes amici, ac Colinio consobrino „meo sanguine juncti vulnus ei inflictum ulciscí statuissent, Guisii Princi„pes ut illos anteverterent, ingentem „nobilium, & Parisiensium manum „concitarunt, eorumque ope præsidia„rios milites, quos ipsus ego Colinio „attribueram, oppressérunt, & Coli„nium, ac quotquot ex ejus necessariis „obvios habuerunt, trucidarunt, tan„toque furore, ac vi per reliquas Urbis

partes

„partes juxta hoc exemplum ſævitum „eſt, ut remedium, quale optabatur, „in tempore adhiberi non potuerit, nunc „ecquidem ſeditio propter ſimultates „veteres inter duas familias jam pri- „dem natas concitata tandem ſedata „eſt, cum vero hæc calamitas præter „voluntatem meam acciderit, exopto, „ut omnes intelligant, non propterea „edictum nuper factum ulla ex parte „violatum eſſe: quinimo ſevere præ- „cipio, ut illud ubique religioſe obſer- „vetur, diligenterque caveant omnes „Præfecti, ne in aliis urbibus mutuæ „cædes ex ea occaſione perpetrentur, „neque alii in alios arma capiant, ſed „quisque domi, in agro, & urbibus „quieſcat, & a vi abſtineat, pœna ca- „pitis in eos, qui non paruerint, ſan- „cita. Dein hiſce literis addita erant hæc verba: hic ſum cum fratre meo „Navarræ Rege, & Condæo Principe „conſobrino paratus cum ipſis ejusdem „fortunæ diſcrimen ſubire.„ Ejusdem argumenti literæ a Regina eodem die ſcriptæ, non ſolum per Regnum, ſed ad Helvetiorum comitia miſſæ, & regio mandato per Angliam, ac in diverſis Germaniæ Provinciis divulgatæ fuerunt.

Sæcul. XVI. A. C 1572.

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

§. XXXIV.

Rex Guisios in exilium amandare a Regina prohibitus.

Eadem die quidam ex regio Satellitio delecti per Gasparum Castreum Nancæi Comitem ex Regis mandato Castellionem ad Luparam mittuntur, qui Colinii uxorem, liberos, Andeloti item filios, ejusque conjugem comprehendant: verum Franciscus major natu Colinii filius, & Guido Lavallus pariter Andeloti major natu filius fuga jam sibi consuluerant; reliqui tamen capti, & cum omni pretiosa suppellectili, Lutetiam perducti sunt. De cetero Consilium Regis erat, ut statim, cum Colinii, & sequacium cædes patrata esset, Guisiani Principes urbe excederent, quatenus exinde magis, quidquid Lutetiæ actum esset, id ab ipsorum factione profectum fuisse, ab omnibus crederetur. Verum Regina Mater, & Andegavensis Dux præcipue, qui impotenti favore in Guisiorum partes propendebant, sese huic consilio opposuerunt, imo ipsum etiam Regem eo induxerunt, ut totius cædis invidiam a se derivatam fateretur, quo consilio arrepto Andegavensis Dux literas protulit, inter scrinia Telinii, ut ajebat, repertas, easque Momorantii manu scriptas, quibus idem Momorantius Mare-

Sæcul.XVI. A.C.1572.

Mareſcallus poſt vulnus Colinio inflictum promittebat, ſe injuriam hanc, acſi ſibi ipſi illata eſſet, in auctores, qui minime ignorarentur, iisdem animis ulturum, unde occaſione ſumpta Regina, & Andegavenſis Dux Regi demonſtrabant, eo loci res eſſe, ut tunc, ſi ipſe in priori diſſimulatione perſeveret, Regni ſecuritatem, fortunas, opes, & exiſtimationem in manifeſtum diſcrimen vocaturus ſit: „eoquod Guiſiani „Principes, ajebant illi, cum de animo „Momorantii ex iis literis, & aliunde ſa„tis certi ſunt, homines per ſe turba„rum avidi, & earum cauſſas ex qua„cunque occaſione aucupantes, arma, „quæ Regis juſſu ad inferendam inju„riam ſumpſerunt, nunquam poſituri, „eaque privatæ ſalutis tutandæ, quam „ab inimicis peti dicunt, obtentu ſem„per retenturi forent, ac proin bellum „adeo non finiretur, ut etiam brevi il„lius longe accerbioris flammæ accen„derentur, iique Proteſtantes, qui ad„huc ſuperſunt, licet eorum res deſpe„ratæ credantur, abs dubio tamen ſeſe „Montmorantiis jungerent, novasque vires reſumerent „

„Igitur tanti mali prævertendi non „alia eſt ratio, quam ſi regia Majeſtas „veſtra, quæ facta ſunt, tanquam ſuo „juſſu executioni data, publica decla-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

„ratione comprobet; sic enim rerum „arbitrium sibi assumere, & inde Gui„sianos exarmare, indeque Momoran„tianos, quo minus arma sumant, præ„pedire, & postremo efficere poterit, „ut Protestantium res jam satis afflictæ „a caussa Momorantianorum separen„tur, rei vero invidiam extimescere „non deceat.„

§. XXXV.

Rex in Senatu se cædis causſam exstitisse fassus.

Thuan. pag. 826. Daniel hist. de France tom. 6. pag. 404. Mezeray l. c. p. 256.

His rationibus expugnatus Rex feria tertia die vigesima sexta Augusti unacum Andegavensi, & Alensonio Ducibus Fratribus suis, necnon Navarræ Rege, aliisque Proceribus ad Senatus Curiam perrexit, ac pro tribunali sedens de injuriis gravissimis, quas a Caspare Colinio, sceleratisque hominibus Religionis nomen falso prætexentibus jam a puero accepisset, questus, se tamen eas publicæ tranquillitati conditis pacis edictis condonasse ajebat: „Coli„nius vero, prosequebatur Rex, ne quid „ad suum scelus reliqui faceret, etiam „conjurationem in me, Reginam Ma„trem, fratres meos, & in ipsum etiam „Navarræ Regem, quamvis hic ean„dem cum illis sectam profiteretur, de„lendos iniit, ut Condæum adolescen„tem

„tem Principem in Regem crearet, Sæcul.XVI.
„quem & ipsum postea interficere de- A.C.1572.
„creverat, ut seipsum, cum regia fa-
„milia extincta foret, usurpato Regno
„Regem constitueret: hanc igitur pe-
„stem, licet invitus, cum tamen ali-
„ter non possem, contraria peste extin-
„guere, atque in extremis periculis
„extrema remedia adhibere coactus fui,
„ut impuram illam contagionem ex
„Regni mei visceribus extirparem: om-
„nes itaque intelligant, quicquid illa
„die in supplicio de similibus sumpto
„actum est, meo id imperio, & man-
„dato actum esse, ut omnia tam de-
„testandæ conspirationis mala præver-
„terem. „

Postquam Rex suum sermonem absolverat, Christophorus Thuanus primarius Præses, ac noti historici parens oratione tempori accommoda Regis prudentiam plurimum exaggerabat: finito autem ejus sermone Guido Faber Pibracius Fisci Præfectus e sede sua surgens a Rege petiit, an velit, ac jubeat hanc declarationem in publica Curiæ acta ad conservandam rei memoriam referri, sacrumque Ordinem, necnon Justitiæ Ministros, de quorum depravatione nuper questus sit, emendari: insuper idem Pibracius postulabat, ut

Sæcul XVI. A.C. 1572. Rex præciperet, quatenus cædibus, & rapinis finis imponatur: ad hæc Rex respondit, quod primum caput præcipiat, de altero autem se curaturum spopondit: ad tertium denique reposuit, quod publico præconio per omnia Urbis compita edici jamjam mandarit, ac iteratis jussis etiamnum injungat, ut a cædibus, ac rapinis in posterum abstineatur. Hæc Regis declaratio in pleno Senatu facta multos attonitos habuit, unde Thuanus primus Præses, cum periculum ex ea impendens vereretur, ea, qua erat, animi libertate, in arcano Regem increpabat, ac maxima sinceritate clam magis, quam publice eidem exponebat, quod tamen etsi conjuratio a Colinio, & suis inita omnino vera esset, ipse potius juris remedio, quam publicæ violentiæ severitate contra illos uti debuisset.

Ceterum solemnes habebantur supplicationes, quibus populus certatim confluens, ac ipsemet Rex cum omnibus Aulicis Deo grates rependebant pro felici successu ejusmodi consilii, quod tamen Franciam ignominia, ac dedecore affecit, & ipsi cœlo, cunctisque probis hominibus abominationi fuit: insuper monetæ cudebantur ad perpetuam

tuam memoriam talis facinoris, cujus poſtea haud immerito non ſine horrore mentio fieri potuit. (*) Sæcul. XVI. A C. 1572.

§. XXXVI.

(*) Forte etiam cælo, probisque hominibus abominationi fuit ſeveritas Eliæ, qui Pſeudo-Sacerdotes Baal interfecit, ut Dei Religionem falſo cultu labefactatam vindicaret: obſervandum tamen eſt, quod Continuator, dum refert horrendas cædes, latrocinia, & ſacrilegas rapinas, quibus Calviniſtæ ſæpius integras Catholicorum Provincias devaſtabant, nunquam de nimia inhumanitate queſtus fuerit: nempe ex cantu noſcitur avis. Audiatur vero judicium Patris Binner, qui hanc in rem in ſuo eruditionis apparatu part. VII. lib. 3. art. 6. fol. 503. hæc obſervat: *Hugonotti in rabiem acti ſcriptis etiam libellis Regem vehementer ſunt inſectati, qui tamen a doctiſſimis Jurisconſultis, Jacobo Cujacio, & Vito Fabro ſolide ſunt confutati, & quo demum res evaderent, ſi Regibus non eſſet integrum, in rebelles ſubditos, quietisque publicæ turbatores animadvertere? Nempe, ut volunt Sectarii, licuit Calviniſtis ſacra omnia contaminare, Regnum evertere, conjurare, Regique inſidias ſtruere, exterum militem in patriam armare, multa mortalium millia iniquiſſime interficere. At Regi ſceleratos plectere non licuit, ut Religionem, & Regnum ſervet. Quod Polirotus* inſti-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XXXVI.

Regis edictum circa cædem in Festo sancti Bartholomæi patratam.

Thuan. pag. 827.

EAdem die, qua Rex in Parisiensi Senatu pro tribunali sedebat, edictum promulgari jussit, quo idem, prout nuperrime fassus est, rursus hæc testabatur: „quidquid hac in re accidit, ex meo diser-

---

instigante Beza, & Colinio Franciscum Ducem Guisium, Religionis vindicem ceu sicarius, & latro occiderit, laude non caret: sed quod Rex eundem Colinium, per duodecim jam annos toties perduellem, tot publicis criminibus reum fusiulerit, ingens scelus est. Laudant Calvinistæ Henricum III., quod Henricum Guisium, ejusque fratrem Cardinalem, sacri fœderis capita, trucidari præceperit: sed quod Carolus IX. Casparem Colinium, Calvinistarum tunc caput, Galliæ incendiarium, ad pœnam vocarit, facinus ipsis est, omni dignum opprobrio. Proprium Regem, inaudito exemplo, sententia velut judiciali condemnatum, carnificis manu obtruncant Calvinistæ in Anglia, & hoc laudibus eorum celebratum fuit. Solus Carolus IX. Rex Franciæ, rebelles subditos, proditores, & eversores patriæ, toties Majestatis reos, tollere e medio non potuit; sed tolerare debuit, ut pergant conjurare, insidiari, mactare, perdere, totumque regnum in extremas calamitates conjicere.

„diſerto mandato geſtum eſt, non ex „Religionis odio, aut ut meis de pa„cificatione edictis derogem, quæ ego „etiamnum rata eſſe, & ſancte obſer„vari volo, ſed id factum, ut nefariæ „Colinii, & Sociorum conjurationi ob„viam irem: itaque volo, ac jubeo, ut „omnes Proteſtantes domi pacate, ac „ſecure ſub mea tutela, ac patrocinio „degant: inſuper præcipio, ut Præfecti „diligenter caveant, ne qua illis in vita, „bonis, ac fortunis vis, ac injuria fiat, „addita ſanctione, ut is, qui ſecus fe„cerit, capitis pœnam ſibi dictam in„telligat: quoniam vero propter illorum „Conciones, & publicos illorum hæreti„corum conventus magni motus, ac „graves offenſiones excitantur, a cæti„bus ſive publicis, ſive privatis, cujus„cunque cauſſæ ſpecie, aut prætextu ha„beantur, in poſterum abſtineant, do„nec aliter a me decretum fuerit, ad„jecta in contumaces capitis pœna, & „& fortunarum, bonorumque proſcri„ptione.„ Sæcul. XVI. A. C 1572.

§. XXXVII.

Hugonottæ in variis Regni Urbibus occiſi.

Haud benignius, quam Pariſiis, Calviniſtæ in pluribus habebantur Provinciis, & quidem pridie ante Pariſienſem *Thuan. l. c. Avila l. 5. Dupleix l. c. p. 796.*

Sæcul. XVI A.C. 1572.

sem lanienam Rex varios Regni Gubernatores datis literis stimulabat, ut omnes Hugonottas interfici curarent, quapropter integro bimestri per universam ferme Franciam nil nisi homicidia patrari audiebantur, ac præprimis Meldis hæreticorum plures strangulati, alii vero in Matronam flumen præcipites acti: quo minus tamen Silvanecti quicquam a seditiosis moveretur, præsentia Franciſci Momorantii Insulæ Franciæ Præsidis, qui Cantiliæ haud inde longe erat, prohibitum est: summa autem Aureliæ intemperies fuit, ubi semel plebs recentibus adhuc odiis incendebatur ad ultionem, eoquod in ea urbe, quam Protestantes semel, atque iterum occuparunt, fœdæ eversorum templorum ruinæ in oculos incurrerent. Postea Andegavenses Aurelianensium exemplum sequebantur: Tricassini quoque incolæ, de quibus Colinius paulo ante apud Regem questus erat, ubi de tumultu Parisienſi acceperunt, custodes portis urbis suæ apponunt, ne quis elaberetur, & cum tertiis Calendis Septembris suspectos omnes in carcerem conjeciſſent, quinto post die Annæ Valdræi Simphalii Tricassium Præfecti jussu ad unum omnes, singuli a Sicariis mactati sunt.

Pari

Pari furore Bituricenſes in hæreticos ſæviebant, ubi tamen Franciſcus Hotomanus, & Hugo Donellus, qui jus civile in illa civitate profitebantur, diſcipulorum ſuorum, ac præcipue Germanorum ope præſenti periculo erepti ſunt: nullibi tamen magis horrenda cædes edebatur, quam in Lugdunenſi urbe, cui Franciſcus Mandelottus præerat; cum enim præſidiarii carnificis munus contra ſuos populares exercere renuerent, ad id infimæ plebis homines ſeligebantur, qui in Archiepiſcopi ædes, ubi ad trecentos ex præcipuis Urbis Proteſtantibus juſſu Præfecti detinebantur, impetum faciunt, & crumenas prius ſagaciter ſcrutati, ſupplices, ac Dei, hominumque fidem implorantes crudeliter cædunt: præterea illi quoque, qui Rothomagi in carceribus erant detenti, eodem ſupplicio fuere ſublati, quos inter erat Claudius Gaudimelus excellens illa ætate Muſicus, qui pſalmos Davidicos vernaculis verſibus a Clemente Maroto, & Theodoro Beza expreſſos ad varios, & jucundiſſimos modulationum numeros aptaverat. Denique Toloſæ quinque Senatores toga rubra veſtiti ad ulmum in Palatii area laqueo ſuſpendebantur: igitur ferme viginti quinque hæreticorum

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul. XVI A. C. 1572.

corum millia in variis hiſce Provinciis trucidata numerabantur.

§. XXXVIIII.

Calviniſtæ in Provincia, & Delphinatu benignius habiti.

Thuan. l. c.

Ceterum longe mitius Calviniſtæ in Provincia, ubi Præſidem agebat Claudius de Sabaudia; Tendæ Comes, necnon in Delphinatu Rectore regio Gordio habebantur; horum enim primus arctiſſima affinitate Monmorentianis conjunctus erat, cui cum a Joſepho Bonifacio Mola, qui poſt biennium infelicem exitum Lutetiæ ſortitus eſt, a Rege literæ de exterminandis illius Regionis Calviniſtis allatæ eſſent, ille ingenue reſpondit: „exiſtimare nequeo, „quod id Rex velit, ſed potius quidam „erga publicam tranquillitatem male „affecti venerandum illius nomen emen„tiantur, præcipue cum ante paucos „dies longe diverſa ab his mandata ac„ceperim: mallo igitur prioribus, ut„pote Regis fide, & clementia magis „dignis parere mandatis: „verum is paulo poſt, cum Avenione eſſet, ex ſubito morbo deceſſit, non citra ſuſpicionem veneni ei ab emiſſariis propinati: inſuper hujus Viri lenitatem imitabatur Graceus Comes Regius Provinciæ Legatus, qui ſuis rationibus edictum

edictum obtinebat longe diversum a priori, quod non nisi sanguinem, cædesque spirabat. Ceterum in Delphinatu Bertrandus Simienus Gordius in Momorantiana familia educatus, cum idem mandatum accepisset, Monbrunii, ac ceterorum Protestantium in Allobrogibus potentiam, & a desperatione periculum caussatus, se excusabat: nonnulli tamen Valentiæ Cavarum, & Romanii interfecti sunt: hinc Bertrandus, cum plebem jamjam in quosdam furere comperiret, sua auctoritate cruenti hujus mandati executionem cohibebat: Sanxeranus quoque Arvernorum Præses, & ipse Momorantianis addictus, eadem moderatione usus est, qui ad ejusmodi jussa respondit, nunquam se talibus mandatis obedientiam delaturum, nisi ipse Rex præsens id juberet. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. XXXIX.

Plures Calvinistæ a Lexovienſi Episcopo in ſua Diœceſi mortis ſupplicio erepti.

Denique haud diffiteri possumus, quod longe plures, quam gladio occubuerint, ex Calvinistis illæsi in variis Provinciis permanserint, imo ipsimet Clerici, quamvis ab hisce hæreticis crudelem in modum passim habiti fuerint, *Sanmarth. Gall. Christ. t. 2. p. 652.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

rint, nihilominus quotquot poterant, diversis in locis vitæ periculo eripuerunt: præprimis vero, postquam Regius Lexovienſis Legatus jussa sibi transmissa Joanni Hennuyero ex Ordine Fratrum Prædicatorum Episcopo, olim Antonii Borbonii Vindocinensis Ducis, & postea Navarræ Regis Moderatori communicaverat, hic Præsul hæc mandata exequi recusans ita inquiebat: „Neutiquam volo, ut hæc mandata effectui dentur; nunquam enim hanc in „rem consensurus sum: sum ego Lexo„vienſis Ecclesiæ Pastor, quas vero ma„ctare intendis, oves meæ sunt, erran„tes quidem, quas tamen aliquando ad „ovile Christi reducendas non despero: „nec etiam in Evangelio lego, quod „Pastor permittere jubeatur, ut suarum „ovium sanguis effundatur, potius e „contrario edoceor, quod ipse sangui„nem suum fundere, & animam pro „ovibus suis ponere teneatur: revertere „igitur cum ejusmodi mandato, quod „non exequeris unquam, quamdiu Deus „mihi vitam conservabit, quam ab eo non „alio ex fine recepi, nisi ut illam pro „spirituali, ac temporali gregis mei bo„no impendam.„

Hac Præsulis firmitate Legatus haud parum attonitus, sibi scripto tradi petiit hujus repulsæ testimonium, ut apud Regem

Regem sese excusare posset: id quoque Episcopus lubens eidem tradidit, asserens, quod persuasus de Principis clementia illum in hac occasione deceptum existimet, de cetero autem speret, quod suam repulsam Rex æquo animo laturus sit, sin vero, omnis mali, quod exinde oriri posset, caussam Regi esse attribuendam dicebat. Enimvero Deus hujus Præsulis Zelo adspirabat; quippe cum Legatus illius oppositionem ad Regem transmitteret, hic Princeps inde ad pietatem commotus quantocyus sua mandata pro Lexovienſi Diæcesi data revocabat: quapropter prædilectus ille grex, alias ad Pastoris sui præcepta docilis, tantopere hac agendi ratione intimo sensu tangebatur, ut ferme omnes ad ovile Christi redirent. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XL.

Festa Romæ, & in Hispania ob hæreticorum internecionem celebrata.

De hac Calvinistarum castigatione Romæ, atque in Hispania longe aliud ferebatur judicium; Gregorius enim Papa hujus nominis decimus tertius unice intentus illi emolumento, quod in Galliis resultaturum existimabat, solemnem decreverat supplicationem, cui ipsemet interfuit, a Divi Petri Basilica usque ad Sancti Ludovici Ecclesiam *Mezeray l.c. pag. 260. Tresor chronol. du P de S. Romuald p. 66.*

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

procedens, Deoque pro tam felici ſucceſſu grates rependens: inſuper ad perpetuam rei memoriam quædam numiſmata cudi curabat, in quibus una ex parte ipſius Papæ effigies, ex altera vero Angelus dextra crucem, ſiniſtraque gladium tenens viſebatur cunctos hæreticos, præcipue vero Colinium exterminans. Præterea in Hiſpania de hac victoria panegyrica oratio præſente ipſomet Philippo II. Rege habebatur, paſſimque hoc facinus Eccleſiæ militantis triumphus nominabatur.

§. XLI.

Calviniſtæ vita ſuperſtites in varias Regiones profugi.

Thu. l. 53. p. 835.

Porro Franciæ Proteſtantes, qui fœdam tempeſtatem in die Sancti Bartholomæi exortam evaſerant, ad Vivarienſes, necnon ad vicinas Provincias auffugiebant; plures tamen, cum eandem pœnæ ſeveritatem, quam ægre eluctati fuerant, vererentur, extra Regnum emigrarunt, quorum nonnulli in Angliam ad Reginam Eliſabetham tranſibant, ab eadem ſecurum aſylum recipientes, alii vero in Germania a Friderico, necnon a Tigurinis, & Bernatibus apud Helvetios, quotquot eo contendere volebant, omnes perbenigne excepti ſunt: Genevenſes quoque

hiſce

hiſce miſeris omne, quantum in ipſis erat, auxilium, opemque pollicebantur: ambo etiam Colinii Architalaſſi Filii natu majores periculo erepti, necnon ceteri ex Coliniorum familia adhuc vita ſuperſtites primo Genevam, & poſtea Baſileam ſeceſſerunt, inde vero poſt aliquot menſium moram Bernam contendentes ibidem omni obſequiorum, ac honorum genere cumulati ſunt: ex adverſo alii plures Calviniſtæ, cum diuturni exilii ærumnas pertimeſcerent, nec a ſuis familiis procul abeſſe vellent, violentiæ, ac tempori cedentes rurſus ad veram fidem Catholicam reverſi ſunt, ac fidei normam eis propoſitam ſuo chirographo firmarunt. Sæcul. XVI. A. C. 1572.

§. XLII.

Continuata Caroli IX. Regis anxietas.

Cum Navarræ Rex, & Condæus Princeps Proteſtantium ſectæ pertinaciter adhuc inhærerent, Carolus IX. eis timorem incuſſurus die nona Septembris arma ſibi afferri, & prætorianorum Centuriones accerſiri jubet, dejerans, quod Proteſtantium reliquias profligare ſtatuiſſet, atque initium a Condæo Principe ſumere, & poſtea Navarræ Regem perdere decreviſſet, hinc Belli ducibus omnibus, ut ſibi præſto *Thu. l. 53.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

sint, imperabat: sed interceſſit prudens, & supra sexum fortissima mulier Regis uxor, quæ viri impetum, qua valebat apud eum auctoritate, compressit, monuitque, ne rem tanti momenti consiliariis haud consultis aggrederetur, cum hujusmodi esset, ut, si res præcipitaretur, postea pœnitentia emendari non posset. Rex igitur dilectissimæ uxoris precibus victus arma deposuit, & Centuriones abire jussit.

§. XLIII.

Caroli IX. monita ad Navarræ Regem, & Condæum Principem.

Dupleix hist. de France t. 3. p. 792.

Altera die Rex Navarræ Regem, & Principem Condæum accersitos ad suum cubile deduxit, eisque rursus hæc exposuit: „ notum vobis est, quod om„nes tumultus, ac seditiones regnum „meum devastantes unice ortum traxe„rint ex dissensionibus, quas errores „recens nati concitarant, cumque ma„la, quæ ex hæresi pullulant, aliunde „evidentia sint argumenta illius impie„tatis, quam ipsa tradit, hinc tam per„niciosæ hæresis radicem exscindere „statui, nullamque aliam sectam tole„rare decrevi præter religionem Catho„licam sacris literis innixam, traditio„nibus Apostolicis suffultam, innume„risque miraculis confirmatam, atque

„in

„in ſucceſſione ſummorum Pontificum Sæcul. XVI.
„a Divo Petro uſque nunc continuata A.C.1572
„ſtabilitam: dein dum Architalaſſum,
„ejusque ſocios morte plectere juſſe-
„ram, gravibus urgebar rationibus, ne
„hac in occaſione legum ſolemnitates
„adhiberem, quibus Monarcha adſtri-
„ctus non eſt, præcipue erga ejuſmodi
„Viros, qui toties in Regnum, ipſum-
„que ſacratum Regis caput conjura-
„runt. His poſtea ſubjunxit, quamvis
„vos ipſimet nuperæ rebellionis rei, ac
„conſcii fueritis, nihilominus tanti ſce-
„leris veniam lubens vobis impertior
„ob generis veſtri nobilitatem, quoniam
„vero animarum veſtrarum ſaluti pro-
„ſpicere obſtrictus ſum, tria vobis pro-
„ponere cogor, vel Religionem Catho-
„licam, vel mortem, vel perpetuum
„carcerem: jam horum electionem vo-
„bis integram relinquo: mox autem
„alterutrum eligatis velim.„

§. XLIV.

Navarræ Regis, & Condæi Principis reſponſum Regi datum.

Ad hæc Navarræ Rex modeſte Regi *Thuan. l. 53.*
ita reſpondit: „cum a Religione
„tota ſalus dependeat, ſaniora edoceri
„cupio, omnibusque de prompto ani-
„mo meo ſatisfactum erit.„ Attamen
Condæi reſponſum nullatenus æque

Sæcul. XVI. A.C. 1572

moderatum erat, nam is Regem his verbis alloquebatur: „cum in Patris „mei Religione enutritus, atque edu„catus ſim, hancque ſecuriorem exiſti„mem, Majeſtatem tuam rogo, ne con„ſcientiæ meæ vim inferre velit: nec „ſinit Deus, mi Rex, & Domine, ut „ex his tribus a te propoſitis primum „eligam; ex duobus autem reliquis al„terum, quod placuerit, Majeſtatis tuæ „arbitrio, ac voluntati relinquo, quam „Deus pro providentia ſua regere, ac „moderari dignetur: de cetero omnem, „quam a fideliſſimo quovis ſubdito ſpe„rare poſſis, obedientiam ſpondeo.„

§. XLV.

Patris Maldonati, ac Roſerii conatus in utroque Principe ad veram fidem revocandi.

Thuan. p. 836.

Percepto hoc reſponſo Rex omnem operam impendit, ut ambo Principes de Religionis Catholicæ veritate convincerentur, quam in rem cum Sorello Roſerio Miniſtro, qui Calvini ſectam nuper ejuraverat, colloquium habere conſtituit, cui ipſe etiam Navarræ Rex, Catharina Borbonia ejus Soror, Condæus Princeps, Maria Clivienſis ejus conjux, & Franciſca Aurelianenſis Condæi Socrus intererant, qui omnes jam olim pluribus circa fi-

dem

dem disputationibus cum Patre Maldonato Jesuita habitis præsentes aderant. Ibidem Roserius tanta verborum eloquentia, & rationum pondere perorabat, ut Navarræ Rex, regiæque Filiæ jam antea Caroli IX. minis territæ lubenti animo Religionem Catholicam amplecti decernerent: verum Condæus Princeps, cum sibi in publica hac concertatione nondum satisfactum putaret, seorsim Roserio colloquens: „Itane est, „inquit, prout palam edicis, & ex „animi sententia, seu potius metu ada„ctus contra mentis tuæ judicium lo„queris?„ cum ille autem affirmaret, & multis insuper rationibus ea, quæ animo sentiret, ac in nupero colloquio produxisset, corroboraret, Princeps eidem plura edisserendi spatium relinquens subjecit: „Si ita est, quemadmo„dum a puero in tua, tuorumque Col„legarum schola edoctus accepi, veri„tatis defensionem libenter capite ipso „redimam: sin vero erravi, & circum„ventus sum, errore deposito veritati „exploratæ cedendum est.„ Ab eo temporis momento Condæus Princeps circa suæ sectæ veritatem dubitare videbatur, tandemque in manibus Borbonii Cardinalis Calvini errores ejurabat.

Sæcul. XVI. A.C.1572.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XLVI.

Ambo Principes ejurata hæresi ad veram fidem reversi.

Placuit Aulæ tantopere Zelus, ac Roserii dexteritas, ut ejusdem opera Lutetiæ Parisiorum multis in locis hanc in rem seligeretur, ac ipse unacum Patre Maldonato Jesuita Diviodurum Mediomatricum decerneretur, ubi ambo amplam Evangelici laboris segetem collegerant. Postremo Roserius ad Montpenserii Ducis preces Sedanum quoque profectus est, ut Franciscam filiam Henrici Roberti Marciani Bullionii Ducis uxorem a Protestantium doctrina, quam illa amplectebatur, revocaret, qua tamen in re conatus ejus frustraneus fuit; unde mærore contracto, & crebris literis ab amicis e Germania scriptis monitus, & increpitus, infelix hic homo denuo ad spuriæ reformationis castra pertransiit, suæque sectæ immortuus periit.

Beza hist. Eccles. p. 475. l. 16.

§. XLVII.

Navarri, & Condæi literæ ad Papam.

Postea Navarræ Rex, ac Condæus Princeps die tertia Octobris ad summum Pontificem literas dabant, in quibus hæc exponebant: „Magno cum do„lore accidisse testamur, quod ab in„eunte

Thu. l. 53. p. 837. Spond. hoc ann. n. 16.

„eunte ætate falſa doctrina imbuti a „communione Eccleſiæ avulſi eſſemus, „id tamen factum culpa non tam pa„rentum, quam eorum, qui illos ſedu„xerant, quem errorem cum a Rege, „Regina parente, Regisque fratribus, „Cardinale Borbonio, & Montpenſerio „moniti agnovimus, ac deteſtati ſumus, „profeſſionem noſtræ fidei apud Pontifi„cium Oratorem depoſuimus, confiſi„que benignitati ipſius, qui tanquam „Chriſti in terris Vicarius, & gratia„rum cœleſtium per univerſum orbem „diſpenſator univerſos obvia humani„tate complectitur, ad ejus miſericor„diam confugimus, & petimus, ut a „te in gremium Eccleſiæ recipiamur, & „impedimentum, quod matrimoniis a „nobis nuper contractis, quo minus le„gitima, & ex iis ſuſcepti liberi cen„ſeantur legitimi, obeſſe poſſit, nobis „facta conſanguinitatis gratia remo„veas.„ Tam luculentis debitæ ſubmiſſionis teſtificationibus permotus Pontifex die prima Novembris utrique perbenigne reſpondit, ac dilaudata illorum pietate, & fide non modo petitum diſpenſationis diploma transmiſit, ſed etiam ſpeciali Bulla utriusque Principis matrimonium ratum habuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. XLVIII.

Navarræ Regis edictum pro Religione Catholica in ſuis ditionibus reſtauranda.

Ciacon. l. c. Dupleix p. 783.

Interea Navarræ Rex, ut luculentius ejurati erroris, ac Religionis Catholicæ ſerio adoptatæ teſtimonium præberet, die decima ſexta Octobris edictum promulgari juſſit, quo ex conſilio uxoris ſuæ, Reginæ, Cardinalisque Borbonii patrui ſui per univerſas ſuas ditiones, & præcipue in Bearnenſi principatu, ubi a parente ipſius ante aliquot annos ex Comitiorum Provinciæ decreto Majorum Religio abolita fuerat, & Proteſtantium doctrina recepta nunc Calviniſtarum ſectæ inter eos adoptatæ uſum interdixit, mandavitque, ut priſca Religio tamdiu intermiſſa inſtauretur, & bona ſacro ordini adempta reſtituantur, Paſtoribus, niſi ad Majorum ſacra redeant, faceſſere juſſis. Edictum hoc Grammontano, Bearnenſis Provinciæ Gubernatori, aliarumque ditionum præſidi perferendum, & exequendum committitur, cujus tamen conatus in irritum cecidit, Bearnenſibus obtemperare recuſantibus, & hoc mandatum, non libera voluntate, ſed a captivo Principe ſuo non ſine conſcientiæ violentia profectum interpretantibus.

Præ-

Sæcul.XVI. A.C 1572.

Præterea regium quoque edictum conditur, quo omnibus Protestantium doctrinam professis, etiamsi Religioni illi renuntiassent, publica munera adimuntur, sive illa ad judiciarium ordinem, sive ad equestrem pertinerent: eximebantur tamen ab eo numero, qui minora officia administrabant, dummodo juxta solemnem abjurationis publicæ formulam errorem suum palam detestarentur.

Sub idem tempus Carolus quoque Lotharingiæ Dux die decima quarta Septembris edictum condebat, quo populis ditioni suæ subjectis Religionis Protestantium usum, quem licentia invaluisse sine suo jussu dicebat, omnino interdixit, facultate tamen facta Protestantibus res suas vendendi, & negotia sua intra unius anni spatium gerendi, & inde alio libere migrandi.

§. XLIX.

Sigismundi Augusti Poloniæ Regis obitus.

Hoc anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo die septima Julii Sigismundus Augustus Poloniæ Rex Knisiniæ in Lithuania decessit, postquam annum ætatis suæ quinquagesimum secundum, Regni vero sui vigesimum quintum explevérat, nullis hæredibus relictis, etiamsi tres

Thuan. l. c. Mezeray abrege chronic. tom. 3. p. 248.

Sæcul. XVI. A.C.1572.

tres habuiſſet uxores Iſabellam, ſeu Eliſabetham Auſtriacam, Barbaram Razeviliam, & Catharinam Auſtriæ Archiduciſſam, ex quibus prima, & tertia Ferdinandi I. Cæſaris Filiæ erant. Porro Sigismundus poſtremus erat inter Iagellonicæ ſtirpis Principes, qui per ducentos ferme annos Polonicum ſceptrum rotabant: is vero receptis Eccleſiæ Sacramentis in fide Catholica conſtans, ac pius in Domino obiit, priusquam vero moriebatur, paulo ante Balegnius nothus Montluci Valentini Præſulis Filius hoc regnum Andegavenſi Duci procurare apud Poloniæ Proceres nitebatur: mortuo autem Sigiſmundo quantocius in Franciam reverſus eſt, miſſo in ejus locum ipſomet Montluco, qui vix in Poloniam delatus confeſtim Bazinum, quem a ſecretis habebat, ad comitia Varſoviæ celebranda ablegare feſtinabat unacum literis die vigeſima octava Octobris ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Palatinos, Regnique Senatores datis, quibus Andegavenſem Ducem eligendum proponebat; inſuper etiam Bazino tradebatur Scriptum quoddam, ſeu apologia ob Pariſienſis tumultus invidiam, cum Dux hujus cædis conſcius a nonnullis diceretur: equidem hujus Scripti Author horrendam hanc ſtragem negare non audebat, eam ex-

excusabat tamen, caussatus, nullatenus hoc scelus dedita opera fuisse patratum, sed consensum a Rege per duram necessitatem fuisse extortum, ut Protestantium violentiam, quam hi post Architalassi Colonii vulnerationem moliebantur, cohiberet: re autem jamjam confecta Rex, cum alia via remedium adhibere haud posset, hunc tumultum approbare simulasset: præterea funestam hanc diem Divo Bartholomæo sacram Guido Faber Bibracius excusabat, hancque in rem ad Stanislaum Elvidium epistolam perscripsit, in qua demonstratum ibat, quod hoc facinus laude dignum nullatenus læsis justitiæ præceptis executioni fuerit datum. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. L.

Pomponii Belleverii oratio ad Helvetiorum Magistratus.

In præsenti rerum vicissitudine memoratu dignum est, quod Franciæ Rex apud exteros etiam Principes hujus cædis culpam excusare studuerit; quippe hanc in rem ad Helvetios Pomponius Belleverius, apud quos olim Regis nomine Orator erat, reverti jussus, sua eloquentia demonstrare nitebatur, quod Colinius consilium Regem necandi cepisset, ac magnas passim emuncta Gallia pecunias, multamque auri, & argenti *Thu. l. 53.*

Sæcul. XVI A. C. 1572.

genti vim congeſſiſſet, ut ſe Regi potentia, atque opibus adæquaret, hacque ratione, cum ſibi commodum videretur, exercitum ad turbandum regnum compararet: præterea Belleverius de eodem Colinio edicebat, quod palam in ſanctiore conſilio Regi interminatus eſſet, niſi bellum Hiſpanis inferret, fore, ut potiorem Galliæ partem adverſus Regiam Majeſtatem ipſus concitaret, quam in rem ſemper circa ſe latrones hominibus necandis exercitatos, certos item alios in quibusque Regni provinciis habere dicebatur, quorum celeri opera in mittendis nuntiis, & exercitibus conſcribendis uteretur, adeo ut eam ob cauſſam Regi, & univerſæ Galliæ terribilis fuerit: his multa ſubjuncta erant, quæ ad ambitionem Colinii exagitandam, & ejus famam magis obſcurandam ſtudioſe prolata fuerant. Verum ad hanc ejus orationem poſtmodum latino ſermone vulgatam brevi reſponſum eſt ſcripto admodum acri, & conviciis pleno Wolfgangi Prisbrachii Cracovienſis nomine edito.

§. LI.

Carpenterii ſcriptum in eandem rem.

Thu. l. c.

Sub idem tempus Belleverius itineris ſui ſocium ſelegerat Petrum Carpenterium Toloſanum, qui jus civile aliquando

quando Genevæ publice profeſſus fervente Pariſienſi tumultu apud eundem Belleverium ſuum habuit perfugium: cum autem Rex, ac Regina de egregiis hujus Viri dotibus certiores fierent, eundem tam promiſſorum, quam munerum amplitudine ſollicitabant, ut cædem in feſto Sancti Bartholomæi patratam pariter tueretur: igitur hac de re Carpenterius Argentinam contendit, ubi etiam traditis aliquamdiu Jurisprudentiæ præceptis ſe benignis omnino auribus excipi ſperabat, ibidemque die decima quinta Septembris contra Proteſtantes, qui Cauſſarii vulgo appellabantur, epiſtolam perſcribebat, eamque ad Franciſcum Portum Cretenſem linguæ Græcæ peritum, atque in ædibus Renatæ Ferrarienſis Duciſſæ in Italia enutritum tranſmittebat: ergo præprimis Carpenterius duo inter Galliæ Proteſtantes genera fuiſſe dicit, quorum alterum *pacatorum*, qui ad retinendam ſuam religionem ſolum reſpiciebant, alterum autem erat eorum, qui ſe cauſſam communem propugnare ubique fingebant, de cetero autem homines a pacis conſiliis abhorrentes, ac factioſi exiſtebant: poſtea in eodem ſcripto addit, quod unusquisque ex hiſce Sectatoribus privatos ſuos habeat Miniſtellos: denique Pariſienſem lanienam

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul. XVI. A. C. 1572. nam excusare conatus hujus cædis executionem omnino æquam fuisse demonstrat, imo & necessariam, ut impia hæc factio ad regiam auctoritatem labefactandam, fidem urbium sollicitandam, tranquillitatemque publicam turbandam, in perniciem denique protestantium, & religionis ipsorum a turbulentis hominibus, & patriæ hostibus conflata everteretur: attamen ad hanc epistolam Portus, seu quiscunque alius sub ejus nomine, Kalendis Martii anni insequentis, non sine multa verborum acerbitate respondit.

§. LII.

Balduinus hanc cædem vindicare ab Andegavensi Duce rogatus sed obluctatus.

Cum Parisiensem cædem defendere, magis Andegavensis Ducis, quam ipsius Regis interesset, in opem etiam Franciſci Balduini celebris Jurisconsulti eloquentiam, calamumque adhibere nitebatur. Hic in Germaniam delatus in celebrioribus Academiis Jurisprudentiam profitebatur, cædem tamen in festo Divi Bartholomæi patratam ex animo detestatus sese excusabat, acresque cum Calvinistis Genevensibus contentiones caussabatur, quibus fore dicebat, ut illa, quæ ab ipso proficiscerentur,

rentur, in ea cauſſa minime in bonam partem acciperentur. Sæcul.XVI. A.C.1572.

Ceterum ſat manifeſtum erat, genuinam hujus repulſæ cauſſam fuiſſe, quod ſincere illud facinus abominaretur, cujus defenſionem in ſe ſuſcipere fuerat rogatus: verum hac agendi ratione Balduinus probum ſe eſſe virum teſtabatur, ex adverſo autem eo magis vituperandum eſt, viros dignitate, pietate, integritate, ac doctrina præſtantes, & ab omni fuco, & vanitate alienos, Morvillerium, Thuanum, Monlucium, Pibracium, & Belleaureum, ut regni bono inſervirent, non metu, aut ſpe, ſed præſenti rerum ſtatu eo adductos fuiſſe, ut rem, quam in corde ſuo deteſtabantur, aut ſimulate laudarent, aut officioſa excuſatione obſcurarent.

§. LIII.

Equites Ordinis Sancti Michaelis in Eccleſia Beatæ Virginis congregati.

Cum in Galliis præcipua cura eo abiret, ut populus ſedaretur, eique perſuaſum fieret, quod tandem exterminatis iis, qui ſuis factionibus pacem turbabant, regno priſtina ſua tranquillitas ſuerit reddita, hinc Rex Equites Ordinis Sancti Michaelis in Eccleſia Beatæ Virginis Pariſios venire præcepit, ubi cum cuncti præſtituta die vigeſima *Thu. p. 844.*

Sæcul. XVI. A C. 1572.

nona Septembris solemni ordine procedentes, ibidem festivitate Sancto Michaeli sacra congregati essent, ac Rex in suo throno consideret, peracto sacro libellus supplex eidem ex compacto porrigebatur, Nobilium priscam Religionem profitentium nomine, in quo maximun. adhuc nobilium numerum in regno supereſſe, abs dubio ea ex causſa dicebant, ut nuper interfectorum memoria induceretur, & jactura illa, qua Galliam adeo debilitatam jactabant, elevaretur. Hi ergo postulabant, ut Religio una, videlicet ea, cui a Majoribus per successionem acceptæ regia Majestas, ac regni salus innititur, ipsius Regis auctoritate in posterum constituatur, atque id, quod ipse Rex nuper super ea re ad tempus statuerat, nunc in perpetuum decernatur: quam ad rem efficiendam, si opus fuerit, hi Nobiles operam suam magno consensu deferebant. Hunc libellum Rex benigne accepit, & ea in re, quod magis expediret, facturum se spopondit.

§. LIV.

Senatus edictum contra Architalassum Colinium.

Thu. & Dupleix p. 794. l. c.

Interea in Senatu quæstio in Colinium defunctum, ac conscios maturabatur, ac tandem die vigesima septima Octo-

Octobris promerita contra Colinium mortuum fertur ſententia, qua tanquam Majeſtatis rèus, pacis, & tranquillitatis publicæ hoſtis, & initæ adverſus Regem conſpirationis auctor, & inſtigator damnatur, bonisque omnibus ærario publico addictis, ejus memoria infamiæ nota aſpergitur, illiusque nomen in perpetuum aboletur, decerniturque, ut corpus illius, ſi uſpiam inveniri poſſet, aut ſi minus, imago crati impoſita a carnifice per urbis vias raptetur, & in ripenſi foro ad patibulum ſuſpendatur, atque inde ad Monfalconias furcas in editiorem locum transferatur; inſuper ſanciebatur, ut ejus inſignia ad caudas equorum alligata itidem in ſempiternæ ignominiæ teſtimonium per urbes raptentur, illaque omnia, quæ ubicunque locorum toto regno in ejus honorem erecta, & ad decus affixa comperientur, a carnifice publice confringantur, ac lacerentur: ſtatuæ item ejusdem, & imagines ubique concerpantur, & aboleantur: ædes quoque illius primariæ Caſtellione ad Lupam ſolo æquentur, nec ibi fas ſit unquam ædificium inſtaurare, arbores in illius ſepto ad mediam altitudinem cædantur, ſolum ſale conſpergatur, & in media area columna ſtatuatur cum lamina ærea, cui præſens Senatusconſultum

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

inſcribatur: præterea illius liberi ignobiles, & infames pronuntientur, & indigni, qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruantur, iis, ſi qua poſſidere comperiantur, in ærarium publicum redactis. Eodem denique edicto ſtatutum, ut quotannis vigeſima quarta Auguſti, quæ dies B. Bartholomæo ſacra eſt, ſolemnes ſupplicationes ad gratias Deo agendas, & celebrandam illius diei memoriam in univerſa urbe habeantur, ac divinæ clementiæ laudes perſolvantur, eoquod Regem, ejusque Regnum a ſuorum ſubditorum conſpiratione in ejus perſonam conflata liberare, illiusque Auctores pro criminis modo plectendi opportunitatem benigne concedere voluerit.

§ LV.

Bricomotii, & Cavagnii ſupplicium.

Thuan. l. c. Mezeray abrege chr. t. 5. p. 258.

Eadem die contra Bricomotium, & Cavagnium, qui non ita pridem comprehenſi fuerant, alia ſententia haud minus ſevera pronuntiabatur. Juxta non nullorum relationem Bricomotius jamjam ſeptuagenarius, cum cetera hujus ſententiæ capita patienter excepiſſet, ad ſuarum prolium mentionem præ doloris vehementia exclamavit, ecquid illi commeruiſſent, cur tam ſevere cum illis ageretur: poſtea cum ambo diverſi

ad

ad anulos ferreos alligati essent, ipse morte territus indigna conditione de vita paciſci voluit, ablegatis ad Regem amicis ſuis, qui Rupellæ, de cujus obſidione jam fama increbuerat, expugnandæ rationes, ſi ſibi vitæ gratia fieret, ſe exploratiſſimas habere renuntiarent: verum hac conditione a Rege repudiata, alia propoſita eſt, vi cujus crimina objecta agnoſceret, & conjurationem a Colinio contra Regem initam coram populo fateretur. Aſt hanc ille viciſſim conditionem, cum ſe hujus criminis haud reum crederet, acceptare recuſabat. interim Cavagnius inter hæc ſumma conſtantia defixis in cœlum oculis, preces ex pſalmis aſſidue recitabat, & cum timeret, ne Bricomotius animo linquens magno famæ diſpendio breve vitæ tempus redimere vellet, eum conſtantiæ, quam in belli periculis per tot annos ad hanc diem multa cum laude exhibuiſſet, memorem eſſe juſſit: quibus verbis generoſum virum pudore incuſſo ad mortis contemptum confirmavit, & ita ambo cratibus impoſiti ad ſupplicium rapiuntur, & per carnificem ſcalis dejecti laqueo ſuffocantur. Sæcul.XVI. A.C 1572.

Ad idem patibulum ſupendebatur Colinii effigies ſtraminea, cujus ori ad ludibrium dentiſcalpii fruſtulum inſere-

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

tur, quo Colinius vivus ad purgandos dentes uti solitus erat, & fere semper in ore profundissima cogitatione, quasi aliud agens, rotabat. Porro hoc Bricomotii & Cavagnii supplicium Rex cum Regina parente ex urbis ædibus velo fenestræ prætenso conspexit, huicque funesto spectaculo Navarrum Regem interesse voluit.

§. LVI.

Inchoata Rupellensis Urbis expugnatio.

Thuan. l. 53. *pag.* 846.

Calviniſtæ, cum ubique suæ securitati diffiderent, urbes, in quibus numero superiores erant, munire cæperant, aliasque Catholicis eripere præsumebant, imo etiam paucos intra dies quamplurima oppida sibi vi vendicabant: cum vero Rex præcipue Rupellensem civitatem ad obsequium revocare statuisset, eo Gubernatorem ablegabat Bironium: ast cædis nuntio apud Burdigallenses eodem tempore patratæ, cui seditiosi quorumdam Concionatorum sermones ansam dedisse dicuntur, ad Rupellenses perlato cives novum hunc Gubernatorem recipere renuebant: itaque Bironius horum pertinaciam edoctus Surgeriis die vigesima sexta Septembris ad eos epistolam hujus tenoris perscripsit: „displicet mihi, quod „con-

„consilium arripere volueritis vobis tan- Sæcul. XVI.
„topere funestum, rem tamen interea A.C.1572.
„Regi non manifestabo, donec ad sa-
„niora reversi sententiam vestram mu-
„taveritis.„ Pariter die duodecima Octobris Navarræ Rex, necnon Carolus IX. ac Regina ejus Mater, & Andegavensis Dux datis ad eosdem literis illos ad pacem hortabantur: nihilominus Rupellenses rescribere audebant, se quidem pro egregia Regis in eos voluntate grates rependere, simul tamen rogare, ut prius classem alio secedere jubeat; caussabantur enim, quod alioqui in tanta trepidatione nihil certi de rebus suis statuere possent: his addebant, si hoc a Regis benignitate impetretur, certum hoc futurum erga se regiæ voluntatis pignus, atque adeo ad augendam, & amplificandam erga eum obedientiam stimulos additurum. Ergo a Rege ad illos Joannes Durandus, qui res Rupellanorum Lutetiæ procurabat, mittebatur unacum Christophori Thuani literis, quibus a Rupellensibus multum tribui sperabatur, eoquod Thuanum erga ipsos bene jam a longo tempore affectum, pacisque cupidum nossent.

Insuper Oartisius ad eos perscribere rogabatur, spe concepta, quod ejus monitis, cum ipsemet Protestantium

Sæcul. XVI A.C. 1572.

partes sequeretur, eo promptius obtemperaturi essent. Denique missus a Rege Franciscus Folius Vigeanus e primaria Pictonum Nobilitate, cujus præsentiam, & auctoritatem apud eos plurimum profuturam sperabant, qui tamen intra urbem minime admissus est, cum Rupellenses illi satis se feciſſe crederent, si duntaxat ad eum quosdam ablegarent Deputatos, quibuscum Folius conferre posset: ast hujus quoque Viri conatus in irritum cecidere.

§. LVII.

Regis edictum pro Protestantium securitate promulgatum

Thuan. pag. 850.

Eodem ferme tempore Rex die octava Octobris aliud edictum promulgari jussit, quo testabatur, quod eorum, qui metu adacti longe a domo ad urbes dissitas, aut etiam extra regnum migraverant, vicem doleret, cum vero hi abs dubio summa rerum penuria laborarent, hinc mandabat Præfectis, ut absentium nomina describant, eosque trina denuntiatione, ut domum redeant, citari curent, securitate, incolumitate, & bonorum omnium libera possessione, ac restitutione obtemperantibus promissa: nisi vero paruerint, bona eorum annotari, & per procuratores regios administrari jubeant. Aliquan-

quanto post scilicet vigesima septima Octobris die alterum edictum in gratiam Protestantium condebatur, quo Rex severe prohibuit, ne ullis, iis tamen exceptis, qui contra ipsum Regum conjurassent, molestia, aut periculum ob Religionem creetur, & si qui carceribus ob id detineantur, solvantur, bonisque suis restituantur, atque in Præfectorum tutela sint, qui, si quid illis sinistri contingat, eorum damnum proprio periculo luant. Hac edictorum moderatione multi ex nobilitate domum revocati fuere, qui aut extra regnum, ut auxilia a Principibus Protestantium caussæ faventibus sollicitarent, abiisse credebantur, aut in urbibus, ad quas confugerant, multitudini confusæ, pavidæ, ac fere imbelli se Duces præbere potuissent. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. LVIII.

Rupellenses auxilia ab Anglis efflagitantes.

Dum interim Aula tam ingenti moderatione ad sedandos Calvinistas utebatur, Rupellenses, qui Bironium ad urbem suam admittere pertinaciter recusabant, semel, atque iterum delegatos in Angliam ad Mongomerium comitem, qui cum Carnutum vice-Domino eo se contulerat, ad accersenda *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572

auxilia mittunt: igitur Rex horum contumacia exacerbatus die sexta Novembris ad Bironium mandata dat, quibus Rupellanis, nisi sine exceptione, & nulla interposita mora ipsum admitterent, bellum denuntiaret, & cum iis tanquam perduellibus, ac Principi suo rebellibus, læsæque Majestatis crimini obnoxiis agere jubebatur. Accepto hoc mandato mox quidam munitionum Architecti unacum triremibus eo mittuntur, ut Rupellæ situm, portumque explorarent: verum crebris tormentorum ictibus a Calviniſtis repelluntur: eapropter res ad apertum bellum spectabat, quod tamen lentius agebatur, ut interea omnia incolas ad sanıora reducendi media adhiberi possent.

§. LIX.

Franciscus Lanoius Gubernator Rupellas a Rege Deputatus.

Thuan. pag. 851. Mezeray pag. 263.

Rex, ut oppidanos lenitate ad obsequium revocaret, ad ipsos Gubernatorem ablegabat Franciscum Lanojum secta Calviniſtam, quem Longevillæ Dux veteri amicitia eidem junctus ad aulam invitabat: priusquam vero Lanojus discedere permittebatur, Rex illum in Gondii ædes deductum ad privatum colloquium admisit, excusatisque, quantum valuit apud eum, illis rebus, quæ

quæ in tumultu Parisiensi acciderant, etiam bonorum Telinii, cujus ille Sororem in uxorem duxerat, gratiam fecit, laudataque ejus integritate cum summa fortitudine conjuncta, & alieno ab omni factione ingenio, ad extremum rogavit, ut partes suas interponat, & Regni tranquillitati simul, ac Rupellanorum saluti operam navare velit. Lanojus cum se ab initio excusasset, tantoque negotio se imparem, ac minus idoneum ostenderet, instante tandem Rege imperium accepit, ea lege, ut Rex ad fallendos eos se administro, suaque, tanquam proditoris, opera minime uteretur; hoc enim ab ingenio suo, & decore, quod vitæ apud se præponderet, summopere abhorrere ajebat, atque in eam rem data a Rege fide sibi caveri voluit. Sæcul.XVI. A. C. 1572.

§. LX.

Lanojus a Rupellensibus indignum in modum exceptus.

Itaque Lanojus Rupellas proficiscitur unacum Joanne Baptista Guadagnio Florentino, quem ei Rex non tam itineris socium, quam omnium ejus actionum exploratorem adjungebat: verum Lanojus talem suæ dexteritatis, ac sinceritatis testem habere haud ægre ferebat: cum autem ad urbem non admitte- *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

mitteretur, in Tarlonio pago ſubſtitit, ubi indignum in modum a Rupellenſium Deputatis excipiebatur, qui Virum ſibi ignotum eſſe ſimulabant, & Gubernatoris officium ipſi demandatum nonniſi cachinis, ac ludibriis explodentes interrogabant: „Esne tu ille Lanojus? id haud credimus; is enim, „qui olim nobiſcum conjunctiſſimus nomine Lanojus diu vixit, aliam, quam „tu nunc, perſonam apud nos geſſit, „quippe quos in cauſſa communi magna virtute, ac conſtantia tuendos perpetuo ſuſceperat, nec promiſſis corruptus inani ſpe nos aluit, aut interpoſito ſub amicitiæ ſpecie colloquio proditionem molitus eſt: porro illius tu quidem faciem, minime vero voluntatem refers: quam ob rem ad tuos te penates recipe.„ His verbis illatam ſibi injuriam cum ſumma patientia diſſimulans Lanojus, tandem precibus obtinuit, ut illi Deputatos mitterent, qui poſtulata ſua ad Senatum relaturos ſe promitterent: quid vero in hoc Senatu fuerit decretum, ignoratur, interim id unice conſtat, quod Lanojo reſponſi loco a Rupellenſibus fuerint tres conditiones propoſitæ, ut ex iis, quam vellet, eligeret I. an tanquam privatus in civitatem recipi vellet, II. utrum copiarum, quæ ejus auſpiciis duceren-

cerentur, imperium ſuſcipere non gravaretur. III. an denique, ſi has conditiones reſpueret, & abitum pararet, quamcunque vellet, navim conſcendere, atque in Angliam contendere mallet. Verum ex iis Lanojus, poſtquam cum Vadagnio collocutus eſt, illam, quæ dignitati ſuæ magis conveniret, conditionem acceptabat: igitur ſupremam in urbe auctoritatem, imperiumque ſibi oblatum ſeligebat, hacque ratione in civitatem admiſſus eſt. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. LXI.

Plures Belgii Urbes ad Oranium Principem deficientes.

Nec major tranquilitatis aura Belgis, quam Francis adſpirabat; plurimos enim Albæ Ducis auſteritas ad ſeditionem concitabat, hinc non paucæ Urbes ſeſe Arauſionenſis Principis imperio ſubjiciebant, cum aliunde Proteſtantium ſecta latius ſeſe extenderet, ac hæretici crebras reportarent victorias, quamvis Hiſpani eorum progreſſus ſiſtere totis viribus adlaborarent; quippe conjurati jamjam usque ad Hollandiæ Provinciam ſuis armis penetrabant, cumque Hiſpani, qui eos inſequebantur, non tam militum, quam Tyrannorum more paſſim ſævirent, plures ferme victorias hoſtibus ſua crudelitate *Thuan. l.c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

tate procurabant, quam propriis armis reportaverant; tantopere enim durum, atque inhumanum tam arrogantis, ac imperiosi populi jugum subire reformidabant omnes, ut urbes cunctis viribus sese Hispanorum progressibus opponere satagerent, mallentque ad hostium suorum castra transire.

§. LXII.

Ursinus Cardinalis Legatus in Franciam a Papa decretus.

Ciacon. t. 3. Duchesne hist. des Papes p. 433. Thuan. l. 54. pag. 879.

Ferventibus hisce tumultibus Gregorius XIII. Papa ad omnes Europæ aulas suos decernebat Legatos, ut cunctos Principes hortarentur ad arma capessenda adversus Turcas, qui extremam cladem Christianis intentabant: igitur Papa in Gallias tanquam Legatum, qui Carolum IX. ad fœdus cum ceteris Principibus ineundum sollicitaret, Fulvium Ursinum Cardinalem ablegabat: ast hic Franciam in longe alia rerum facie repererat, quam existimabat, ac Romæ compererat: nonnulli enim ex Gallis metu fracti, ac terrore concussi languebant, alii autem sævitia nuper exhibita exacerbati fremebant, totum denique Regnum tumultibus undique agitatum cernebatur; præterea haud parum hic Cardinalis mirabatur, quod nonnulli palam detestari auderent

rent ejusmodi facinus, cum tamen illud in Italia, & Hispania amplis celebraretur elogiis: imo insuper idem ducebat mirum, quod ipsemet Rex, cujus tamen sapientia, ac prudentia, quam hoc facinore testatam reddebat, extra Franciam plurimum commendabatur, nunc non sine pudore de hac cæde mentionem faceret, illamque velut rem præcipiti consilio inchoatam, ac potius ex necessitate, & occasione natam, quam ex Religionis Zelo, & æquitatis studio profectam excusaret. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. LXIII.

Regis repulsa circa Synodum Tridentinam in Galliis promulgandam.

Cum Legatus denuo cum Rege conferret, vehementer mirabatur, quod Concilium Tridentinum nondum in Franciæ Regno esset promulgatum, etsi a tempore, quo illud erat absolutum, jamjam novem anni præterfluxissent: eapropter, quod tanta mora Universo Christiano Orbi offensioni esset, Regi proponebat, eumque Pontificis nomine rogabat, ut tandem hanc Synodum in suo Regno recipi curaret: porro has preces sæpius innovabat, ac uberrima, quæ ex hoc Concilio profluunt, emolumenta identidem exaggerans omni data occasione decretorum sapientiam extol- *Thuan. l. 54.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

extollebat, eaque recipi petebat, verum ejus preces, ſollicitationes, imo & validæ illius rationes nonniſi ſurdas pulſabant aures; quippe Rex nonniſi vagis oppido verbis coram Legato ſuum erga veram fidem ſtudium, immotumque in ſacram Sedem obſequium jactitans addebat: nunc Papæ precibus deferre, præſenti rerum mearum viciſſitudine prohibeor: his dictis Legatum valere juſſit, licet alia in occaſione, ubi rurſus hac de re agebatur, clarius mentem ſuam explicans declararet, quod hæc Concilii promulgatio circa res ad fidem ſpectantes in ſuo Regno haud eſſet neceſſaria, cum Religio ibidem integerrima conſervaretur: quo minus vero ea, quæ diſciplinam, & præcipue particulares quosque Synodi articulos concernunt, promulgare valeat, per nuperam Proteſtantium rebellionem, pluresque alias privatas rationes præpediatur: de cetero ea, quæ honeſte ab eo exigi poſſent, per ſua edicta ſupplere ſe paratum dicebat: poſtquam vero Urſinus Cardinalis e Galliis diſceſſerat, Rex eo paulopoſt Nicolaum Dangennium Rambuilletum, Oratorem ſuum dignitate, rerumque gerendarum dexteritate clarum Romam decernebat, quem brevi Joannes Durfortius Duraſius ſequebatur, qui pariter tanquam Na-

Navarræ Regis Legatus Romam profectus est. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. LXIV.

Ordo Militaris Equitum S. Mauritii in Sabaudia institutus.

Eodem hoc anno Summus Pontifex ad Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis preces Ordinem Equitum sancti Mauritii erexit, quam in rem diploma die decima sexta Septembris Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo secundo edidit: Itaque Papa præfato Duci hunc Ordinem sub sancti Mauritii invocatione instituendi facultatem concessit, eo fine, ut Equites sese opponerent hæresi, quæ in plures jamjam Provincias irrepserat, & Sabaudiæ fines invadere moliebatur. Die vigesima tertia proximi Mensis Novembris idem Dux aliud impetrabat diploma, vi cujus perantiquus sancti Lazari ordo cum novo hoc sancti Mauritii ordine uniretur, ea lege, ut Equites recens creati nuncuparentur Equites sancti Mauritii, & sancti Lazari, simulque Sabaudiæ Ducum, qui semper magni hujus militiæ Magistri erunt, sumptibus ad sacram Sedem contra Infideles, hæreticos, Piratas, aliosque Ecclesiæ hostes defendendam duas triremes paratas tenerent: insuper Papa

Bullar. t 2. Constit. 6. & 7 Greg. XIII. Heliot. hist. des ord. monast. t. 6. Ciacon. t. 4. pag. 24.

Sæcul. XVI. A.C. 1572. Equitibus Ciſtercienſium regulam præſcripſit unacum voto paupertatis, obedientiæ, & Caſtitatis conjugalis, adeo, ut hi milites cum unica tantum, & ea quidem Virgine matrimonium inire valeant: denique ab eis exigebat Pontifex, ut fidei Catholicæ Profeſſionem nuncuparent haud abſimilem illi, quam Pius IV. Papa juxta Tridentini Concilii doctrinam vel ad Eccleſiæ ſinum recipiendis, vel ad Univerſitates admittendis præſcripſerat.

§. LXV.

Varia ſtatuta a novo Pontifice ſancita.

Porro neo-electus Pontifex in primo Patrum Senatu Cardinalibus impenſe commendabat, ut ſacræ Inquiſitionis, hujusque Tribunalis auctoritatem in ſua virtute conſervare ſtuderent, totoque ſtudio exequendis Concilii Tridentini decretis præcipue morum emendationem concernentibus invigilarent: inſuper ex eodem ſacro Collegio quosdam nominabat, qui jamjam inchoatum librorum prohibitorum Indicem ad exitum deducere curarent. Epiſcopis denique injunxit, ne illis, quos nec morum integritas, nec vitæ honeſtæ fama commendat, ſacros Ordines conferrent, quam in rem Hiſpa-

niæ

niæ Regem rogabat, ut ex ſuis ſubditis probatiorum nomina ſibi deſignare velit, quatenus poſtmodum eorum merita digno præmio compenſare valeat. Sæcul. XVI. A. C. 1572.

§. LXVI.

Duo Nepotes in Cardinales nominati.

Poſtea ex ſuis Nepotibus duos ſacro Cardinalium Collegio adſcripſerat, ut cum eis Univerſæ Eccleſiæ ſollicitudinem partiri poſſet: porro eorum primus erat Philippus Boncompagnus, qui die ſecunda Junii hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo purpuram obtinuit, ac Cardinalibus Presbyteris accenſitus fuit ſub titulo ſancti Xyſti, qui etiam ab eodem Pontifice Major Pœnitentiarius eſt renuntiatus. Alter erat Philippus Guaſtavillanus unicus ex Gregorii XIII. Sorore Filius, quem Papa nonniſi anno ſequenti Menſe Julio Cardinalem Diaconum titulo ſanctæ Mariæ Novæ, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium nominabat. *Ciacon. p. 45. & 46.*

§. LXVII.

Spinoſæ Cardinalis obitus.

Hoc anno tres Cardinales mundo valedicebant, quorum primus erat Didacus Spinoſa natione Hiſpanus, ac Petri Spinoſæ filius, qui abſoluto Canoni- *Ciacon. t. 3. pag. 1031. Aubery vie des Cardinaux.*

Sæcul.XVI. A.C.1572.

nonicæ, ac civilis jurisprudentiæ ſtudio utramque ſcientiam adhuc juvenis in Salmanticenſi Univerſitate, imo & Complutenſi, prout nonnulli referunt, publice profeſſus ingentem eruditionis ſuæ laudem ſibi comparabat: eapropter a Philippo II. ob explorata ipſius merita Caſtellæ Præſidem, necnon ſupremum totius Hiſpaniæ Inquiſitorem agere juſſus primo Serguntiæ Epiſcopus, demum a Pio V. Menſe Martio Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo Cardinalis nominabatur, quamvis nonniſi quatuor annis cum ſemeſtri purpura frueretur, vita functus Madriti feria quarta die quinta Septembris hoc anno: porro corpus ejus ad vicum Martini-Mugnoz in veteri Caſtella, ubi natus erat, delatum eſt. Fertur, quod poſt Didaci Cardinalis obitum, cum Philippus ſecundus Rex Hiſpaniæ Regni ſui urbes inviſeret, & per prælatum vicum tranſiens Miſſæ ſacrificio intereſſet in ipſo Sacello, in quo hujus Cardinalis oſſa ſervantur, re divina peracta filium ſic affatus fuerit: „Hic jacet miniſtrorum, „quos habui optimus.„ Enimvero Spinoſa æquitatis ſtudioſiſſimus omnes judices, qui ſordidum quæſtum exercebant, ſevere caſtigabat, præcipue vero ex pluribus, quibus inclareſcebat virtutibus

bus, in eo enituit humilitas, ac singularis paupertatis amor, necnon animus a proprio quæstu summopere alienus, quarum virtutum splendore sibi etiam omnium venerationem conciliabat. Sæcul. XVI. A.C.1572.

§. LXVIII.

Cardinalis Hieronymus de Corrigio mortuus.

Alter erat Cardinalis Hieronymus de Corrigio Filius Gilberti hujus nominis tertii, qui secundis nuptiis Veronicam Gambaram, quæ sui ingenii acie, ac virtutibus ævi sui Matronas longe superabat, sibi matrimonio junxerat, duosque ex ea susceperat Filios, quorum primus nominabatur Hypolitus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo vita functus, alter vero Hieronymus, cujus nunc mentionem facimus. Hic Bononiæ studiis operam navans demum sub Pauli III. Pontificatu Romam pervenit, atque ab eodem Papa Anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quadragesimo Sedis Apostolicæ Nuntius in Gallias decernebatur, ut Francisco I. ob præmaturam Filii sui Aurelianensis Ducis mortem Pontificem maximo dolore affectum significaret. Mortuo Paulo IV. Hieronymus aliquamdiu cum Cardinale Alexandro Farnesio Pon-

Ciacon. pag. 942. Bon. Angli in hist. Parmensi Aubery l. c.

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

tificis Nepote versatus, atque in Hispaniam ablegatus est, ut cum Philippo II. de Placentina Urbe Octavio Farnesio Parmensi Duci illius Cardinalis Fratri restituenda ageret, cum autem hac legatione feliciter fungeretur, in obsequii præmium ab Octavio Duce castrum Corrigium dono accepit, eoquod hanc arcem contra Ferrarienſis Ducis impetus strenue defendisset. Denique a Pio IV. in Papam electo, qui Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo jam altera vice Cardinales creaverat, purpura decoratus est, postquam per octo jamjam annos Tarentinum Archiepiscopatum rexerat. Tandem etiam a Pio V. ad Marchiam Anconitanam decretus ibidem maritimas urbes munire, atque propugnacula erigere jussus est, ut Turcis, qui cum numerosa classe ibidem exscensuri timebantur, resisti posset: cum ergo demandatum hoc negotium prospere admodum ad exitum deduxisset, Pio V. vita functo, de eo in Pontificem eligendo in comitiis pro electione Gregorii XIII. habitis agebatur; quarto autem, aut quinto post Mense hoc anno die octava Octobris feria quarta non sine magno omnium proborum luctu obiit, sepultusque fuit in Ecclesia

cleſia ad Sanctum Sylveſtrum in Monte Quirinali. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. LXIX.

Ferrarienſis Cardinalis extrema.

Tertius denique ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Hyppolitus Eſtenſis Alphonſi Ferrariæ Ducis, ac Lucretiæ Borgiæ Filius, qui die vigeſima quarta Auguſti anno reparatæ Salutis milleſimo quingenteſimo nono natus in Ducis Patris ſui ædibus cum ſumma ſollicitudine educatus, atque ab eodem in politicæ prudentiæ, rectique regiminis artibus ſummo ſtudio imbutus fuerat, ac juvenis adhuc in Franciam miſſus a Franciſco I., qui tum regni gubernacula regebat, ac de Alphonſi prudentia, & dexteritate probe conſcius, necnon aliunde eidem affinitate conjunctus erat, privatis conſiliis adhibebatur, ac rebus maximi momenti præficiebatur: inſuper ab eodem Rege Arelatenſem, Auxitanam, & Lugdunenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit, præter Epiſcopatus Auguſtodunenſem, & Trecorenſem, quinimo referunt Hiſtoricorum nonnulli, quod etiam Aurelianenſem, Narbonenſem, & Novarienſem Eccleſias adminiſtraverit. Tandem a Paulo III. Pontifice die quinta Martii Anno a partu Virgi-

Ciacon. pag. 650. Victorel. in addit. ad Ciacon. Ughel. Ital. Sacra. Sanmarth. Gall. Chriſt.

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

nis milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo Cardinalis, atque a Julio tertio circa annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum Ferrarienſis Epiſcopus renuntiabatur, & denique anno ſequenti ad componenda quædam diſſidia inter eundem Papam, & Henricum II. exorta ſeligebatur: tanta enim gratia apud hunc Regem valebat Eſtenſis, ut idem Princeps nihil abſque hujus Cardinalis conſilio a ſuis Legatis, ac Belliducibus ſuſcipi vellet: unde idem etiam ſub eodem Rege Senenſium, qui ſeſe Gallorum præſidio committebant, Gubernator nominabatur. Poſtea ſub Pio IV. Legationis munere functus eſt in Patrimonio S. Petri & paulopoſt ad Romanorum Regem in Germaniam pro pace ineunda, moxque in Galliam ab hæreticis vexatam ab eodem Pio mittitur, illique comites, & miniſtri dati fuere inter alios Proſper Sanctacrucius Romanus, qui Pro-legati munere fungebatur: inſuper eidem tunc adjungebatur Matthæus Contacellus, qui ſignandis ſupplicibus libellis præfuit, quem Gregorius XIII. in Cardinalem poſtea promovit. In hac legatione obeunda, quamvis Hypolitus ſibi magnam laudem comparaverit, non tamen defuerunt, qui huic crimini darent, quod cujusdam Miniſtelli

stelli concioni interfuisset: quapropter per quamdam epistolam, quam ad Casertanum Episcopum Mense Februario Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Romam scripserat, hac super re innocentiam suam vindicare cogebatur. Demum Romam reversus a Carolo IX. Franciæ rebus ibidem procurandis præfectus hoc munus singulari prorsus studio obibat: interfuit quoque Colloquio Possiacensi, ut alibi meminimus. Tandem Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Romæ die secunda Decembris e vivis excessit annos natus sexaginta tres: porro corpus ejus ad Tiburis civitatem, ubi magnificum construxerat Palatium, translatum ibidem in Ecclesia sancto Francisco sacra terræ mandatum est. Ceterum hic Cardinalis ingenii sublimitate, atque animi magnitudine præstans Viros doctos, quorum singularis patronus audiebat, sibi conciliare satagebat, atque inter eos Muretus, qui ejus laudes funebri oratione deprædicabat, necnon plures alii Viri in literaria Republica celeberrimi rara istius munificentiæ specimina experti sunt: præterea etiam magnifica ædificia ab eo in Galliis constructa, necnon amœnissimi horti in Monte Quirinali, ac Tibure adornati,

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

Sæcul XVI. A.C. 1572.

nati, qui hodiedum visuntur, hunc Cardinalem fuisse Virum in rerum selectu, judicio, ac magnificentia nemini secundum comprobant.

§. LXX.

Hieronymi Maggii fata.

Addit. aux eloges de Thou par Teissier t. 1. pag. 381. Suvertius in elog. Maggii init. libri de Tintinnab.

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno defunctos numerari meretur Hieronymus Maggi, seu Magius Angleriæ in Etruria natus, qui humaniores literas, ac prima civilis jurisprudentiæ elementa a Petro Antonio Ghiedo edoctus Bononiam contendit, ut ibidem Roberteli magisterio uti posset: attamen ingenii sui vastitas nequaquam unius scientiæ limitibus coarctari poterat, sed ferme ad omne scientiarum genus sese extendebat: quinimo Hieronymus nequidem artis bellicæ imperitus hac super re libros conscripsit, licet ob facultatum suarum tenuitatem, quæ ipsum etiam apud Venetos Typographos pro mercede operam suam locare adegerat, consultius egisse videretur, si ab ejusmodi laboribus abstinuisset: nihilominus ipso hoc scientiæ militaris studio nomen suum posteritati magis celebre reddebat: cum enim a Venetis ad Insulam Cyprum, necnon sub Antonio Bragdino Famagustam tanquam exercitus Inspector mitteretur, ibidem

ibidem tam præclara præstitit obsequia, ut majora nequidem a celeberrimo Machinario expectari possent, nam urbem cum summa animi fortitudine propugnavit, donec tandem Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo primo urbs a Turcis obsessa, captaque esset, a quibus etiam Maggius in captivitatem abstractus durissime habebatur, ac catenis onustus Constantinopolin raptabatur, ubi etiam velut mancipium inhumanis Dominis traditus misere dies suos transigere cogebatur, postquam totam suam Bibliothecam unacum omnibus scriptis prius amiserat. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

In funesto hoc rerum statu unicum suppeditabat solatium recordatio illarum scientiarum, quibus ante ingenium suum excoluerat: hinc durissimæ servitutis jugum per diem ferens noctem studiis impendebat, suarumque vigiliarum veluti fructum proferebat duos tractatus oppido raros, quorum prior agebat de campanis, alter vero de equleo: porro præcipue hæc duo seligebat argumenta, eoquod apud Turcas campanarum usum non vigere observasset, aliunde vero continuo ejus menti obversantibus variis, quibus ob miseram vitæ suæ conditionem expositus erat, tormentorum generibus adnotas-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

notaſſet, quod hucusque nullus exacte illam explicaverit machinam, quam veteres equleum appellitabant: itaque ex duobus hiſce tractatibus priorem nuncupabat Conſtantinopolitani Imperatoris Legato, alterum vero Carolo Franciſco Noallio Aquæ Auguſtæ Epiſcopo, qui tum apud eundem Sultanum Franciæ Orator fuiſſe creditur: hi tamen ambo tractatus nonniſi longo poſt Auctoris obitum tempore typis vulgabantur, nihilominus illi, quibus Maggius ſuos libros dicabat, eundem in libertatem aſſerere nitebantur, ac de lytro agebant, quinimo de ipſo redemptionis pretio jamjam pactum fuiſſe initum dicitur: aſt Baſſa Mahometes, cum Maggium apud Cæſaris Legatum ſupplicaſſe intelligeret, atque aliunde mala Turcis ab eo in Famaguſtana obſidione illata memori animo recoleret, nocte ſequenti ad diem vigeſimam ſeptimam Martii hoc anno eundem in carcere ſtrangulari præcepit.

Dupin. Bibl. des Auteurs Eccleſ. t. 16. pag. 111.

Ceterum ſingularis eſt Maggii tractatus de campanis; quippe ibidem I. demonſtratum ibat, quod illæ a ſancto Paulino Epiſcopo Nolano, prout Scriptorum nonnulli affirmant, non fuerint inventæ, ſed ſuam originem longe antiquiori ætati debeant. II. De diverſo earum uſu agit, obſervatque, quod Græci

Græci Christiani non campanis, sed quadam lignea machina, quam Symandram vocant, usi fuerint, ea autem fuerit tabula admodum arcta, quatuordecim pedes longa, quæ duobus ligneis malleolis pulsari consueviſſet. Hi etiam hodiedum ferrea utuntur lamina in medio ex fune suspensa, quam ferreo quodam pistillo quatere solent: ceterum hujus machinæ usus duntaxat habetur, dum sacra Synaxis ad infirmos defertur. Postea Author de campanis ad campanilia, turresque progrediens hanc in rem prorsus singularia profert. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Denique hic tractatus primo Hanoniæ circa Annum Domini milleſimum sexcenteſimum nonum, iterato autem prælo Amstellodami excusus prodiit: porro tractatus de equleo itidem Hanoniæ anno Salutis nostræ milleſimo sexcenteſimo octavo juxta scriptum Codicem Arnulpho Manlio ab ipso Maggio relictum unacum Jungermani notis editus fuit, in quo Author varias Scriptorum opiniones circa veterem ejusmodi equleos construendi modum recenset, ipsumque exhibet velut ligneum equum, cujus dorsum veluti cujusdam cultelli acies in acumen desinit: huic igitur machinæ homines impositos, eorumque manibus, pedibusque pondera

ad

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

ad acerbius tormenti augmentum alligata fuisse refert, & quandoque pedibus, manibusque in hoc equleo suspensos dicit illos, qui tormentis subjiciebantur, atque etiam ardentibus facibus adusti, vel ferreis uncis dilaniati fuerant.

Ceterum ex cunctis operibus, quæ Maggius ante suum in Cyprum Insulam discessum elucubrabat, nullum magis ad Historiam Ecclesiasticam accedit, quam illud, cui hunc præfixit titulum: *Libri quinque de mundi exitio per combustionem.* Hic idem liber semissibus foliis Basileæ Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo publicam lucem aspexit, atque in eo Author opinionem illorum refellit Philosophorum, qui mundum ab æterno exstitisse credunt, adversus quos ipse propugnat, quod mundus suæ corruptioni obnoxius fuerit creatus, ac Deus ad illum purificandum aquam, ignemque destinarit, & primo quidem illum per diluvium mundarit, in fine autem sæculorum rursus ignem adhibiturus sit. In secundo libro discutit, an totus mundus, vel quædam duntaxat illius pars igne sit absumenda, & quousque demum hoc incendium sese extendat. In tertio libro propugnat, quod hoc idem incendium sit suscitandum ab ignea, & sul-

& sulphurea pluvia: describit etiam cuncta, quæ extremam hanc calamitatem sint præcessura. Affirmat in quarto libro, quod ante Christi adventum hoc incendium sit futurum: dein leviter tangit quæstionem de tuba, quæ mortuos sit suscitatura. Denique in quinto libro de resurrectione agit, rejicitque millenariorum fabulam, necnon postremum Christi Domini adventum, ceterasque res ad eum pertinentes describens hunc tractatum absolvit, totumque opus Ecclesiæ Romanæ judicio, ac censuræ subjicit. Sæc. XVI. A.C.1572.

§. LXXI.

Joannis Genesii de Sepulveda obitus.

Alter author erat Joannes Genesius Sepulveda Cordubensis, qui ferme in octogesimo secundo ætatis suæ anno Salmanticæ, ubi Canonicus erat, e vivis excessit. Hic vir erat linguæ Græcæ, ac latinæ, necnon Philosophiæ scientia clarus, cujus merita Carolus V. tanti habebat, ut eundem suum Theologum, ac Historiographum nominaret. Ceterum Sepulveda suis opinionibus plus æquo pertinacius inhærebat, atque a mitioribus, magisque moderatis sententiis, quæ tamen verum Theologum maxime decent, plurimum recessit, prout satis aperte elucet ex dissidiis, *Thuan' l. 54. Anton. Bibl. Hispan. Dupin. l. c. pag. 115.*

Sæcul XVI. A.C.1572.

diis, quæ circa Hiſpanorum crudelitates in Indiis, necnon circa violentias ibidem patratas cum Bartholomæo de las Caſas fovebat; cum enim hic pro coercenda ejuſmodi licentia Cæſaris opem imploraret, Sepulveda Hiſpanorum agendi rationem tueri aggrediebatur, aſſerens, eam a divinis, humanisque legibus, necnon belli juribus eſſe permiſſam, quam in rem librum conſcripſit, cui titulus: *De juſtis belli cauſſis ab Hiſpaniæ Rege ſuſcepti contra Indos*, porro cum hunc librum jamjam prælo paratum haberet, Bartholomæus, necnon Segobienſis Epiſcopus ſeſe hujus operis editioni opponebant, pluribus etiam in Hiſpania conſultationibus hac ſuper re habitis, in quibus decretum, hanc quæſtionem potius ipſam tangere conſcientiam, proin deſuper Theologorum quoque ſententias eſſe rogandas: Hæc geſta fuere Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Igitur Theologi Complutenſes æque, ac Salmanticenſes in conſilium vocati poſt crebras altercationes tandem decidebant, quod religionis Chriſtianæ plurimum interſit, ut Sepulvedæ liber minime typis vulgaretur, eoquod perverſam contineret doctrinam: verum hic Auctor nulla habita hujus ſententiæ ra-

ratione librum suum Romam transmisit, ubi clam prælo subjectus est: mox tamen Cæsar hanc agendi rationem indignatus in omnibus suis ditionibus hunc librum divulgari prohibuit, simulque præcepit, ut omnia exemplaria fors in Hispanias delata supprimerentur: nihilominus Sepulveda salvo suo honore haud cedendum ratus petiit, obtinuitque, ut hac super re cum Bartholomæo de las Casas, necnon cum Episcopo Segobiensi disputare posset, quamvis hæc ipsa concertatio nonnisi tertio post anno fuisset habita, præsente Dominico Soto celebri Theologo, qui etiam Carolo V. Imperatori a confessionibus erat. Verum hic idem Princeps, utpote aliis obrutus negotiis, & aliunde bellis longe acrioribus implicitus rem non decidit, ita tamen, ut Hispanorum crudelitates in Indiis potius fuerint toleratæ, quam approbatæ. Ceterum Sepulveda inter Theologicas suas elucubrationes scripsit I. Tres libros de libero arbitrio adversus Lutherum. II. Antapologiam pro Alberto Pio contra Erasmum. III. Theophilum, seu tractatum de modo testem agendi in criminibus occultis. IV. De veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Sacrificio Missæ. V. Commentarium in Cantica Canticorum ex Sancto Ambrosio decerptum. VI. Tres libros

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

de solemnitatibus Nuptiarum, & de dispensationibus. VII. Insuper elucubrabat etiam Historiam Caroli V. Cæsaris præter Paraphrasin latinam in Aristotelis moralia ad Nicomachum, qui tamen posterior liber nondum publicam lucem aspexit.

§. LXXII.

Francisci Balduini fata.

Saumarth. eloge Do. Gall. l. 2. Melch Adam in vita Jurisconsult. Germ. Miræus in elog. Belg. & Script. 16 sæculi. Dupin. p. 114.

Tertius ex Scriptoribus Ecclesiasticis erat Franciscus Balduinus Atrebati die prima Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo natus. Is erat primi regii Advocati in eadem urbe Filius, qui Lovanii humanioribus literis vacans profundam linguæ Græcæ, ac latinæ notitiam assecutus est, postea Jurisprudentiæ studio sese consecrans celebris omnino Jurisconsultus evasit: cum autem a Bergopsomensi Marchione accerseretur, per aliquot annos in Cæsaris aula morari cogebatur, inde vero recedens in Franciam pervenit, ubi arcta amicitia Budæo, Baisio, Carolo Dumulinio, aliisque Doctoribus junctus erat: postquam vero per septem omnino annos Biturgibus jurisprudentiam publice professus erat, Tubingam vocatus ibidem eo munere fungi parabat: ast Dumulinium pariter eo contendere intelligens Argentinæ substitit,

stitit, ubi nonnisi per unum annum civilem Jurisprudentiam tradidit, indeque Heidelbergam delatus rursus per quinque annos juris, ac historiæ scientias docuit, ac demum secedens Palatinum Rheni Comitem in Lotharingiam comitatus fuit: inde vero ab Antonio Borbonio Navarræ Rege in Gallias revocatus spurium hujus Principis Filium literis imbuere, simulque etiam in religionis negotiis, quæ tum illud regnum acriter agitabant, operam suam impendere jubebatur. Fertur quoque, quod Calvinum quondam invisens valde propensum ejus erroribus adhærendi animum præsetulerit, ab hoc tamen proposito absterritus fuerit lectione cujusdam operis, quod Gregorius Cassander sub titulo: *Officium pii hominis* ediderat: hic enim liber ob styli sui moderationem Protestantibus minime arridebat. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. LXXIII.

Opera ab hoc Scriptore elucubrata.

Enimvero Balduinus hunc librum præ ceteris prior in Gallias deferebat, ac propterea ipse illius Auctor credebatur: non enim prima hujus operis editio nomen Cassandri præferebat, unde factum, ut ob hunc librum accerrima inter Balduinum, & Calvinum ini- *Valerius' Andr. Bibl. Belg.*

Sæcul. XVI A. C. 1572.

micitia accenderetur, quamvis antea intima familiaritate uterentur: mox autem mutuo hoc dissidio Balduinus universam Calviniſtarum fæcem, ejusque odium sibi eo facilius accersebat, quo certius eis innotesceret, quod hic Auctor apud Lotharingium Cardinalem juratum Hugonottarum hostem gratia plurimum valeret, & Navarræ Regem ab eorum studiis unice ex ejusdem Cardinalis consilio secessisse nossent: igitur Calvinus mordacem suum calamum stringebat contra Balduinum, qui quoque vicissim suam tuebatur famam editis tribus libellis, quorum primus est commentarius in legem *de famosis libellis, & calumniis* contra injurias, quas Calvinus in eum evomuerat. Alter fuit responsum ad iteratam Calvini accusationem, & tertius denique erat alia responsio Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto contra Calvinum, & Bezam data, ac Parisiensibus literis excusa, in qua utriusque errores circa sacras Paginas, & traditionem sparsos refellebat: insuper præter plura alia Balduini opera in jus civile edita, qualia sunt commentarius in legem *falcidiam*, necnon in legem *duodecim tabularum* &c. scripsit etiam idem auctor plures libros historicos, Theologicos, &

Dogma-

Dogmaticos, inter quos sunt I. præfationes, notæque in Sancti Optati opera, II. Historia de colloquio Carthaginensi, III. Præfatio cum notis in Historiam de persecutione Wandalorum a Victore Vitensi descriptam, IV. apologiæ contra Calvinum, & Bezam, quarum jam supra meminimus, V. relatio gallice scripta de reformatione Ecclesiæ, VI. apologia adversus illum, qui sub nomine cujusdam Principis gallici sese huic morum emendationi opposuerat. Fuit hic liber typis vulgatus Parisiis Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo: præterea sub Balduini nomine edebatur Argentinæ libellus, cui titulus: *Responsa Jurisconsultorum Christianorum contra Duarenum circa Ministeria, & Beneficia:* verum Balduinus se hujus operis Authorem exstitisse pernegabat. Sæcul. XVI. A C. 1572.

Hic idem Scriptor Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo Possiacensi interfuit colloquio, quo absoluto a Navarræ Rege, tanquam ipsius Orator Tridentum decernebatur, ubi adhuc hærebat, cum eundem hunc Regem obiisse comperiret, cujus etiam morte omnes fortunæ suæ spes intercidebantur; nihilominus Duacum accersitus in hujus urbis Universitate, quam Philippus II. Hispa-

Sæcul. XVI A.C. 1572

niarum Rex recens erexit, literas profitebatur: cum autem Belgarum indoli assuescere haud posset, Parisios rediit, ubi etiam jurisprudentiam tradere continuabat, cum vero jam aliunde suis opusculis nomen suum celebre reddidisset, non raro, ut fertur, inter suos auditores numerabantur non modo Viri scientia, sed etiam nobilitate clarissimi, qui ejus merita apud Andegavensem Ducem tam amplis celebrabant elogiis, ut hic Princeps illum pro Professoris munere Andegavum accerseret: unde hunc Ducem in Poloniam sequi constituens jam jam Parisios reversus erat; ast ibidem die undecima Novembris hoc anno Redemptoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo secundo febri ardenti correptus obiit, morientique assistebat Pater Maldonatus Jesuita: porro corpus ejus in claustro Patrum Trinitariorum, seu Mathurinorum Papyrio Massonio funus ejus curante, atque in ejus laudem perorante sepultum est. Ceterum alii Protestantes Balduino exprobrant, quod quarta etiam vice eorum sectæ nomen dedisset, toties autem ad fidem Catholicam reversus esset.

§. LXXIV.

Sancti Francisci Borgiæ mors.

Eodem

Eodem hoc anno Franciscus de Borgia tertius Jesuitarum Generalis mortalitatem exuit. Erat is Gandiæ Dux, ac Catalaniæ Prorex: cum autem Eleonora de Castro ejus conjux Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo sexto fatis cederet, Borgias octo liberorum, inter quos quinque filii, & tres filiæ erant, Matre orbatum se cernens Jesuitarum societatem inire constituit, postquam iisdem Patribus Collegium quoddam in Gandiana urbe erexerat; porro promittente summo Pontifice etiam post nuncupata Religionis vota per integros quatuor annos adhuc in sæculo remansit, ut liberis suis prospiceret, resque suas componeret: anno autem post Virginis partum millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, cum ab omnibus sæculi curis liber esset, scribis accersitis omnia, quæ possederat, filio suo natu majori cessit, detonsaque barba talarem Sociorum togam induit, ubi dein die prima Augusti Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Sacerdotio inauguratus, ut privatæ suæ pietati satisfaceret, in arce Loyola primum Deo sacrificium offerebat: demum Julius III. Papa de illo in Cardinalem creando agebat: ast sanctus Ignatius hanc dignitatem Borgiæ

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Ribadin. in vita Franc. Borg.

l Verius vie de S. Franc. Borg.

Sæcul. XVI. A. C. 1572.

saluti forte nocivam fore Pontifici exponens impetravit, ut in vitæ genere magis humili relinqueretur: nihilominus supremus Societatis Præpositus pro universa Hispania, & Lusitania nominabatur, mortuo autem Sancto Ignatio, cum Borgias, ut fertur, eidem subrogari, aut rursus ad Cardinalitiam evehi vereretur, propositis pluribus rationibus Romam pergere detrectabat: unde Laynesius tum in Generalem eligebatur, quo tamen circa annum millesimum quingentesimum sexagesimum quintum satis functo, dignitatem sibi paratam declinare haud poterat, sed in in supremum Societatis Generalem fuit electus: qua dignitate auctus, atque austeriorem paupertatem a Sancto Ignatio præscriptam servare summopere intentus Constitutionibus suo exemplo novam vim attribuere videbatur, ac ea, quæ ipsis deesse credebantur, prudentibus suis decretis supplens regulari, ac scholasticæ disciplinæ postremam manum admovebat: unde passim dicebatur, quod Jesuitarum Societas omnem ferme suum splendorem, ac perfectionem Francisco Borgiæ in acceptis referre teneatur, & Sanctus Ignatius quidem hujus ædificii fundamenta, primumque lapidem jecerit, Borgias vero hanc fabricam in altum erexerit, atque

ad

ad ſupremum faſtigium deduxerit: aſt Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono diuturno non minus, ac periculoſo morbo correptus ægre vires reparare poterat, quocirca Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſummi Magiſtratus onere liberari petebat: verum id a ſociis ſuis impetrare haud poterat, quapropter per aliquot ſeptimanas Tiburi ſacræ ſollitudinis otio perfruens, recuperatis viribus a Pio V. Papa ſeligebatur, ut Alexandrinum Cardinalem ejusdem Pontificis Nepotem in ſua ad Gallos, Hiſpanos, & Luſitanos legatione comitaretur: aſt Borgias ex Galliis reverſus, cum rurſus morbus indies ingraveſceret, per aliquot Menſes Ferrariæ ſubſiſtere cogebatur, inde vero remediis omnibus incaſſum adhibitis Romam rediit, quo die vigeſima octava Septembris delatus ob ægritudinis vehementiam neo-electum Pontificem Gregorium XIII. venerari præpeditus quosdam ſuo nomine ad illum ablegabat, qui Apoſtolicam Benedictionem moribundo, necnon abſolutionem, ſeu potius plenam peccatorum in anteacta vita commiſſorum veniam ſupplices exorarent: poſtea Borgias Sacramentis Eccleſiæ rite munitus inter ſingularia pietatis ſigna tandem media morte, quæ

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul XVI. A.C. 1572.

postremam Septembris diem a prima Octobris segregabat, Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, ætatis suæ anno sexagesimo secundo ferme expleto animam Deo reddidit, corpusque illius prope Sancti Ignatii, & Jacobi Lainesii cadavera ad ejusdem diei vesperam in veteri professorum Domus Ecclesia depositum, atque aliquot post dies in Ecclesia, quæ a Jesu nomen habet, terræ mandatum est. Ceterum Franciscus Borgias idiomate Hispano varia opuscula ad fovendam pietatem concinnata elaborabat, quæ Pater Alphonsus Deza Jesuita latine reddidit.

§. LXXV.

Parisiensis Theologicæ Facultatis gesta.

Argentre Collect. jud. t. 2. p. 417. & 426.

Eadem prima Octobris die hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Facultas Theologica Parisiis notum Renatum Benedictum ob pernicioſam Bibliorum versionem, ut supra memoravimus, a suo consortio excludebat; die enim sancto Bernardo sacra coram Doctoribus ad id deputatis eundem Facultas comparere jussit, ubi Decanus eum monuit, ut sese prædictorum Doctorum judicio submitteret: ubi postea interrogabatur, an censuram

Sæcul XVI. A.C.1572.

ſuram a Facultate in verſionem ſuorum Bibliorum latam, velit ratam habere? ad hæc reſpondit Renatus: „hanc ap„probo, cunctaque per Facultatem ge„ſta confirmo, atque illam veluti Ma„trem meam quam humillime rogo, ut „ea, quæ in Bibliis nomine meo, ac „gallico ſermone divulgatis correctione „digna deprehenderit, dignetur mihi „communicare, tanquam filio obſequen„tiſſimo; nam corrigere volo corrigen„da, prout conſentaneum fuerit ratio„ni:„ rurſum interrogatus, velletne abſolute ſine conditione probare cenſuram Facultatis jam factam contra Biblia ſua, ad hoc reſpondit: ego in præſenti nihil aliud, quam quod reſpondi, reſpondere poſſum, & ita ſoluto cœtu a Facultatis conſortio excludebatur.

§. LXXVI.

Lovanienſis Facultatis ſententia in cauſſa Michaelis Baji.

Hoc item anno Lovanienſis Facultas negotio, cujus frequentem fecimus mentionem, adhuc intenta erat: Papa enim Pius V. cum hanc cauſſam tandem decidi percuperet, ineunte Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo datis hanc in rem literis Albæ Ducem excitabat, ut Facultatem Lovanienſem induceret, quatenus

Act. Facult. Lov. ad ann. 1571. *Bajan. 2. p.* 186.

Sæcul. XVI. A C. 1572

nus omnibus ſuis Doctoribus decreti ſubſcriptionem præciperet, eoquod ipſimet Baji propoſitiones in Bulla contentas legitime eſſe damnatas ibidem declaraſſent. Dux pro officii ſui ratione hac ſuper re literas ad Facultatem dedit, quibus acceptis die decima ſeptima Aprilis eodem anno hora decima ante meridiem in Capitulo minori S. Petri, Facultate ſub juramento congregata, & præſentibus omnibus Magiſtris, propter Magiſtrum Michaelem, deliberatum fuit ſuper articulis nuper prima die Aprilis propoſitis, & ex conformibus omnium deliberationibus fuit concluſum prout ſequitur.

I. Promulgatum fuit, articulos, quorum in prima propoſitione fit mentio, omnino habendos eſſe pro ſuſpectis, & damnatis, & talibus, quales per Bullam Apoſtolicam declarantur: ideo hanc Facultatis concluſionem eſſe omnibus ejuſdem membris intimandam, ſeorſim quidem in promotionibus ad gradus, publice vero in Congregatione Facultatis apud FF. Prædicatores habita poſtridie ad feſtum Sancti Dionyſii, quando ſtatuta publicari conſueverunt, ut omnibus conſtet eſſe ab illis abſtinendum, eosque, qui ſecus fecerint ſecundum ſtatuta facultatis, & promoven-

ventium juramenta, atque promissiones ad Facultatem esse deferendas. Sæcul.XVI. A.C.1572.

II. Statutum est, Libros, & Tractatus, in quibus dicti articuli ex professo docentur, & asseruntur, esse e manibus studiosorum auferendos, alios autem unacum manuscriptis, quæ studiosorum diligentia collecta sunt, permittendos quidem, sed ita, ut moneantur iidem, defensiones, & assertiones eorundem Articulorum, ubicunque ii occurrant, esse expungendas, & delendas: quod ut fieret diligentius, deputati sunt aliqui ex Magistris ad repurganda Scripta a Magistro Hesselio in Scholis dictata, quorum correctiones ab omnibus, qui ea scripta habere voluerint, sedulo observandas vult Facultas.

III. Declaratum est, Facultatem acceptare Magistri Michaelis Baji declarationem, quam ante dies aliquot fecit, ubi in Scholis Theologicis post disputationem dixit, quod bene velit, imo bene velle debeat Facultatis judicium in hac re subire, nec recordetur, se verba in tertia propositione præfata protulisse, si tamen ea dixerit, Bajus declaravit, quod respexerit forte ad partes quasdam in nonnullis articulis comprehensas, & non ad integros articulos.

De-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Denique judicatum fuit, etiam ex conformibus omnium Doctorum deliberationibus, utile futurum, ut de nonnullorum articulorum partibus modesta fiat, & amica Magistrorum inter se collatio, quatenus se mutuo plenius intelligant, & cum majore concordia semper deinceps omnes in idem conspirent, doceantque, cujus etiam collationis capita, & modum scripto comprehendi, Doctores jubebant: porro hujus rei curam postea demandabant Cornelio Raynerio eo tempore Facultatis Decano ad Sanctum Petrum. His peractis conventus solvebatur, eaque gesta fuere Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo: Bajus vero declarationi eodem anno die vigesima nona Augusti latæ, necnon sententiæ eidem propositæ subscripsit, seque eam ratam habere affirmavit.

§. LXXVII.

Baji errores in Pii V. Bulla proscripti per aliam sententiam damnati.

Acta l. c. 1572. Bajana p. 178.

Postquam die prima Maji anno sequenti Pius V. summus Pontifex decesserat, eique Gregorius XIII. subrogatus fuerat, Lovanienſis Facultas, ut suam submissionem novo specimine testatam redderet, die quarta Julii Anno re-

reparatæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo novum edidit decretum, quo articulos in Pii V. Bulla recensitos, ac proscriptos pariter condemnabat, simulque in eodem consessu statuebat, ut hæc sententia omnibus ad quemdam gradum in Facultate Theologica promovendis prælegatur, iisque severe prohibeatur, ne quempiam ex hisce præscriptis articulis tradere, defendere, propugnare, vel disseminare audeant. Hoc itaque decretum post meridiem ejusdem diei in examine illorum, qui prima doctoratus laurea erant decorandi, prælegebatur, præsentibus Michaele Bajo, ceterisque Professoribus, ac Rectoribus, quin tamen ullus sese huic sententiæ opposuisset: hac igitur ratione aliquamdiu Lovanienſi Universitati pax reddita fuit. Sæcul. XVI. A.C. 1572.

§. LXXVIII.

Patriarcharum Constantinopolitanorum successio.

Interea usque ad Mensem Majum hujus anni Metrophanes Patriarcha vere prudens, ac doctus vir Constantinopolitanam Ecclesiam Græcam gubernabat, cum autem illius regimen ultro abdicaret, eidem subrogabatur paucis post Mensibus Jeremias Anchiali ad Pontum Euxinum natus, & antea Lariſſæ *Turco-Gr. l. 2. Spond. ann. 1565. & 1572.*

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

rissæ Metropolitanus, qui solito tributo soluto a Selimo Sultano confirmatus est. Hunc Græci tanquam Virum judicii maturitate, ac eruditionis laude oppido conspicuum celebrant; nam is simoniam tum in hac Ecclesia admodum frequentem feliciter abrogabat, Templumque Patriarchale reparans, ac variis ornamentis locupletans, ipsum etiam Palatium augeri, novaque ædificia construi jussit. Porro regnante eodem Jeremia Malaxius coævus Scriptor suam Historiam de Patriarchis Constantinopolitanis absolvit.

Sub idem tempus Lutherani ad eundem hunc Patriarcham transmiserunt Confessionem Augustanam, atque ad hoc cujusdam ejusdem sectæ fautoris, qui tum ex Cæsarei Legati famulis Constantinopoli agebat, ministerio utebantur, huncque Patriarcham ad sua studia pertrahere nitebantur: ast inanes erant horum hæreticorum conatus, quippe Jeremias illorum errores tam voce, quam calamo strenue impugnavit edito hanc in rem libro græco, qui sub titulo: *Censura Ecclesiæ Orientalis* latine reddebatur a Stanislao Socolvio, qui ad aliud opus *Spongia* dictum, quo Joannes Baptista Fiklerus Stanislai librum refellere nitebatur, respondit. Attamen Lutheri Sectatores hanc Jeremiæ repulsam ex-

exacerbati suis dolis, atque artibus apud Turcarum Imperatorem tam importune instabant, ut Jeremias sede sua pelleretur, ac Metrophanes pristinis suis honoribus restitutus in ejus locum sufficeretur. Hæc gesta fuere anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Sæcul. XVI. A.C. 572.

Ceterum hujus Patriarchæ infortunium sequebatur post obitum Michaelis Cantacuzeni, qui insignis Jeremiæ protector, atque ex omnibus Græcis potentissimus Amuratis Sultani jussu Anchiali in sua domo fuit strangulatus, eo quod tumultuum, qui in Valachia, & Moldavia fuerant suscitati, Auctor exstitisse crederetur: nihilominus Jeremias mortuo Metrophane circa annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum secundum rursus suæ sedi redditus Calendarii emendationem a Gregorio XIII. factam non modo recepit, sed etiam sese ejus obsequio devovit: unde a suis æmulis apud Turcarum Imperatorem accusatus, perinde acsi cum Romano Pontifice literarum commercium, arctamque foveret amicitiam, ejusdem Sultani jussu in carcerem detrudebatur, & tandem Anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto in exilium amandabatur. Ferunt, quod Gregorius XIII. ad eum liberandum omnem

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

impenderit operam, eo fine, ut ipſum Romam accerſitum purpura decoraret.

§. LXXIX.

Sacrum - Cæſaris obſeſſum.

Thuan. hiſt. lib. 55. pag 917. Spond. hoc ann. n. 5. La Popelin. l. 33.

In Galliis Sacricæſarenſes, qui in rebellionis ſuæ malitia Rupellenſibus haud inferiores eſſe cupiebant, cum ſibi ſua pertinacia Regis indignationem accerſere intelligerent, urbis ſuæ obſidionem tolerare decreverant, ut ſaltem hac ratione debitæ vindictæ pœnas eluderent: igitur ineunte hoc anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Claudius Caſtreus Bituricenſis Provinciæ Præſes huic urbi regias copias admovet, atque incolas ad ultroneam deditionem provocat: verum Joannellus, qui urbi præerat, tibicinem eo miſſum detinere, atque indignum in modum habere præſumebat, eapropter die decima nona Februarii obſidio cæpta toto impetu urgebatur, exiguo licet progreſſu, quippe obſeſſi tanta pertinacia urbem tuebantur, ut potius ad extremam famis violentiam, quam deditionis ignominiam redigi mallent; quamvis enim intra quinque, vel ſex hebdomadas plusquam quingenti cives inedia periiſſent, nihilominus miſeri ab hæreticis

cis Miniſtellis, qui cunctos animo fractos ſuis hortationibus erigebant, decepti denuo fortiter novam ſuſtinebant irruptionem, quam Caſtreus exeunte Menſe Julio fecerat, quin eos vi ſuperare poſſet. Sæcul. XVI. A.C.1573.

§. LXXX.

Pax a Rege Calviniſtis indulta.

Præterea Rupellenſium repugnantia Sacri-cæſarenſium pertinaciam augebat; iſti enim pariter ſeſe ſumma fortitudine tuebantur, eosque pertinax illud conſilium, quo omnes deditionis conditiones reſpuebant, abs dubio ad extremam calamitatem redegiſſet, niſi tandem Rex per Andegavenſis Ducis electionem in Poloniæ Regem factam ad pacem hiſce rebellibus concedendam impulſus fuiſſet. *Thuan. l. c. Dupleix hiſt de France t. 3. pag. 802.*

§. LXXXI.

Pax Regis edicto confirmata.

Hujus concordiæ articulis die ſexta Julii firmatis Bironius quarto poſt die urbem ingreſſus ibidem hanc pacem promulgari juſſit, quam pariter Rex eodem Menſe confirmavit, divulgato hanc in rem edicto, vi cujus hæc ſanciebantur. I. Motuum, qui a die vigeſima ſecunda Auguſti anni prioris fuerunt ſuſcitati, oblivio ſanciatur. II. *Thuan. pag. 941.*

Sæcul. XVI. A.C. 1573. Catholica Religio in omnibus locis, quibus ab illo die exturbata est, restituatur. III. Rupellanis, Nemausensibus, & Montalbanensibus libera doctrinæ suæ professio juxta edicta in Protestantium gratiam facta permittatur. IV. fidi regiæ Majestatis subditi a præsidiis immunes declarentur, & privilegia ipsis sua confirmentur. V. Illis omnibus, qui ab illo die in eadem Religione perseveraverunt, domum redire, ibique cum omni conscientiæ libertate manere liceat, & inde, quo velint, per universum regnum commeandi facultas detur. VI. Nobilibus, qui summam jurisdictionem habent, & ab illa die eandem religionem professi fuerunt, conciones domi, baptismos, & matrimonia celebrandi, ac cænam administrandi jus sit, ita tamen, ut præter Patrinos, & Matrinos ad hosce ritus plusquam decem homines congregare nequaquam permittantur. VII. Syngraphæ, & promissiones, quæ de religione, ac spuria reformatione ejuranda ab illo tempore sunt factæ, irritæ pronuntientur. VIII. Omnes sententiæ adversus Protestantes belli istius tempore latæ, quæ sive capitales, sive civiles causas concernunt, tanquam nullæ, & nullius effectus esse declarentur. IX. Cuncti dignitatibus, muneribus publicis, ac bonis

bonis reſtituantur. X. & poſtremo additum ad teſtificandam trium illorum oppidanorum obedientiam, ut per duos inſequentes annos ex ſingulis Urbibus, quatuor e primariis civibus, quales Rex pro ſuo arbitratu elegerit, tanquam datæ fidei obſides in aulam veniant, & trimeſtri exacto commutentur. Iis præterea Rex ſpopondit, ſe gubernatorem, qui ſuo nomine regat pacate oppidanos, ipſis impoſiturum, judicesque minime eis ſuſpectos daturum. Sæcul. XVI. A. C. 1573.

Inſuper ſancitum, ut in omnibus Provinciis arma ponerentur, feſtique dies ſervarentur, atque in jejuniis diebus macella clauderentur.

§. LXXXII.

Sacricæſarienſis Urbis deditio.

Cum Sancerrani, ſeu Sacricæſarienſis ab hujus edicti gratia ſeſe excluſos cernerent, in deditionem accipi petebant, quod illis etiam datum pactis hiſce conditionibus. I. Præteritorum criminum gratia obſeſſis a Rege fiat. III. Tam oppidani, quam inquilini, & mulieres, ac belli Duces bonis omnibus immobilibus reſtituantur. III. Mobilia bona depenſis intra ſextum diem quadraginta librarum millibus redimant. IV. Pacificationis nuper cum Rupellanis factæ beneficio utantur. V. *Thuan. l. 56.*

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Religionis libera profeſſio illis æque, ac edicto illo nominatis concedatur. V. Rex has pactiones ratas habeat, & auctoritate ſua firmet, ac tum Urbs in Caſtrei manus permittatur, qui ab omni vi, & injuria ſuos cohibeat. Juxta has ſanctiones obſides duodecim a Caſtreo imperati, quibus acceptis, & poſtea adlato a Rege diplomate, & depenſa pecunia ipſe urbem exeunte menſe ingreſſus eſt, eamque præſidio munivit.

§. LXXXIII.

Variæ expeditiones in Occidania, Delphinatu, & in Aquitannia.

Thuan. l. c. lib. 55. Avila l. 5.

Ceterum belli civilis flammæ, quæ in Galliis accendebantur, ſuo incendio non modo Sancerram, ac Rupellam urbes nuper obſeſſas involvebant, ſed etiam ſeſe ad Meridionales hujus Regni Provincias extendebant; quippe Henricus Montmorentius Damvilla Occidaniæ Gubernator admotis copiis ſuis Summarium urbem cinxit, eamque ſuis armis ſubjecit: propterea tamen Proteſtantes nequaquam a ſeditionis furore quicquam remittebant, ſed reſumptis animis Florenſacum, aliasque plures urbes intra Narbonnæ fines occupabant, necnon Ruſſineti oppidum

pidum Rhodano adjacens, ac valde munitum, belloque gerendo percommodum repentino impetu obruebant, simulque Cursolium antea devastatum, atque ad ejusdem fluminis ripam situm novis munimentis e regione Valentiensis urbis firmabant, simul etiam Villanovam capientes, per quam expeditum ad Vivariensem ditionem aditum sibi aperiebant. Post hæc in Delphinatu Carolus Podiensis Monbrunius, qui hucusque delitescebat, tandem e suis latebris prorumpens Valentiam, & Montem-Ademarim occupare tentabat, verum ejus molimina in irritum cecidere, eoquod Gordius regius in Provincia Legatus trajecto Rhodano Vivariensis copias in opem accurrentes in fugam egisset. Ceterum nec in Aquitania ab armis cessatum: ibidem enim Honorius de Sabaudia, Villarius Marchio, Regis Navarræ Vicarius illuc cum valido milite decretus pactis conditionibus Teridam subegit, ac Farquium illius Gubernatorem ad arcis feneſtras suspendi jussit, postea tamen fuit repulsus prope Caussadam, quam Puiolus strenue propugnabat: nec etiam magis prospera Honorio fortuna arridebat in Varsolienſi expeditione, pariterque Montalbenses incassum sollicitabantur, ut ad Regis obsequium

Sæcul. XVI. A.C.1573.

Sæcul. XVI. A. C. 1573. reverterentur, quamvis hoſce ſeditioſos, cum ubique terrorem incuterent, Andegavenſis Dux in Rupellenſi pace pariter comprehendi voluerit, qua ratione huic bello finis imponebatur.

§. LXXXIV.

Caſpari Schombergii ſollicitationes apud Electorem Palatinum.

Thuan. l. 55. Cum interea tot tumultus Franciam agitarent, in Polonia Gallorum ſtudia eo intendebantur, ut Andegavenſium Duci hujus Regni ſolium aſſereretur, quamobrem Montlucus jam antea eo decretus, cum ſuos conatus a Cæſareis eluſos cerneret, hac de re Reginam Matrem certiorem reddens Virum Germanis acceptum, qui Proteſtantium animos ſibi conciliare poſſet, illuc ablegari petiit: ergo Regina accepto hoc nuntio Caſparum Schombergium Nobilem Germanum exeunte Menſe Februario hoc anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio in Poloniam ablegabat, eo fine, ut ſparſos rumores, quibus Proteſtantes ad præpediendam Andegavenſis Ducis electionem utebantur, dilueret, & libellos famoſos ubique diſſeminatos coram refutaret, Principesque ipſos ad antiquum fœdus cum Francogalliæ regno colendum hortaretur.

Hanc

Hanc in rem Schombergius præ ceteris Fridericum de Bavaria Electorem Palatinum acceſſerat, ac diſſipatis ſuſpicionibus, quas hic Princeps circa cædem Pariſinam de Rege conceperat, eidem hæc expoſuit: „Cardinalis Urſinus a Pontifice ad Regem miſſus duo „ab eo petiit, ut ſcilicet Concilium „Tridentinum per regnum ſuum promulgari curaret, necnon in fœderis „ſacri contra Turcam initi ſocietatem „veniret: ad ea autem reſpondit Rex, „quod de Concilio adſentire non poſſit; „quippe cum id minime neceſſarium, „ac rebus ſuis ſumme nocivum, novisque in Regno tumultibus, quos, quantum in ipſo erat, vitatos cupiebat, „cauſſam præbiturum foret, quantum vero ad fœdus contra Turcas ineundum „repoſuit idem Rex, quod Principum affectus in rem Chriſtianam cederet, „ſed eo in ſtatu res ſuæ nunc exiſterent, ut bellis externis temere ſe implicare non expediat, ſed in eo ſe laboraturum edixit, ut pacem domi, & „foris habeat. Dato hoc reſponſo pontificius Legatus dimiſſus fuerat: de „cetero id, quod Lutetiæ Pariſiorum „actum eſt, non conſilio, ſed neceſſitate, „quam fortuna impoſuit, accidiſſe ex „eo patet, quod poſt ſedatam tempeſtatem nulli Proteſtantium in agro,

Sæcul. XVI. A.C.1573.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

„aut urbibus injuria facta, nulliusque „conscientiæ vis allata sit: enimvero, „Andegavensis Dux Regis frater Ru„pellam quidem venit, non tam ut op„pidanos bello infestet, quam eos ad „ea, quæ imperata erant, exequenda „cogat, hoc demum ab illis dun„taxat petens, ut eum in urbem ad„mittant, salva conscientiarum liber„tate, & ad conciones conveniendi fa„cultate: neque vero cuiquam recto, „ac minime præoccupato judicio de „Republica, ac Regis ingenio sentienti, „nedum prudentissimis Imperii Prin„cipibus in mentem venire potuit, quod „Rex cum Hispanis contra Protestan„tium Germanorum caput fœdus secre„tum inire velit; nam ille ambitiosa „hujus Nationis consilia perspecta ha„bet, neque per fœderatorum Princi„pum, ac civitatum pernitiem ad Mo„narchiam, quam jam diu illi partu„riunt, constituendam, seu ad diriffi„mæ servitutis jugum universæ Rei„publicæ Christianæ imponendum, „viam barbaris istis hominibus munire „cogitat: imo nihil magis in votis ha„bet Rex, nisi ut exemplo decessorum „suorum arctam cum Imperii Principi„bus amicitiam, & consiliorum con„junctionem foveat: ut vero egregiam „suam adeo erga illos voluntatem facto ipso

„ipso adprobet, eo arctiore cum Anglia „Regina se vinculo obligavit, dum in- „invitabat ipsam nuper, ut filiam unicam „de sacro lavacro susciperet; hinc e- „tiam de Franciſci Alenconii fratris nu- „ptiis jam pridem injectam mentionem „innovavit: neque desperat, quin „res summa sibi, & universæ Germa- „niæ expetenda felicem sortiatur exi- „tum: porro ad id magnopere optat, „ut ipsi Principes partes suas interpo- „nant, atque id petit inprimis a te sere- „nissime Elector, quem gratia plurimum „apud Angliæ Reginam valere scit: rogat „insuper, ut electionem Andegavensis „Ducis fratris sui ad Poloniæ sceptrum „commendatione tua adjuves, quo ipse „tanto beneficio obstrictus, & tam po- „tenti, ac rebus Germaniæ opportuno „Regno potens, duplici vinculo cœptam „cum Imperio amicitiam colat.„ Sæcul.XVI. A.C.1573.

Hæ rationes cum palam propositæ Casimirum Electoris Filium, ejusque animum eo inclinare viderentur, ut Andegavensi Duci favere inciperet, hinc Schombergius, ut tam Patrem, quam ejus Filium penitus persuasos redderet, alia adhuc adhibuit media, ac præprimis eisdem injiciebat periculi Germaniæ libertati impendentis metum, si isti Principes se a Regis Christianissimi amicitia alienarent: his præmissis

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

missis secreto illis ista inculcabat: „Romæ fuit relatum, quod S. R. Imperii „Electores Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus de Cæsare, qui ex Principibus suæ doctrinæ addictis unus erit, „creando, exclusis Austriacis, serio cogitent, atque in id Moguntinum Archiepiscopum ad suas partes pertraxissent, „verum hoc nuntio Pontifex ultra modum animo commotus fuit, & Hispani „Oratoris, ex quo id Papa resciverat, „sollicitatione cum novem delectis Cardinalibus in arcanum seductis contulit, decrevitque, quod propterea, ut „perniciem ex illa Septemvirorum conspiratione toti Germaniæ, atque adeo „rei Christianæ impendentem avertat, „tres hosce Electores ob sectariam labem quasi indignos jure electionis privare, illudque in se transferre velit.

Hæ rationes, pluresque aliæ a Schombergio allatæ nonnulla removebant obstacula, quæ Andegavensis Ducis electioni a Germanis opponebantur.

§. LXXXV.

Alii ex Germanis a Schombergio sollicitati.

Thuan. l. c. Peracta hac Legatione Schombergius postea Francofordiam ad Mœnum concessit, ibique cum Ludovico Nassovio circa Belgicum bellum transegit: inde

inde vero Caſſellam ad Guilielmum Haſſiæ Landgravium contendit, a quo tamen vix impetrabat, ut ſe clam iſtius electioni patrocinaturum ſponderet, datis commendatitiis literis ad Sophiam, & Annam defuncti Regis Sigismundi Auguſti Sorores, quæ ambæ Lutheri veneno infectæ Auſtriacam domum ſummo inſectabantur odio: nihilominus Schombergius Caſſellis Guelpherbytum petiit, atque Sophiam, quæ tum Henrico Brunsvicenſi Duce orbata erat, eo induxit, ut ad Polonos amicos ſuos in Andegavenſis Ducis favorem literas daret, quibus tam valide ad illius electionem concurrebat, ut poſtea Schombergius æque, ac Montlucus faterentur, quod ei potiſſimum obtenti regni felicitas in acceptis referenda eſſet. Demum Schombergius inde Dresdam proficiſcebatur, ad Saxoniæ Electorem non ita pridem Vienna reducem: aſt nihil fere ab hoc Principe impetrare poterat, eoquod a Gallicis rebus animum maxime averſum haberet. Sæcul. XVI. A. C. 1573.

§. LXXXVI.

Commendoni ſtudia in Erneſti Archiducis favorem.

Ex adverſo Commendonus Erneſtum Archiducem in Poloniæ Regem eligi ſollicitabat, atque in hujus Principis *Gratian. vita Commend. Thu. l. 56.*

Sæcul. XVI. A.C.1573.

cipis favorem præcipuos Lithuaniæ Proceres Nicolaum Radzevilium, & Joannem Cothevicum sibi conciliabat, licet primus ex his tam acer, tamque juratus esset Ecclesiæ hostis, ut omnia sua bona, auctoritatemque pro fidei Catholicæ exterminio impenderet, ac præ ceteris prior non modo novos errores in Lithuaniam inveheret, sed ferme unicus illos per cunctas Poloniæ Provincias diffunderet, hinc etiam Nicolaum ex quatuor suis Filiis natu majorem, dum vix ætatem primis humaniorum literarum, sectæque rudimentis percipiendis idoneam attigerat, quantocius in Germaniam misit Sectariorum doctrina imbuendum: postquam vero hic juvenis ad illam ætatis maturitatem pervenerat, ut ipsus res ponderando, ac de iis sanum judicium ferendo par esset, ob tam frequentem sectarum diversitatem, ac perpetuam opinionum, ac fidei immutationem, quam inter hæreticos quotidie occurrere noverat, animum ab imbibita hæresi aversum habere cæperat, eumque conservarat ad illud usque tempus, quo ipsius Pater decesserat: tum vero exteras regiones pervagari statuens in Italiam venit, atque aliquamdiu Romæ commoratus cum Commendono arctiorem contrahebat amicitiam, hujusque Præ-

Præſulis ſermonibus ad veram Majorum ſuorum Religionem revocabatur, ac demum Roma in Lithuaniam reverſus, primas eo curas intendit, ut mala a ſuo Parente Religioni illata repararet, quapropter bona, honoresque Catholicis ab illo ablatas reſtituit, & ſpurios Miniſtros ejecit, ſuosque fratres feliciter ad rectam veritatis ſemitam reduxit, ex quibus alter poſtea ad Stephani Regis preces a Gregorio XIII. ſummo Pontifice purpura decoratus eſt. Sæcul. XVI. A C. 1573.

Alter ex hiſce duobus Proceribus, nomine Cothevicus jam a teneris annis ab hæreticis fuerat ſeductus: verum ad maturiorem ætatem perveniens, mutata animi ſententia errores ſibi nequiter propinatos ejuravit, ac per ipſum Commendonum Eccleſiæ reconciliatus fuit, adeo, ut ambo hi Proceres, qui apud Lithuanos auctoritate plurimum valebant, non modo pietatis, ſed & Religionis ſtudio, ac vinculo conjuncti ſe devoverent Commendono, qui de eorum fide, ac auctoritate certus mentem ſuam circa Regis electionem utrique aperuit, eisque Erneſtum Archiducem propoſuit: igitur de eorum promiſſione ſecurus, Cæſarem de tota rei ſerie certiorem reddebat, miſſoque ad eum Gratiano ſecretorum Miniſtro eundem

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

dem de opportunis hoc consilium feliciter exequendi mediis edocebat.

§. LXXXVII.

Hæreticorum molimina de Commendono e Polonia amandando.

Grat. vita Commen. l. 4. cap. 5. Thu. l. 56. pag. 950.

Verum Cæsaris cunctatio prosperi successus spem præcidit, quinimo ipsemet Commendonus rem ad exitum deducere fuerat præpeditus ob turbida hæreticorum consilia; hi enim Legatum pertimescentes, Regemque suæ sectæ addictum deposcentes nil intentatum, inausumque relinquebant, ut illum e Polonia secedere compellerent: cumque illum Cracoviam ad comitia proxime accessurum nossent, ex suis duos ad eum ablegabant, qui eidem nuntiarent, quod inde protinus recederet. Hi deputati Commendono sexta a Cracoviensi urbe Leuca occurrunt, quos Legatus comiter excipiens illos sereno vultu auscultabat, & tandem subridens illos his verbis allocutus fuit: „singulari semper affectu Polonos pro„secutus sum, hinc de vestra sollicitu„dine, qua hisce comitiis intenti estis, „vobis gratulor: absit autem a me, ut „ibidem tumultum, aut seditionem „excitem, sed potius vobis persuasum „reddere sollicitus sum, quod unice ad „pacis conservationem huc venerim, „atque

„atque ad id plus ceteris conferre pa- Sæcul. XVI.
„ratus sim: porro quoad id, quod a A C. 1573.
„me, ut inde recedam, petitis, si hanc
„in rem Senatus, ceterique Regni Or-
„dines ad me suos misissent deputatos,
„in promptu esset, quid responderem;
„verum res mihi non est cum Viris, ac
„conventu unius Provinciæ, quæ a re-
„liquo Regni corpore avulsa aliunde
„nullius est auctoritatis.„ Dato hoc responso Deputatos summa urbanitate habuit, eosque perhonorifice remisit, ac suum iter prosecutus intra paucos dies ad quoddam Monasterium prope Sixadiam se contulit, ubi aliquamdiu subsistens Cracoviam perexit, comitiis interfuturus, prius tamen in eodem cœnobio Gratianus e Cæsaris aula redux Commendonum convenerat.

§. LXXXVIII.

Poloni Andegavensium Duci magis propitii.

Montlucus Valentiensis Episcopus Polonorum animos in Andegavensis Ducis favorem efficacius inclinare satagebat, non modo propriam adhibens industriam, sed suorum quoque Procuratorum opera usus, qui demandato suo muneri adeo dextre, ac feliciter fungebantur, ut inferiorum comitiorum Nuntii haud obscure intelligerent,

Sæcul. XVI. A. C. 1573.

quod ex omnibus Regni competitoribus nulli præter Andegavenſem Ducem major ſpes affulgeret: hic vero præcipue ſibi longe copioſiorem faventium factionem exinde conciliabat, eo quod quidam Nanus, nomine Crazosckius natione Polonus hunc Ducem continuo amplis elogiis celebraſſet; is enim jam teneris in cunis in Gallias adductus, ac Reginæ dono datus diu ſuis facetiis totam aulam recreabat, cumque aſtutia plenus eſſet, tam provide rebus ſuis proſpexerat, ut brevi locuples evaderet, unde cum itineris in patriam ſuam ſuſcipiendi expenſas ferendo par eſſet, adhuc vivente Auguſto Rege in Poloniam revertebatur: cuncti igitur Poloni Proceres hujus Pygmæi aſpectu læti de Franciæ aula frequens cum eo colloquium miſcere certabant, qui etiam eorum quæſtionibus ſatisfaciens in commendandis Andegavenſium Ducis meritis, ejusque fortitudine nunquam exhauriri poſſe videbatur, hujusque Principis elogia poſt Auguſti Regis obitum, tam frequenter iterabat, ut ex primæ Nobilitatis Viris non paucos huic Duci admodum propenſos redderet.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI. A.C 1573.

Præstitutum comitiorum tempus, locusque pro futura electione.

Polonorum animis ita disposítis generalia Regni comitia pro futura electione Varsoviæ ad diem quintam Aprilis indicebantur: paucis vero ante diebus illi, qui Andegavensi Duci adversabantur, ut illius res everterent, binas confingebant literas, in quarum prima, perinde acsi a Lotharingio Cardinale ad Commendonum scripta esset, ille Purpuratus istum ad promovendam Andegavensis electionem hortabatur, spe facta, quod sacram Sedem haud potentius, quam hoc patrocinio sibi devincire posset, eoquod hic Princeps vix in Regem electus absque dubio Religionem Catholicam in Polonia iisdem omnino viis restauraturus esset, quibus jam antea tantam nominis sui famam in Galliis aquisierat, proin illos, qui lenitate ad saniora reduci renuerent, ac sese regio mandato opponerent, e regno eliminaturus esset. Alter libellus itidem erat epistola, quam a Galliarum Rege ad Cæsarem eo fine scriptam fingebant, ut certior fieret, quod Rex suos Legatos ad promovendam fratris sui electionem in Poloniam ideo duntaxat misisset, ut a Valentiensis Epi-

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI. A C. 1573.

ſcopi importunitatibus ſeſe eximeret, nunquam tamen de Andegavenſi Duce ad hoc regnum evehendo cogitaſſet, ſi Cæſarem ſuum Vitricum pro Erneſto Archiduce Filio ſuo hanc coronam petiiſſe ſciviſſet, ac propterea, ut illius electionem magis expeditam redderet, Rex Montlucum quantocius revocare ſtatuiſſet. Verum utriusque epiſtolæ falſitas poſtea detegebatur.

§. XC.

Montluci oratio in comitiis pro futura electione Varſoviæ celebratis.

Thuan. l. 56. pag 951. Gratian. in vita Commend. l. 4. cap. 11.

Poſtea Valentinenſis Epiſcopus eloquentem juxta, ac ſolidam concinnabat orationem in comitiis pronuntiandam, qua Polonorum animos efficaciter perſuaderi ſperabat: ut vero hæc oratio a pluribus intelligi poſſet, illam ex latino in Polonicum idioma transferri, ac Cracoviæ imprimi curabat, ipſus autem inde Varſoviam contendit, quo etiam Hiſpaniæ Legatus venerat, Archiducis partes propugnaturus.

Porro hæc comitia, ad quæ triginta Nobilium millia confluxerant, in ſat ampla planitie ſub tentoriis celebrata fuere, atque hujus univerſalis congreſſus pro electione habendi dies præfigebatur

batur quinta Aprilis anni post Christum natum millesimi quingentesimi septuagesimi tertii. Ibidem invocato Spiritus sancti auxilio hæc sancita fuerant. I. Exterorum Principum audiantur Legati, & Orationum ab eis habitarum exemplaria triginta duo, tot enim erant provinciæ, seu Palatinatus, tradantur, II. Palatinorum quivis ad suæ provinciæ nobilitatem has orationes deferat, III. præcipuis aliquot Senatoribus injungatur, ut singularum petitionum, quas Oratores proposituri essent, merita discutiant, atque sincere congregatis cujuslibet competitoris prærogativas, dotesque exponant, unacum utilitatibus, & periculis, quæ ex eorum electione oriri possent. IV. his peractis, a Senatoribus, & universa nobilitate suffragia exquirantur, & in quem universi totius Regni Ordines, consentientibus inter se judiciis, convenirent, is legitimus Rex habeatur. Equidem ab initio Senatorum votum erat, ut prius de legibus, & statutis condendis ageretur, & tum ad electionem procederetur, propterea Protestantes, qui apud Polonos Evangelici dicuntur, petebant, ut non tantum per statuta Sectæ suæ securitati caveretur, sed etiam is, qui in Regem eligendus est, illos nullis legibus adversus

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Sæcul. XVI. A.C. 1573

fidei Catholicæ desertores in Polonia stabilitis subjicere, nec contra eos pœnis, ac suppliciis agere posset, quinimo cuilibet liberum sit, quamcunque is opinionem voluerit, tueri, ac pro suo arbitrio cultum, dummodo honestum, Deo tribuere valeat. Verum Gnesnensis Archiepiscopus Cleri, ac Senatus princeps, necnon ceteri omnes Senatores Catholici temerario huic petito acriter sese opponebant, declarantes, nihil se quidem contra Evangelicorum libertatem facturos, imo potius omnia passuros, quam ut ob eam causam ad bellum civile deveniretur: sed iidem periculum subesse demonstrabant, si concessa conscientiarum promiscua libertate, etiam publicis edictis firmata, porta sectis, & omnis generis monstrosis opinionibus aperiretur.

§. XCI.

Cardinalis Commendonus in comitiis auditus.

Thu. l. 56. p. 952. Gratian in vita Commend. l. 4. c. 10.

Cum ejusmodi contentiones rem in longius protraherent, metusque esset, ne ob nimiam dilationem Nobilitas sumptibus hanc in rem faciendis, necnon longioris moræ tædio gravata interim dilaberetur, hinc Montlucus tandem obtinuit, ut præprimis Legati audirentur, ex quibus prior verba fecerat

cerat Boruſſiæ Ducis Orator; hæc enim prærogativa eidem competebat, eoquod hujus regni beneficiarius cliens eſſet: eo autem ſuam orationem abſolvente Cardinalis Commendonus excipiebatur, ad cujus ædes tres Epiſcopi, totidemque Senatores Laici deputabantur, qui illum unacum præcipuis ex Nobilitate Polona comitantes ſingulari honore afficiebant: quamprimum igitur Commendonus advenerat, mox ſedem ſibi deſtinatam medius inter Gneſnenſem, & Cracovienſem Epiſcopos occupans Pontificis literas Senatui porrigebat, quibus perlectis orationem ſuam exorſus tanta rationum gravitate, ac verborum vehementia contra hæreticas factiones declamabat, ut Proteſtantium Procerum plures illum nonnunquam interrumpere molirentur. Tandem Pontificis nomine Polonos hortabatur, ut ejuſmodi Regem eligerent, qui Catholicæ Religionis ſtudioſus effræni hæreticorum licentiæ habenas non laxaret, ſed potius auctoritatem Eccleſiæ tueretur, qua everſa ſimul etiam regni fundamenta collabi neceſſe eſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1573.

„Id, addebat Cardinalis, de inſigni „veſtra prudentia, & æquanimitate in „hac maxima rerum conſultatione ſpero, „ſumpto ex eo augurio, quod cum in

Sæcul. XVI. A.C. 1573

„libero regno nati Rege tamdiu carue-
„rint, silentibus Regis morte legibus,
„omnes tamen ex lege vixerint, & sua
„cuique voluntas, studium, & in pa-
„triam charitas pro lege fuerit, adeo,
„ut in tot nobilium, & militarium ho-
„minum millibus nullus tumultus, nul-
„la vis, nullæ seditionum turbæ exti-
„terint; ea igitur animorum tranquilli-
„tas, & consensio, quæ inter vos vi-
„get, spem facit, fore, ut eum in Re-
„gem eligatis, qui eandem etiam in
„religione pacem, & unionem sectetur,
„& Christi exemplum, ac præceptum
„amplectatur, qui est pax nostra, &
„qui facit utraque unum, per crucem
„interficiens inimicitias in semetipso, &
„& dissidentes reconcilians in uno cor-
„pore Deo, ut ipsi occurramus omnes
„in unitate fidei, & agnitione filii Dei,
„& per ipsum habeamus accessum in
„uno Spiritu ad Patrem.

Attamen Sandomirensis Palatinus Legatum perorantem præ ceteris vehementius interrumpens ajebat: „Legati „potestatem excedis, tibique Consilia-„riorum, Senatorumque authoritatem „arrogas, hinc precamur te, ut de rebus, „quæ nos concernunt, deliberandi li-„bertatem nobis gratiose relinquere „velis: minus vero in re aliena sis cu-„riosus, ac nostram agendi rationem „car-

„carpere desinas; te enim alienigenam „esse cogita, ac unice Pontificis man- „data, si quæ tibi commissa sunt, exe- „cutioni dare sollicitus existas.„ Sæcul. XVI. A.C.1573

Ad hæc Palatini verba Senatores unaomnes sese erigebant, cunctique Nobiles, qui rursus ad eos convenerant, tanta indignatione erant commoti, ut in crebras injurias, minasque contra hæreticos erumperent: quinimo Cothevicus, & Laskius e suo loco excedentes gladium stringere parabant, adeo, ut abs dubio ingens suscitatus fuisset tumultus, nisi Palatinus suam dicendi libertatem inhibuisset, ac Legatus sereno vultu signum dextera dedisset, petens, ut sibi modicum differendi spatium indulgeretur, quo obtento, cunctisque suas sedes repetentibus Commendonus ad Palatinum conversus, eundem his verbis subridens alloquebatur: „Quis sim, & „quæ mei sint officii, haud ignoro, eaque „opere expleo, quæ mei muneris esse „dicis; nam jussa mihi a Pontifice de- „mandata exequor, certusque existo, „quod ipse non modo sollicitus sit de „Regis electione, quam nunc facere co- „gitatis, sed etiam de vestra salute, ac „tranquillitate totius regni, quod for- „tuna, & gloria præstantissimum red- „dere satagit. Ceterum non te solum „impræsentiarum alloquor, sed verba

Sæcul. XVI. A C 1573

„mea ad totum hunc conſeſſum dirigo; „equidem non ſum Senator, aſt nec „te eſſe Senatum recordare.„ His præmiſſis Commendonus orationem ſuam cum tanta verborum concinnitate, animique ſerenitate proſequebatur, ut de iis, quæ proferre parabat, ne unicum quidem verbum excideret. Poſtea Gneſnenſis Archiepiſcopus nomine totius conſeſſus ſummo Pontifici, & Legato grates rependit ob ingentem ſollicitudinem, qua pacem, & Poloniæ ſalutem promovere ſatagerent, demum Legato fidem dabat, quod Senatus ſalutaria hæc conſilia exequi intentus foret. His ita peractis Commendonus receſſit, eumque totus Senatus Sandomiriæ Palatino, & quibusdam aliis hæreticis Proceribus exceptis, uſque ad ſuum Palatium comitabatur.

§. XCII.

Cæſaris Orator ad colloquium admiſſus.

Thu. l. 56. Altera die Cæſareus Orator nomine Guilielmus Urſinus Roſembergius ſupremus Bohemiæ Burgravius ad alloquium admittebatur, cui a Cæſare adjungebatur Andreas Dudithius, legationis utique princeps futurus, ſi ut in priſtina apud Cæſarem gratia, ſic in Majorum religione perſeveraſſet: cum vero Auſtriacæ Domui addictiſſimus eſſet,

esset, hinc ad urgendam Ernesti Archiducis electionem ceteris magis idoneus credebatur, quamvis nonnisi secundus Legationis locus eidem fuisset attributus, ne exinde Papa offenderetur: itaque Rosembergius in suo sermone præcipue Ernestum Archiducem præ quocunque alio commendabat, eoquod Sclavonicæ linguæ, quæ Bohæmis æque, ac Polonis communis est, peritia clarus hisce populis vicinior esset, ac proin auxilia, cum opus foret, in proximo haberet, quod a longinquis Principibus regni competitoribus sperari nonposset. Denique exponebat, quod tunc, si Poloni Gallicæ Nationis Principem electuri essent, ægre admodum ei accessus ad regnum suum a Germaniæ Principibus concedendus foret. Sæcul. XVI. A.C. 1573.

§. XCIII.

Valentinensis Episcopi oratio pro Andegavensium Duce.

Eadem die Franciæ Oratores accersebantur, Montlucus tamen morbum caussatus rem usque ad alteram diem differre postulabat; hujus autem moræ opportunitate usus sese ad diluendas Rosembergii rationes accingebat, hinc cum ejus oratio jamjam typis impressa esset, quinque nova adhuc folia eidem inserere cogebatur, ejus autem sermo circa *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1573. circa præcipua puncta, quæ nondum in apologiis in lucem editis fuere agitata, versabatur, eorumque primum ipsam Andegavensis Ducis Personam, necnon amplas, quas posslideret, Provincias respiciebat, alterum vero complectebatur rationes, quibus Præsul Ducem propter Colinii Architalassi necem vindicabat, exponens, quod hic idem maris Præfectus suam Patriam Calvini erroribus infeciisset, multaque militum otiosorum agmina seditionis tempore aluisset, ut suorum concivium sanguinem fundere posset: cum autem hic Episcopus de ipso Andegavensi Duce sermonem inflecteret, eundem ob Nationis suæ gloriam, generis splendorem, ætatem imperio maturam, & morum probitatem cum rara ingenii præstantia conjunctam, necnon ob suam in Reipublicæ administratione peritiam, atque in re militari experientiam, felicitatemque in omnibus expeditionibus suis comprobatam commendabat: his dictis illud, quod de Polonicæ linguæ ignorantia objiciebatur, diluit, & simul refellit, quod Dux nullas Provincias Imperio Polonico adjungere posset: præterea, quæ ejus rei commoda, & emolumenta ex Andegavensis electione sperari possent, multis verbis prosequitur, simul hæc exponens: „Nullæ illi sunt

„cum

„cum quovis principe inimicitiæ, aut „ullæ de finibus controverſiæ; nec ho- „ſtis regni unquam fuit, ſed e gente „nominis Polonici amantiſſima ortus: „inſuper magnæ illi in Gallia ditiones, „& opes in iis ſuppetunt non mediocres, „cum ejus vectigalia ad quadringenta „quinquaginta aureorum millia excur- „rant: hinc claſſem ex iis in regni uſus „comparare ex ſuis ſumptibus poteſt, ad „Narvicam navigationem tuendam, con- „ſervandumque cum Moſcovitis, & „Livonibus commercium, & Vaſcones „in has oras ſeptentrionales, dum ne- „ceſſitas poſcet, tranſportari valent; „nam a portubus Galliæ Gedanum uſ- „que tantum decem dierum navigatio „intercedit: qua opportunitate omnes „Europæ nationes ab hoc commercio „excludi poſſent: porro his opibus „Academiam Cracovienſem, & Gym- „naſium in ea inſtitutum inſtaurare po- „tens erit.„ His præmiſſis Montlucus ea, quæ de crudelitate ab adverſariis objecta fuerant contra Regem, & ipſum Andegavenſem, multis verbis, & prolixa narratione refellere aggrediebatur, & Regis patientiam, ac utriuſque benignitatem, & clementiam plurimum dilaudans, tumultum Pariſienſem neceſſitate potius, quam conſilio contigiſſe oſtendit, atque Regem poſt turbas

Sæcul. XVI. A.C 1573.

Lu-

Sæcul XVI. A.C.1573. Lutetiæ ſedatas, nequid ſimile in ceteris Regni urbibus accideret, edicto per diſpoſitos equos celerrime perlato, & propoſitis graviſſimis in edicti contemptores pœnis prohibuiſſe dixit: „Huic „edicto, proſequebatur Epiſcopus, pa„ruerunt urbes omnes, ſex exceptis, „in quibus plebs efferata, & ſuperio„rum temporum injuriis, quas a Pro„teſtantibus acceperunt, laceſſita nulla „ratione cohiberi potuit: Andegaven„ſis autem, cum ſententiam ſuam de „hac re edicere rogaretur, omnino re„cuſabat, cum inhoneſtum ſibi fore exi„ſtimaret, quod eos, quos armatos, & „validiſſimis exercitibus ſtipatos toties „fortiſſime profligaſſet, extra bellum „interimendos judicaret, atque il„los, quibus belli fortuna peperciſſet, „lanienæ exponi, & a plebis ferocien„tis fæce jugulari permitteret: is „enim talis eſt, qui nunquam iraſci, vel „ſemel commoveri viſus eſt, nec ullius „cujusquam os offendit, & nemini un„quam convicium dixit, aut vim intu„lit, qui ſi Rex a Polonis eligatur, co„gitationes, & affectus, & conſilia ſua „omnia ad hoc unum eſt revocaturus, „ut eos facti nunquam pœniteat, & a „ſubditis ſibi populis, & a poſteritate „Rex pius, bonus, prudens, fortis, ac „pater

„pater patriæ vere, & non adulatorie „dici mereatur.„ æcul. XVI. A.C. 1573.

Hanc Montluci orationem tam festivæ acclamationes excipiebant, ut Andegavensem Ducem procul dubio, si statim ad electionem procederetur, nemine refragante nominatum iri appareret. Postmodum cum Montlucus suo sermoni finem imponeret, Sueciæ Orator declamabat, ac demum ceteri Oratores suo quisque ordine audiebantur, quibus omnibus postea verbis non adeo prolixis responsum est, paucis vero post diebus exhibito Senatus edicto Oratores unaomnes Varsovia excedebant, atque in alio loco comitiorum exitum præstolari jubebantur, quam in rem singulis nonnullæ, ad quas sese reciperent, urbes fuere assignatæ.

§. XCIV.

Hæretici Commendonum excludi a Senatu postulantes.

Hæretici, cum Commendonum pariter in hoc edicto comprehendi, & eidem æque, ac ceteris recessus locum designari postularent, hinc palam exponebant, quod haud necesse sit, arbitrum, ac rerum Polonicarum, quas tamen secretas tenere e re foret, testem e longinquo advocare, præcipue cum aliunde præter morem accidat, quod *Gratian. in vita Commend. l. 4. c. 11.*

Sæcul XVI. A.C.1573. quod in comitiorum loco auctoritas præ-valeat exteri Principis, qui Polonis quamdam suæ libertatis partem adimere posset: unde ceteri Legati merito querendi ansam captare valerent, si Legatus Cardinalis Varsoviæ remaneret, ceteris inde excedere jussis. Verum cunctis hisce cavillationibus Catholici sese opponebant, cum autem hæc contentio indies recrudesceret, atque haud parum Senatores perturbaret, Commendonus omnem dissensionis umbram prævertere intentus ultro Schernevicium oppidum duorum dierum itinere Varsovia dissitum secessit: postea vero omnes patriæ probe affecti nulla mora electioni insistere satagebant, quamvis eam, ob novas difficultates ab iis, qui se Evangelicos dicunt, suscitatas differre oportuerit.

§. XCV.

Hæreticorum postulata in comitiis ante electionem proposita.

Cratian. l. c. Hæretici cum ingenti arrogantia petebant primo I. Evangelicorum libertati novis legibus, atque edictis idonee caveatur, simulque Regum auctoritas imminuatur. II. Vetera edicta corrigantur, eaque tempori, ac præsenti Reipublicæ statui accommodentur: porro hoc obtentu, quo jus publicum emen-

emendare ſimulabant, hæretici priſca regni edicta contra ipſos promulgata, aut labefactare, aut omnino penitus abolere moliebantur, ſibi haud temere perſuadentes, quod ipſi eo majori vitæ licentia uti poſſent, quo minor eſſet Regum auctoritas: quinimo perverſis ſuis conſiliis eo temeritatis etiam prolapſi fuerant, ut ſperare auderent, quod tunc, ſi regiam Majeſtatem nobilioribus ſuis juribus ſpoliare poſſent, poſtmodum exteri Principes haud amplius Polonicum diadema, utpote exiguo dignitatis ſplendore clarum, ac nonniſi gravi pondere onuſtum ambituri eſſent, proin ipſi facile quempiam ex ſuæ ſectæ Viris ad hoc ſceptrum promovendi occaſionem nanciſcerentur. Sæcul XVI. A.C. 1573.

Verum Maſſovienſis Provinciæ Nobiles, qui maximo numero ad hæc comitia confluxerant, habito conventu ex ſuis quempiam nomine Coſſobutum, virum ingenii acie, orisque facundia percelebrem ablegabant, qui hæreticis reſpondens eorum fraudes, quas zelo erga publicam libertatem nequiter obvellabant, in pleno conſeſſu manifeſtas redderet. Hic quoque admodum vehementer perorabat, coram Senatu palam profeſſus, quod niſi prompte ad Regis electionem, propter quam ſolam

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

comitia fuissent indicta, procederetur, Nobiles haud amplius sese Senatus auctoritati committere, sed potius ipsimet suis, regnique rebus prospicere parati essent, cum Respublica diutius Principe suo carere non posset. Huic consilio Catholici Senatores, ac Masovienſium potissimi applaudebant, ex adverso autem hæretici querebantur, quod Masovienses sibi rerum summam vendicantes Senatui leges præscribere auderent: postquam vero mutua hæc altercatio aliquot dies tenuerat, tandem Senatus vociferationibus, ac plurimorum, qui Regem eligi petebant, minis territus præcepit, ut die quarta Maji electio institueretur: prius tamen Montlucus antea Posckium secedere jussus Varsoviæ permanendi facultatem exorabat adversam caussatus valetudinem, hoc autem obtentu usus comitia accedendi occasionem nanciscebatur, ubi etiam habita rursus oratione cuncta, quæ contra conditiones a Rege oblatas Gallici nominis hostes perperam objectabant, refellere nitebatur, innovatisque hisce pollicitationibus sincerum Regis animum deprædicabat.

§. XCVI.

Conventus pro Regis electione habitus.

Die

Die ad Regis electionem præstituta singuli sedes suas occupabant quisque juxta ordinem sui Palatinatus, quo nomine Poloni suas Tribus nuncupant, in quibus Episcopi, plerumque ibidem præsunt, ac præ ceteris primi sua ferunt suffragia, cunctaque in deliberationem vocanda in suis cœtibus referunt, ubi quivis suam sententiam alta voce pronuntiat: itaque Episcopi in sua quisque Tribu collocati, priusquam Regis electionem proponerent, in genua procubuere, quod & a reliquis omnibus postea factum, ita, ut unaomnes flexis genibus intonato Hymno auxilium Spiritus Sancti invocarent: postea cunctorum sententiæ manifestabantur, ac ferme omnes Tribuum Principes pro Ernesto Archiduce perorabant, quibusdam Sueciæ Regem proponentibus: nonnulli autem ex præcipuis Poloniæ Proceribus quemdam nominarunt, interim potissima suffragia in Andegavensem Ducem conspirabant: ut ergo tres duntaxat Polonici Sceptri competitores numerarentur, nimirum Ernestus, Andegavensis Dux, & Sueciæ Rex, hinc novem seligebantur Viri, qui cujusque rationes, ac jura in Senatu discuterent, adeo, ut Competitorum cuilibet tres adjungerentur Deputati, & quidem Andegavensium Duci Cujaviensis

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Gratian. l.c.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

vienſis Epiſcopus, Sandomiriæ Palatinus, & Dantiſci Caſtellanus: Erneſto autem Archiduci Ploſckienſis Epiſcopus, Marioburgenſis Palatinus, & Caſtellanus Lublinenſis, denique Sueciæ Regi Cracovienſis, Ravanus, & Podolienſis Palatini, quorum quilibet ferme eadem, quæ in ſua tribu dixerat, in comitiis referebat: præcipue vero Ploſckienſis Epiſcopus ſermone ſuo gravibus omnino rationibus ſuffulto ſuffragia Erneſto conciliare nitebatur: verum his nec Senatus, nec Nobiles movebantur.

Viciſſim Evangelici, & præcipue Cracovienſis Epiſcopus Sueciæ Regem amplis deprædicabant elogiis, eos tamen Cotchevicus interrumpens prolixa oratione illorum rationes tam potenter refellebat, ut hac de re amplius mentionem facere non auderent. Demum Cujavienſis Epiſcopus pro Andegavenſi Duce perorabat, quem etiam univerſus Conſeſſus perbenigne excipiens ſua attentione, ac ſilentio ſuam in hunc Ducem propenſionem haud obſcure manifeſtabat; cunctorum enim vultus ad ſerenitatem compoſiti cernebantur: quapropter hic idem Præſul, qui ſe ejuſdem patriæ civem gloriabatur, benigno audientium applauſu, atque affectu opportune uſus, quotiescunque vel vocis ju-

jubilo, vel manibus complosis sibi applaudi desiderabat, suam orationem nonnihil interrumpebat, suumque os, & subinde frontem strophiolo absterge-bat, perinde acsi ad publicos applausus signum edere vellet. Denique omni ex parte congregatorum animus in Ducem propensus deprehendebatur, quapro-pter quivis suæ Tribus ordinem repe-tere, ac confessus vota ad Senatum re-ferre jussus est. Sæcul. XVI. A.C.1573.

§. XCVII.

Andegavensis Dux in Poloniæ Regem electus.

Animis ita dispositis die nona Maji conventu rursus habito ex triginta quinque millibus hominum, qui huic electioni adstiterant, unaomnes Ande-gavensium Ducem in Regem nomina-bant, exceptis Cracovienſi Palatino, & quingentis circiter hæreticis, ex qui-bus plures de exiguo suorum numero erubescentes mutata animi sententia de-clararunt, quod & ipsi illum pro Rege agnoscere vellent, quem eis Senatus proponere voluerit: quo facto ad sua contenderunt tentoria. *Grat. l. 56. Thuan. l. c. Spond. hoc ann. n. 8. Avila hoc anno l. 5. Dupleix hist. de France t. 3. p. 809.*

Postea Gnesnensis Archiepiscopus præ gaudio exiliens electum proclaman-di jus sibi competere contendebat: cum tamen hæc res ob altercationes usque

Sæcul. XVI. A.C. 1573. ad ſeram noctem protraheretur, hinc eam publicationem uſque ad alteram diem differre ſtatuit, cum autem pertimeſceret, ne propter ſequentes Pentecoſtes ferias, in quibus Senatus haberi non ſolet, intra tridui moram facies mutaretur, hinc præter morem Andegavenſium Ducem Poloniæ Regem renuntiavit: verum hæc agendi ratio reprobata fuerat a quibusdam Palatinis, cauſſantibus, quod hæc promulgatio haud legitime fuerit facta, eaque a Regni Tribunis fieri conſueverit: hinc illam omnino irritam declarabant: ſed tandem Montlucus rem compoſuit, propoſita hac conditione, vi cujus proclamatio ab Archiepiſcopo facta pro ſimplici declaratione haberetur, de cetero a tribunis Regni rurſus more ſolito eadem fieret: qua in re rurſus nova contentio circa proclamationis locum exorta eſt, cum ii, qui contradicebant, eam ſub tentoriis fieri debere dicerent: aſt Archiepiſcopus nulla ratione adduci potuit, ut electione ſemel facta ex urbe ad tentoria reverteretur, verum Montluci precibus exoratus tandem acquievit, & quinto poſt die coram Franciæ Legatis Ploſcovia evocatis, primum a Joanne Firlejo Dambroviczano, Cracovienſi Caſtellano Regni Tribuno, poſtea autem ab aulæ Mareſcallo, ac denique

a

a Samogitiæ Palatino, qui Tribuni Lithuaniæ vices agebat, Henricus illuſtriſſimus Princeps, Andegavenſis Dux Poloniæ Rex renuntiabatur. Sæcul. XVI. A. C. 1573.

Hujus electionis decreto Epiſcopi, Palatini, & Caſtellani nonniſi ægerrime ſubſcribebant, quo tamen confecto ceterorum cura unice eo abibat, ut illud ad Regem recens electum in Gallias transmitteretur, quam in rem tredecim nominabantur Oratores, qui illud deferrent, Regique porrigerent.

§. XCVIII.

Cracovienſis Evangelicorum Synodus.

Cum interea hi Oratores iter ſuum proſequerentur, illi, qui ſe Evangelicos dicebant, exeunte Menſe Septembri Cracoviæ circa ſectæ ſuæ negotia generalem celebrabant Synodum, in qua cuncta decreta tribus adhinc annis Argentinæ condita confirmabant, ſuisque fratribus tam Confeſſioni Auguſtanæ addictis, quam Bohemis ſuas conſuetudines, ritusque ſervandi libertatem indulgebant; quippe ob Cardinalis Commendoni abſentiam audaciores effecti fuerant. *Thu. l. 56.*

§. XCIX.

Commendonus in Italiam reverſus.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Electo novo Poloniæ Rege Commendonus Legatus datis ad Papam literis in Italiam redeundi veniam postulabat, quamvis summus Pontifex exoptaret, ut recens nominati Regis adventum præstolaretur, illumque in primis regni sui auspiciis salutaribus consiliis adjuvaret, nec minus id Franciæ Oratores a Commendono exorabant: cum autem Viro de Ecclesia adeo bene merito hæc gratia denegari haud posset, Papa literis benevolentia plenis eidem rescripsit, quod ejus arbitrio relinqueret, an Romam venire, vel Regem expectare vellet: Commendonus autem urbem repetere statuens Gratianum, quem a secretis habebat, in Polonia reliquit, dato eidem negotio, ut tamdiu, usque dum Rex ex Galliis adveniisset, ibidem subsisteret, eo fine, ut tunc, si hæretici mutata rerum facie rursus Regni tranquillitatem interturbare molirentur, saltem non deesset, qui summi Pontificis nomine illos præpedire posset, ne quicquam contra veram Religionem moverent.

§. C.

Poloniæ Legati Parisios venientes.

Die decima nona Augusti Poloniæ Legati Lutetiam Parisiorum venerant, ubi ab utroque Rege, totaque aula

aula cum debiti honoris teſtificationibus fuerunt excepti. Tertia poſt adventum die ſiſtebantur Regi, cujus dexteram oſculabantur, ac Poſnanienſis Epiſcopus ſuorum ſociorum nomine verba faciens ita diſſerebat: „cum Polonica Natio ſui erga regiam Majeſtatem affectus teſtimonium magis luculentum haud edere potuiſſet, niſi dum ejus Fratrem ad ejuſdem diadematis honorem aſſumpſerat, duntaxat ejuſdem precibus ad id permota, hinc hujus felicitatis nuntium allaturi in Franciam contendimus, ſpe freti, quod hæc electio in totius Europæ commodum cedat.„ Ad hæc Rex ob Legatorum adventum ſe gaudio affici teſtabatur, ubi iidem poſtea ad Reginæ Matris, necnon ad regiæ Conjugis alloquium admittebantur. Sæcul.XVI. A.C.1573.

§. CI.

Oratores novum Regem ſalutantes.

Altera die Poloni Oratores equis vecti ſua obſequia novo Regi ſuo non ita pridem a Rupellenſi obſidione reverſo deferre parabant, qui etiam a præcipuis aulæ Proceribus ad eundem introducti perbenigne excipiebantur, hac etiam occaſione Poſnanienſi Epiſcopo perorante, qui hæc effatus eſt: „cum „regnum per Sigiſmundi Auguſti obi- *Thu. l.* 57.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

„tum vacaſſet, Senatus, Nobilitas, o„mnesque ceteri Ordines tam in Polo„nia, quam in Lithuania comitia ege„runt, collectisque ſuffragiis pro more „noſtris Majoribus ſolemni, ac uſitato „te in Regem ſuum elegerunt, ut utri„que Nationi imperares, attamen te „memorem fore rogamus, ut eodem „animo, quo tibi regnum detulimus, „illud accipias, neque demonſtres, quod „regium decus non magis ſtudio, & „voluntate gentis, quam egregiis tuis „in Rempublicam Chriſtianam meritis „ſis conſecutus, illudque hac ratione „moderari, ac tueri tenearis, præpri„mis vero ſacramenti religione te ob„ſtringere, ac polliceri debes, quod ea, „quæ in pleno Senatu per Franciæ Ora„tores ſpopondiſti, atque obtuliſti, ope„re explere velis: poſtea & ego, mei„que ſocii cum ſumma animi lætitia ef„fectui dabimus omnia, quæ unanimi „ſuffragio in Ordinum comitiis ſancita, „& concluſa fuere, nec ullo pacto vene„rationi, obſequio, & fidelitati Regi, ac „Principi noſtro debitæ deerimus.„

§. CII.

Poloniæ Regis reſponſum hiſce Oratoribus datum.

Thuan. l. c. Poſtmodum Rex latino ſermone Deo omnipotenti Maximo, & Regni Ordini-

dinibus, quod ipsum in hujus inclytæ Nationis Regem elegissent, gratias egit, palam professus, quod præclaræ de se conceptæ opinioni respondere vellet: demum Philippus Huraltus Chivernius Regis Cancellarius orationem prosecutus ita effatus est: „ nihil jucundius „Regi accidere potuisset, quam vester „adventus, vicissim vero regia sua Ma„jestas ad capessendum regni, cujus „possessionem post Deum vestræ debet „liberalitati, regimen quantocius in Po„loniam contendere statuit, palamque „fatetur, quod quamvis de hac lega„tione semper nonnisi præclare senserit, „nunc tamen sua expectatione majora „expertus sit, cum vos nec itineris lon„gitudo, nec viarum asperitas a susce„pto Legationis proposito absterruerit, „ideo pro hoc favore Rex per singulos „vitæ suæ dies sese obstrictum profitebi„tur, & sicut in gestis antea bellis in„signe magni Belliducis nomen sibi com„paraverat, ita & omnibus, qui sub „ejus vexillis militabunt, testatum fa„cere conabitur, quod meliori adhuc „titulo liberalis, ac gratissimi Principis „nomen promereatur, insuper paratus „est, omnes sancitos utrinque articu„los ratos habere, ac confirmare, quam„primum illorum exemplar eidem exhi„bebitur.„ Finito hoc sermone Orato-

Sæcul.XVI. A. C. 1573.

res

Sæcul. XVI. A.C. 1573. res Regis manum deoſculantes eundem officioſe ſalutabant, Rex vero apprehenſa Poſnanienſis Epiſcopi dextera ad ſuum cubile eundem deduxit, quem ſequebantur ceteri Legati, ubi diutius conferentes die ad veſperam inclinata receſſerunt aliquot dierum ſpatium ſibi indulgeri poſtulantes, ut de exequendis juſſis ſibi demandatis deliberare poſſent: altera autem die Regem, Navarræ Reginam, Borbonium, & Lotharingiæ Cardinales convenerunt.

§. CIII.

Poſtulata circa Religionem Poloniæ Regi expoſita.

Thu. l. 57. Biduo poſt Poſnanienſis Epiſcopus unacum hæreticorum Oratoribus, quos Senatus deputabat, denuo ad Poloniæ Regis alloquium admiſſus eidem libellum ſupplicem porrigebat, in quo plura exponebantur poſtulata, atque inter alia primo hæc continebantur: Rex poſſeſſionum ſuarum, ac bonorum, quæ in Galliis habet, reditus per menſarios in Poloniam transmittere teneatur. II. Univerſitatem, & Academiam pro Cracovienſi Nobilitate ſtabiliri curet. III. Privilegia, Nationisque immunitates ſartas ſervet. IV. In Eccleſiaſtica jurisdictione nullum ſibi jus vendicet. V. Cuilibet juxta ſuam religionem vivendi liber-

Gratian. l. 4. c. 12.

libertatem concedat. VI. Pro firma pace inter ſuos ſubditos diverſæ religioni addictos, edicta poſtmodum ſervanda promulget. Hunc poſtremum articulum hæretici, qui Poſnanienſem Epiſcopum comitabantur, præcipue urgebant, a Rege poſtulantes, ut ſeis ſectæ ſuæ libertatem jurato promitteret, hancque ſponſionem violari nullatenus concederet. His quoque addebant, quod Regis Oratores id interpoſita juramenti religione promiſiſſent, ac proin horum fidei ſeſe committerent. Verum Catholici, qui novum Regem comitabantur, reſponderunt, quod Rex duntaxat leges in regno receptas ſervare teneatur, ac privatorum poſtulata nullatenus publicæ utilitati præjudicio eſſe poſſent. Hoc reſponſo vix non quædam altercatio fuit excitata, cum quivis ſuam opinionem tueri ſatageret, ac præprimis Biragus Cancellarius, Morvillerius, Albaſpinæus, & quidam alii in mandatis, quæ Franciæ Rex ſuo Oratori dediſſet, nil tale contineri affirmabant. Sæcul.XVI. A.C.1572.

§. CIV.

Montluci teſtimonium de pollicitatione Polonis facta.

Cum autem præ Montluco nemo alius hac de re pleniorem habuiſſet no-

Sæcul. XVI A.C. 1573.

notitiam, eique ſpeciatim hæc mandata fuiſſent injuncta, hinc ipſe rei veritatem detegere jubebatur; tum enim e Francia reverſus opportune advenerat: hic itaque fatebatur, quod quidem de Religionis diſſidiis quicquam agere juſſus non fuiſſet, cum vero hæretici Pariſienſem Proteſtantium cædem non caſu, ſed ſtudio, atque ex præmeditato conſilio patratam fuiſſe contenderent, eapropter, ut hanc opinionem dimitterent, opportebat, Rex ſe de tantæ crudelitatis Auctoribus pœnas ſumpturum promitteret, ac de cetero Proteſtantibus idonee caveret, & edicta in eorum gratiam a ſe facta ſervaret, cum præteritorum ultionem, & in poſterum ſecuritatem ſuis populis deberet. His rationibus victum ſe, ac perſuaſum Monlucus ajebat, ut hæc Regis nomine promitteret, veritus, ne eos, ſi id recuſaſſet, minus placatos haberet, & procedenti feliciter electionis negotio remora, aut impedimentum inde afferretur. Verum rem ejusmodi eſſe addebat, ut ea nequaquam ad Polonos pertineat, nec ejus ratione Rex teneatur.

§. CV.

Oratorum poſtulata a Poloniæ Rege eluſa.

Cum

Cum id nihilominus hæretici Oratores improbis flagitationibus urgerent, suisque postulatis petulanter insisterent, ex altera vero parte Montluci hostes temere ab eo præter mandata eidem injuncta hæc fuisse actitata opponerent, hinc Rex, priusquam rem decideret, privatim cum Posnanienſi Episcopo, solisque Catholicis Oratoribus rem communicavit, & post crebras ultro, citroque habitas contentiones hæreticorum petitiones variis ludificationibus penitus elusit. Sæcul. XVI. A.C. 1573. *Thuan. l. c.*

§. CVI.

Juramentum a Poloniæ Rege in Ecclesia Beatæ Virginis nuncupatum.

Postera die, quæ præstandi juramenti solemnitatibus erat præfixa, in majori Urbis Templo Beatæ Virginis tota convenerat aula; nam illinc accesserant uterque Rex, Reginæ, legati Poloniæ etiam Evangelici, Pontificis, Hispaniæ, Scotiæ, Venetorum, aliorumque Principum Oratores, Carolus Borbonius, Carolus, & Ludovicus Lotharingii, Aloysius Atestinus Cardinales, necnon Episcopi quamplurimi, Senatores, Aulici, plerique cives in tanta frequentia, ut nullus in vastissimis ædibus locus vacuus fuerit. Peractis sacris *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C 1573.

cris Henricus ad aram maximam coram Petro Gondio Episcopo propositis Sacrosanctis Evangeliis se jura cuique sua in Polonia, & Lithuania illæse servaturum jurato spopondit, eodemque loco Franciæ Rex juravit, se servaturum ea, quæ per Monlucum, Ægidium Noallium, & Vidum Sangelasium Aginni Itiobrigum Præfectum Oratores suos in comitiis illis pactus esset. Tum Rex lautissimum hospitibus suis Poloniæ Oratoribus epulum dedit: perendie vero cum ad colloquium vocati essent, recitatæ sunt literæ Cæsaris, & Principum Germaniæ, quibus sacri imperii Ordines rogati, ut Henrico in Poloniam profecturo iter per Germaniam facere liceret, ipsi, & comitatui ejus transeundi copiam dabant.

§. CVII.

Electionis decretum recitatum.

Thuan. l. c.

Hisce peractis reliquum erat, ut decretum electionis publice, & ritu solemni recitaretur, porro idipsum quoque actum est die nona Septembris in amplissima Palatii Aula, ad quam solemnitatem omnes Principes, Regnique Ordines fuere convocati: ubi cum cuncti, qui ad hunc consessum convenerant, suas sedes occupassent, Legati Poloni clangentibus tubis ingrediuntur,

ad

ad fores excepti, qui a Guiſio Magno palatii Magiſtro ad regium thronum deducuntur, ubi depoſitum erat decretum arcæ argenteæ incluſum: porro ibi Poſnanienſis Epiſcopus pauca præfatus de Polonorum erga Regem cultu, ac ſtudio, ab eo demiſſe petiit, velletne, ut Senatus decretum, quo ejus Frater Henricus Rex Poloniæ dictus eſſet, ipſi coram afferretur, recitareturque, cum ergo reſponſum eſſet, id ſibi placere, quantocius Sanockienſis Caſtellanus hoc Senatus conſultum recitabat: hoc facto Henricus Rex actis Deo gratiis coram Regni ſui Ordinibus, ipſisque Legatis teſtabatur, quod decretum hoc honorificentiſſimum ſibi gratiſſimum ſimul, ac jucundiſſimum eſſet. Poſtea Carolus IX. fratrem ſuum amplexus, ac deoſculatus eſt, nec minus Franciſcus frater, & Henricus Navarrorum Rex Sororius ad oſculum pariter admiſſi: ceteri vero Principes, ſed diſpari dignatione, novum Regem venerati ſunt: legatis quoque Polonis Regis ſui dexteram deoſculari datum eſt, ac demum tota hæc ſolennitas finem habuit. Sæcul XVI. A C 1573.

§. CVIII.

Poloniæ Rex Lutetiam Pariſiorum ingreſſus.

Sæcul. XVI. A.C. 1573

Altera die Henricus Rex cum ingenti pompa Parisios ingrediebatur; nam erigebantur in omnibus Urbis compitis arcus triumphales, quæ Statuis, ac picturis, variisque inscriptionibus tam ligato, quam soluto idiomate in Polonorum laudem concinnatis ornatæ erant: insuper plura spargebantur carmina de iis elucubrata rebus, quæ hanc solemnitatem præcipue concernebant: Vespere autem Regina Mater Senatus Oratores in suo Palatio, quod a turriculis nomen habet, magnifico excepit convivio: demum vero Poloni splendidis muneribus aucti, atque in eorum gratiam genialia festa, equestres ad trajiciendum annulum decursiones, ludicra certamina, celebres choreæ, & ceteræ omnes, quæ excogitari poterant, festivæ jucunditates instituebantur.

Thuan. l. c.

§. CIX.

Rambulietus a Rege in Poloniam missus.

Thuan. l. c.

Priusquam Poloni Oratores e Galliis abibant, bene visum est, ut Joannes Sborovius in Poloniam præmitteretur, qui Senatum certiorem faceret de successu legationis, & de prompta Regis profectione, necnon de tempore adventus sui in Poloniam, ut Regni hujus Vasalli ad inaugurationem edicto voca-

vocarentur: insuper Nicolaus Angeneus Rambulietus, qui jam multis legationibus magna cum prudentiæ laude defunctus fuerat, a Rege mittebatur, ut Senatum conveniret, & Regis nomine gratias ageret, eoquod ad ipsius commendationem apud ipsos factum esset, ut in fratris sui electionem consensissent. Sæcul. XVI. A C. 1573.

Porro hic in Poloniam delatus ad Annam Sigismundi Augusti Sororem, quæ Henrici electionem plurimum promoverat, sese contulit, eamque utriusque Regis nomine salutavit, porrectis officiosæ gratulationis literis: postea autem Gnesnensem pariter invisit Archiepiscopum, qui tum absente Rege regnum administrabat, Gallisque sese semper summopere propensum exhibebat: demum Cracoviam petens altera post adventum die in Senatum introductus est, ubi in amplioris honoris testimonium eo præsente deliberatum fuit de ratione belli gerendi contra Magnum Moscoviæ Ducem, de quo fama ferebat, quod unacum numeroso exercitu Lithuaniam, & Livoniam invadere decrevisset.

§. CX.

Poloniæ Regis discessus.

Postquam cuncta ad novi Regis discessum in Poloniam parata essent, *Thuan. l. 57. Avila l. 5. Spond. n. 10.*

Sæcul. XVI. A C. 1573. Rex die vigesima octava Septembris Lutetia discessit, comitantibus eum illius Matre, ac Procerum quamplurimis, qui eum reliquerant Blamontii exiguo Lotharingiæ oppido: Catharina vero Medicæa Filio suo obortis lacrimis valedicens incautius hæc verba proferebat: „Ito, ito, Fili mi, haud „diu in Polonia moraberis:„ cum autem hæc verba a nonnullis perciperentur, temere suspicabantur, quod Caroli IX. Regis infirmitas, qua postea opprimebatur, ex venenato potu procurata fuisset. Ceterum Henricus totam Germaniam prætervectus exeunte Mense Januario anni sequentis ad Poloniæ fines pervenit, Regina vero Mater in Franciam reversa est.

§. CXI.

Calvinistarum Legati ex Aquitania, & Occidania ad Regem missi, eorumque postulata.

Thuan. l. 57. Mezeray abregé t. 5. pag. 283. Spond. ann. ad hunc ann. n. 11. Ferventibus hisce motibus Protestantes, edicto post Rupellensem deditionem promulgato, sese subjicere recusabant, quapropter in Aquitania, & Occidania eodem die, quo anno priori in sancti Bartholomæi festo Parisiensis clades peracta fuerat, convenerunt, ac conscriptis quibusdam articulis libellum supplicem confecerunt, quem ad

ad Regem tum Villeriæ in Retia agentem transmittebant: porro ſumma poſtulatorum hæc erat, ut præprimis Regi ob egregiam erga Proteſtantes voluntatem, & ſtudium pacis, quæ ad ſtatum Galliæ conſtituendum adeo neceſſaria erat, gratias agerent, & eundem demiſſe orarent, ne in malam partem acciperet, ſi recentis lanienæ Pariſienſis adhuc ſenſu territi, amplius ſecuritati ſuæ conſuli peterent: „neque „enim, inquiebant ipſi, de præclara Regis „voluntate dubitamus, ſed cum videa„mus, quod ipſe pravorum conſiliorum „impulſu, qui nunc in aula præcipuum „auctoritatis faſtigium tenent, ſe aucto„rem immanis illius facinoris, a quo „ingenitam ejus bonitatem abhorrere „ſcimus, publicis quoque literis per„hibuerit, cum paulo ante factum illud „publice eſſet deteſtatus, hinc merito „veremur, ne eorundem artibus pax „edicto nuper facto ſancita violetur, niſi „potentioribus remediis ea firmetur: ad „eam rem igitur poſtulamus, ut eæ „urbes, quas tenemus, noſtrorum mi„litum, quibus ex ærario regio ſtipen„dium numeretur, præſidio cuſtodian„tur, & præter illas urbes etiam aliæ „duæ in ſingulis Regni Provinciis ex „bonorum virorum utriusque Religio„nis arbitrio deſignandæ nobis conce-

Sæcul. XVI. A.C.1573.

Sæcul XVI. A.C. 53

„dantur, quæ itidem præsidio serven-
„tur, numerato pariter ex regia pe-
„cunia stipendio: insuper petimus, ut
„libera sit per universum regnum Reli-
„gionis, quam profitemur, nullo loco-
„rum discrimine administratio, atque
„ex Protestantium numero Senatus in
„Regno constituatur, qui jus inter nos
„dicat: præterea postulamus, ut pro
„alendis nostrarum Ecclesiarum Pasto-
„ribus, illæ quæ ex fundis Protestantium
„percipiuntur, decimæ impendantur,
„omnesque cædis priori anno commissæ
„auctores, vel administri, tanquam præ-
„dones, & publicæ tranquillitatis per-
„turbatores severe puniantur, ac pro-
„pterea edicta Lutetiæ, & Tolosæ ab
„eo tempore contra Protestantes lata
„revocentur: ad hæc oramus, ut Sa-
„cerdotum, & Monachorum, qui Pro-
„testantium doctrinam profitentur, le-
„gitima matrimonia, ex iisque suscepti
„liberi legitimi declarentur, & ad suc-
„cessiones omnes, dignitates, & ho-
„nores admittantur, ejusque rei judi-
„cium penes Judices Protestantes sit,
„Tutores vero pupillorum, quorum pa-
„rentes eam doctrinam amplexi fue-
„runt, eos in eadem Religione educare,
„& instruere teneantur & præcipue
„libera sit ejusdem Religionis in comi-
„tatu Venaicensi, & Avenionensi Diæ-
cesi

„cesi professio, multo minus autem quic- Sæcul. XVI.
„quam in caussa Religionis per Bear- A. C. 1573
„nensem ditionem contra ea, quæ ex
„ordinum decreto a Joanna Regis Na-
„varrorum Matre ordinata sunt, im-
„mutetur: denique flagitamus, ut om-
„nes Principes, Magistratus, ac Regni
„Ordines cunctis hisce articulis servan-
„dis solemni Sacramento fidem inter-
„ponant. „

§. CXII.

Alia Protestantium postulata in Delphinatu, & Provincia.

Perlecto hoc libello, cui plurimi Proceres sese subscripserant, Rex summam inde indignationem concipiebat, quinimo Regina Mater iram dissimulando impar edicebat, quod Condæus Princeps, si adhuc in vivis esset, nequidem dimidiam harum conditionum partem in hoc petulantissimo scripto petere ausus fuisset: ast hoc Reginæ responso nequaquam Protestantium insolentia imminuebatur, quippe Delphinatus, & Provinciæ Hæretici eodem tempore onera, ac vectigalia nova, haudque toleranda, quæ contra privilegia, & libertates Philippi Valesii, & Ludovici XI. temporibus factas sibi imposita dicebant, pari libertate deprecabantur, quorum tamen omnium postu- *Thuan. l. c. Daniel t. 6. pag. 519.*

Sæcul. XVI. A. C. 1573.

lata, cum præter ſpem, ac voluntatem Rex cogeretur audire, eaque juvenis maxime omnis injuriæ impatiens ad animum revocaret, diſſimulato in præſens dolore Septimanos, & Aquitanos ad Henricum Momorantium Damvillam remiſit, qui illorum querelas exciperet: apud Delphinatus vero, & Provinciæ Delegatos, Rex ſuperiorum temporum turbas, & onera Regni cauſſatus ſe excuſavit, & in poſterum curaturum dixit, ut populum tributis exoneret, & ad priſca privilegia provincias, quantum in ipſo erit, reducat, quamprimum tranquillitas in Regno magis firmata videbitur.

§. CXIII.

Millialdenſe conventiculum Calviniſtarum.

Paulopoſt Occidaniæ Calviniſtæ Millialdi in Rutenis convenerunt, Damvillæ permiſſu, ubi eadem poſtulata denuo agitabantur, & interpretatione quoad nova excogitata capita adhuc amplificabantur, & demum ad ipſum Damvillam exeunte anno miſſa fuere. Hic cum de iis convenire non poſſet, exacerbatis inde animis, & omiſſis pacis conſiliis jam tum ad novum bellum res ſpectare videbatur, ac propterea in eam rem evulgata fuere tunc pleraque ſcripta,

pta, in quibus non parum momenti ad incendendos animos addebatur, præprimis enim prodiit libellus de *Servitute Spontanea*, cui etiam anthenoticon nomen, quod opus a Stephano Boetiano Senatore Burdigalensi olim elucubratum, nunc palam publicatum erat ad præparandos seditioni animos: præterea eodem tempore evulgabatur liber sub Franco-Galliæ titulo, quo sua ætate celebris Franciscus Hotomannus jurisconsultus probare nitebatur, quod Regnum illud inter Christianorum Principatus florentissimum non hæreditatis jure, sed nobilitatis, ac populi judicio, & suffragiis deferri solitum esset, adeo, ut sicut eligendorum Regum auctoritas, ita eorum abdicandorum, & exauctorandorum potestas penes Regni comitia, & publicum gentis conventum antiquitus extitisset: porro eam in rem ex Philippi Valesii, Joannis, Caroli V. & Caroli VI. ac denique Ludovici XI. temporibus exempla repetebat: insuper tunc alius divulgabatur liber ante aliquot annos Magdeburgicæ obsidionis tempore in Germania editus, in quo quæstio de obedientia Magistratui ex verbo Dei debita fuse pertractatur, & obedientiam Deo debitam infinitam, hominum vero finitam esse demonstratur, adeo, ut liceret subditis, cum a

Sæcul. XVI. A.C 1573.

Sæcul. XVI A.C. 1573.

Magistratu opprimuntur, arma ad se tuendos capere. In eandem rem etiam dialogus sub Politici nomine de potestate, auctoritate, & officio Principum, ac populi libertate eodem tempore in publicum prodiit. Cuncta hæc hæreticorum scripta nonnisi ad seditionis, ac rebellionis ardorem animos excitabant, plurimumque conferebant, ut Regiminis norma redderetur invisa, bellique flammæ rursus accenderentur. (*)

§. CXIV.

Nova rebellium hæreticorum factio in Galliis.

Thuan. l. 57. Daniel t. 6. pag. 518. Dupleix pag. 511.

Præter binas Catholicorum, & Protestantium partes tertia conflabatur factio eorum, qui *Politici*, seu de Regni administratione queritantes appellabantur, eoquod palam contra Ministros, ac regimen quererentur, & se unice regiminis, cujus corruptelas exaggerabant, emendationem vindicare jactitabant. Hujus factionis præcipui Duces erant Montmorentius Thorreus, & Hen-

(*) Ita nempe nunquam firma est Principis auctoritas, nec salva Regni tranquillitas, ubi hæresis invalescit, & vera Religio Catholica, aut eliminatur, aut damnanda conniventia variis sectis libertas indulgetur.

& Henricus de Turrenne Vicecomes, qui Alenſonium Ducem natu minorem Poloniæ Regis Fratrem, ut huic factioni præeſſet, urgebant, qui etiam eo promptius illorum conſiliis aquieſcebat, quo iniquius repulſam tulit, qua a ſuprema regni adminiſtratione, quam ambiebat, excluſus fuerat. Sæcul. XVI. A.C. 1573.

§. CXV.

Sancti Roſarii Feſtum a Gregorio XIII. inſtitutum.

Jamjam circiter centum præterfluxere anni, ex quo devotio Roſarii, quod Beatæ Virginis Pſalterium vocatur, a quodam Britano Ordinis ſancti Dominici alumno nomine Alano de Rupe, qui in Hollandia morabatur, fuerat introducta: porro hoc Roſarium centum quinquaginta ſalutationibus Angelicis conſtat, quarum decem ſemper una oratione Dominica interpollantur, hoc vero anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio die prima Aprilis Gregorius XIII. publicam pii hujus exercitii feſtivitatem celebrari præcepit, præfixa prima die Dominica Menſis Octobris, in memoriam inſignis illius victoriæ, quam Chriſtiani eodem hoc Menſe die ſeptima anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo

Sæcul. XVI. A.C. 1573. primo apud Echinadas Insulas de Turcis reportarunt.

§. CXVI.

Germanorum Collegium Romæ auctum.

Bullar. t. 2. Const. 14. Hoc item anno summus Pontifex Germanorum Collegium, a Julio III. constructum, atque ob redituum tenuitatem ferme abolitum Romæ restauravit, assignatis decem aureorum millibus, quæ ex ærario Pontificio tamdiu penderentur, donec æqualem pecuniæ summam hoc Collegium perpetuo jure acquirere posset, cujus subsidio ex universa Germania, aliisque finitimis Provinciis centum juvenes tam in linguarum studio, quam humanioribus literis, liberalibus artibus, & Theologia imbuerentur, eo fine, ut in sua patria digne Ecclesiis deservire, atque hæreticos confundere valerent. Ceterum hujus Collegii cura Jesuitis fuit demandata.

§. CXVII.

Othonis Truscheſſii Cardinalis Augustani obitus.

Ciacon. in vitis Pontif. t. 3. p. 692. Jacobus Pontan. in Mense Aprili ejusdem anni Romæ obiit Cardinalis Otho Truschesius de Waldpurg natione Germanus, Augustæ in patria sua Episcopus, Filius Gui-

Guilielmi Baronis de Waldpurg, & Joannæ, quæ Friderici Comitis de Fürſtenberg Filia erat. Hic Tubingæ primis literarum rudimentis ſub Lucæ Lundaſtri magiſterio non ſine maximo profectu inſtituebatur, & dein Dolenſem in Burgundiæ Comitatu, necnon Patavinam, & Papienſem Univerſitates frequentabat, inde vero Bononiam petens ibidem jurisprudentiæ operam dedit, Magiſtro uſus Hugone Boncompagno poſtea Pontifice ſub nomine Gregorii XIII. Eodem tempore Otho ſtudiorum ſocios habebat Alexandrum Farneſium, Chriſtophorum Madrutium, & Stanislaum Hoſium omnes Cardinales, quibuscum arctam ſemper conſervabat amicitiam: demum vero in Germaniam redux Auguſtanæ Eccleſiæ Canonicus, ac poſtea Decanus Tridentinus eſt renuntiatus, Romamque contendens Paulo III. a cubiculis erat: Anno autem Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio in Concilii Tridentini negotiis ad comitia Norimbergenſia ablegatus, eodem anno Eccleſiæ Auguſtanæ Epiſcopus creabatur, ſequenti vero anno inſuper a ſummo Pontifice Romana purpura, licet abſens, honorabatur, nominatus Cardinalis titulo ſanctæ Balbinæ: cum dein Tridentinæ Synodo intereſſe præ-

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

atticis bellariis Aubery vie des Cardin.

Sæcul. XVI A.C 1573.

præpediretur, eo decreverat Theologum ſuum Patrem Jajum unum ex primis decem ſancti Ignatii Sociis. Denique Otho Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo die duodecima Novembris Auguſtæ Synodum celebrabat, in qua pro Cleri, ac laicorum emendatione plura admodum ſalutaria condidit ſtatuta, ſimulque decreta a Cardinale Campeggio ſancita innovavit.

Poſtquam idem Otho Julii III. juſſu ad titulum ſanctæ Balbinæ cooptatus fuerat, hanc Eccleſiam ruinæ proximam reſtauravit, ac magnificis picturis exornavit: denique Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo Dilingæ Jeſuitarum Collegium erexit, aliudque Auguſtæ conſtruxit, ſeque pariter declarabat Protectorem Germanici Collegii in eorundem Patrum favorem Romæ a præfato Papa inchoati: Poſtea a Pio IV. ad titulum ſanctæ Mariæ Transtyberin vocatus, necnon Albanenſis Epiſcopus creatus præter alios Cardinales ſeligebatur, ut ſacræ Inquiſitionis tribunali præeſſet: inſuper proficiſcebatur in Germaniam, ut Rudolphum, atque Erneſtum Archiduces Maximiliani Imperatoris Filios in Hiſpaniam comitaretur, qua occaſione Tridentum veniens Synodo Anno a partu Vir-

Virginis milleſimo quingenteſimo ſexa- Sæcul.XVI.
geſimo tertio abſolutæ intererat, ibi- A.C.1573.
demque tribus ſeptimanis ſubſtitit, ut Udalricum Helfenſteinii Comitem magni nominis Virum, qui Sectariorum errores ejuraverat, in fide Catholica corroboraret: anno autem Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo a Pio V. ad Prænestinam Eccleſiam promotus Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Trinitatis adminiſtrandam ſuſcepit, tandemque extremum diem clauſit non ſine maximo omnium luctu ob ingens hujus Viri ſtudium erga Religionem Catholicam.

§. CXVIII.

Cardinalis Aldobrandini mors.

Pariter ſequenti Menſe Septembri fa- *Ciacon.*
tis fungebatur Cardinalis Joannes *pag. 1054.*
Aldobrandinus Sylveſtri Aldobrandini, *Aubery l. c.*
& Læſæ-Deti nobiliſſimæ Florentiis Matronæ Filius, necnon frater Hyppoliti Aldobrandini, qui Pontifex electus nomen Clementis VIII. aſſumpſerat: cum autem Joannes Patris ſui veſtigiis inſiſtere cuperet, hinc æque, ac ille ſeſe jurisprudentiæ ſtudio dicabat cum tanto progreſſu, ac tam luculento innocentiæ, & comprobatæ probitatis argumento, ut Anno Redemptionis noſtræ milleſimo quingenteſimo quin-

quage-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

quageſimo quarto cedente Patre ſuo Conſiſtorii Advocatus crearetur, quo tamen munere haud diu functus Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Romam vocatus Rotæ Auditor nominabatur, anno autem Salutis reparatæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Imolenſis Epiſcopus a Pio V. renuntiatus fuit, ubi ſuo Zelo, & charitate totius ſui gregis applauſum, venerationemque ſibi conciliabat, tantam nominis ſui famam ſibi comparans, ut idem Pontifex ejus conſiliis uſurus eum ad ſe accerſeret, atque anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo Cardinalem Presbyterum titulo ſanctæ Suſannæ crearet. Paulopoſt Joannes unacum ceteris Cardinalibus ad ſollicitandum inter Chriſtianos Principes fœdus contra Turcas ſelectus eſt, & dein cum Cardinalis Borromæus Magni Pœnitentiarii muneri cederet, atque ad ſuam Diæceſin Mediolanenſem regrederetur, eidem in hoc munere ſucceſſit, ſimulque Præfectum Signaturæ, ut vocant, Brevium egit.

§. CXIX.

Claudius Gouſta mortuus.

Dupin Bibl. des Auth. Eccleſ. t. 16. pag. 119.

Inter Scriptores Eccleſiaſticos circa idem tempus vivis ereptos præpriis recenſetur Claudius Gouſta Senonenſis

nensis urbis Præfectus, qui in Eccleham edidit quemdam de potestate regia tractatum, primo apud Senones in lingua latina, & Gallica Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo typis vulgatum, ac demum primo tomo Monarchiæ Goldasti insertum. Ceterum Claudius ad elucubrandum hoc opus ansam arripuit ex quadam propositione, quæ in aliquo colloquio circa Religionem propugnabatur, ubi quæstio fuit agitata, an huic confessui Ecclesiastici, vel Laici præessent; Claudius igitur hanc provinciam Laicis vindicans in suo tractatu asserere audebat, quod Regi competeret ibidem præesse, decidere, ac statutorum, quæ tum conderentur, executionem urgere: ut autem suam opinionem comprobatam redderet, in hunc finem exempla quorumdam Cæsarum proferebat, qui Concilia indixerunt, ac moderati sunt, suumque in Synodis locum obtinuerunt. (*)

Sæcul. XVI. A.C.1573.

§. CXX.

(*) Notum est omnibus sana doctrina imbutis, quod Cæsares nequaquam Ecclesiasticam Concilia convocandi auctoritatem, qua hæreses damnandi, schismata extinquendi, vel sacros Canones ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam condendi jus haberent, sibi arro-

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

§. CXX.

Michaelis Medinæ extrema.

Hoc item anno Michael Medina ex Ordine Fratrum Minorum mortalitatem exuit, qui in quodam Cordubensis Diæceſis oppido natus ab Alphonſo

garint, ſed poteſtatem duntaxat civilem exercuerint, eo fine, ut Canones a Synodo ſanciti in forenſi etiam judicio vim legis obtinerent, & per omnes Provincias in uſum deducerentur, & pariter contumaces hæretici regia etiam auctoritate comprimerentur: præcipue enim olim prævalentibus Infidelibus, atque hæreticis Principum auctoritas in Synodorum celebratione erat neceſſaria, ut Eccleſiæ laboranti ſuppetiæ ferantur, nam prioribus ſæculis Eccleſia nullum temporale dominium habebat, neque tunc Respublica erat in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica, ut ait S. Optatus, hinc neceſſe erat, ut Principes in ſuis ditionibus quamdam urbem pro Synodo deſignarent: præcipue quia Principum ſumptibus Synodi celebrabantur, atque Epiſcopi confluentes alebantur, necnon hinc inde deducebantur, legibusque profanis cautum erat, ne Concilia absque *permiſſu* Cæſarum haberentur, *nunquam* tamen, ut ait S. Athanaſius in Epiſt. ad ſolitar, vit. *judicium Eccleſiæ*, ſeu Concilii *ab Imperatoribus auctoritatem habuit*,

phonso de Castro literas didicerat, & præclaros in Theologia, Historia, ac linguarum Orientalium peritia progressus fecerat. Ceterum ex præcipuis, quæ Sæcul.XVI. A. C. 1573.

buit, absque auctoritate Pontificum, vel per se, vel per suos Legatos præsentium, ac Conciliorum decreta aut tunc aut postmodum confirmantium: itaque Pontifices ad Conciliorum convocationem jure, & auctoritate Ecclesiastica, Principes vero *monitis, & per ministerium*, ut de Constantino Imp. Patres VI. Synodi, & Sozomenus ajunt, necnon per suum auxilium, atque assensum concurrerunt. Haud abs re erit, sancti Antonini verba hanc in rem allegare: „sciendum est, in„quit ille in sua summa part. 3. tit. 23. cap. 2. „§. 7. quod priscis temporibus, in congrega„tione Conciliorum semper interfuerint Impe„ratores. . . . Ideo autem hi communiter „Concilia congregabant, quia tunc Ecclesia „male poterat uti potestate sua propter ad„versitates, & diversitates, quas patiebatur „ab hæreticis, quibus aliquando favebant „magni Principes, & Reges, unde statim, cum „potuit, hoc correxit, & non per Principes, „sed per seConcilia convocavit & aliquando per „Imperatores præcipiente Ecclesia celebrata, „sunt Concilia, aliquando ipsa rogante & post„ea aliquando ipsa auctoricante, aliquando „ipsa ratificante.„

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

quæ edidit, operibus celebratur latinus liber, cui titulus: *Chriſtiana Paræneſis, ſive de recta in Deum fide.* Hoc opus in ſeptem libros diviſum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Venetis literis excuſum prodiit: inſuper alium edidit tractatum *de Sacrorum hominum continentia*, ubi de Epiſcoporum, Sacerdotum, aliorumque Miniſtrorum inſtitutione agit, ac Sub-Diaconatum Sacramentis non accenſere videtur, ubi pariter etiam cunctis, quæ contra Presbyterorum Cælibatum objici ſolent, reſpondet. Præterea Medina adhuc alios conſcripſit tractatus, quos inter numerari merentur libri de Indulgentiis, Purgatorio, ſalutari Pœnitentia, humilitate Chriſtiana, & reſtitutione, præter expoſitionem quarti articuli in Symbolo, necnon apologiam pro Fero Ordinis ſui Religioſo adverſus Dominicum Soto. Hic Author ſat eleganti utebatur ſtylo, cunctaque argumenta cum ingenti eruditione pertractabat, atque in Patrum, ac Conciliorum lectione verſatiſſimus erat.

§. CXXI.

Andreæ Maſii fata.

Valer. Andr. Bibl. Belg.

Ad Menſem Aprilem hujus anni pariter revocatur obitus Andreæ Maſii, qui merito inter celebriores Eccleſiaſti-

siasticos Scriptores numeratur. Is in exiguo prope Bruxellas oppido natus tam in Philosophia, quam jurisprudentia, necnon idiomatum Orientalium peritia percelebris evasit, quibus dotibus locupletatus tantum sibi in Italia, Germania, & Belgio nomen comparabat, ut Clivienſi Duci a consiliis secretioribus esse meruerit: attamen ætate præmatura in ejusdem Principis ditionibus ex hydropisi decessit: posteris tamen reliquit. I. Grammaticam Syriacam. II. Disputationem de cœna Domini. III. Explicationem Historiæ Josue. IV. Tractatum, cui titulus: *Syrorum peculium.* Ceterum ejus liber de Josue plurium Doctorum censuris erat obnoxius, nihilominus Masius a Philippo II. Hispaniæ Rege Antverpiam mittebatur, ut unacum Aria Montano, & Fabritio edendis Bibliis Polyglottis insudaret, quo etiam labore sibi commisso prorsus egregie defunctus est, simulque ex Syriaco latine reddidit librum Moysis Bar-cephæ circa paradisum: insuper in idem quoque idioma transtulit liturgiam Divo Basilio adscriptam, necnon duas fidei professiones Antiochiæ a Moyse Mardena Jacobitarum Patriarcha editas, præter duas Nestorianorum literas, ubi

Sæcul.XVI. A.C.1573.

Spond. annal. n.16. Thu. l.56.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

ubi præcipue earum authographis inſiſtere ſtuduit.

§. CXXII.

Hoſpitalii Cancellarii mors.

Addit. aux mem. de Caſte. n. p 484. Thu. l. 56. San Marth. elog. Doct. Gall.

In Galliis quoque mundo valedixit hoc anno Michael Hoſpitalius, tam doctrina, quam morum integritate, animi conſtantia, ac prudentia celebris, qui anno Chriſti milleſimo quingenteſimo tertio Aquæ-Sperſæ in Alverniis natus erat, Patremque habuit Cardinalis Borbonii Medicum. Hic idem in celebrioribus Franciæ, atque Italiæ Univerſitatibus jurisprudentiæ operam dedit, linguarumque peritia, ac latina Poeſi clarus evaſit, qua ſcientiarum laude inter præcipuos ejuſdem ſtudii Viros eminere videbatur, atque anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo in Pariſienſi Senatu Conſiliarius, poſtea libellorum ſupplicum Magiſter, ac ſupremi Conſilii Senator, necnon in regii ærarii Curia Præſes, & Margaritæ de Francia, Bituricum, & Sabaudiæ Duciſſæ, ac denique totius Franciæ Cancellarius renuntiabatur, mortuo Franciſco Oliverio, quem ſemper inter ſuos amicos numerabat, illiusque munere functus ad omnia majoris momenti negotia uſque ad annum Salvatoris noſtri milleſimum quingenteſimum

mum ſexageſimum octavum operam ſuam impendebat, cum autem Regina Mater illius fidem Regi Filio ſuo ſuſpectam redderet, regia ſigilla Joanni Morvillerio Aurelianenſi Epiſcopo reddere cogebatur, quia injuria permotus Hoſpitalius prope Stampas Vignanam ad villam ſuam ſeſe recepit, ubi etiam die decima tertia Martii obiit. Sæcul.XVI. A.C.1573.

Hic vir cum circa religionem plurimum vacillare videretur, hinc animo ſuo Calvini ſectam fovere, a pluribus fuerat accuſatus, quamvis exterius Catholici viri partes explere ſe ſimularet, & Miſſæ ſacrificiis intereſſet, vetitisque diebus ab eſu carnium abſtineret, unde natum eſt illud proverbium omnibus illa ætate ſat familiare: *avertat Deus a nobis Miſſam Cancellarii;* cunctis enim probe perſuaſum erat, quod illius exiguam rationem, fidemque haberet. Hanc ob rem etiam ipſe cum aliis in die Sancto Bartholomæo ſacra regno proſcribebatur, ejusque Filia Belesbati conjux, quæ cruenta illa die Pariſiis erat, cum pluribus aliis periiſſet, niſi Nemorſiæ Duciſſæ patrocinio tuta fuiſſet: illi vero, qui Hoſpitalii orthodoxiam vindicare nituntur, ſiniſtram de ejus fide opinionem paſſim conceptam familiari adſcribunt commercio, quod cum quibuſdam ex præcipuis Calvinia-

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

næ sectæ assectis fovebat: interim alii id ejus consiliorum moderationi in infligendis hæreticorum pœnis, necnon ejusdem oppositioni adversus Guisiorum molimina attribuunt: nihilominus haud inficiari possumus, quod suos nepotes in nova hæresi studiose educari curaverit, prout ipsimet fassi sunt, postquam ad veram fidem Catholicam redierant: insuper in sui testamenti tabulis nec de Deo, nec de Religione, nec de precibus pro animæ suæ requie fundendis mentionem fecerat. Ceterum illius corpus Chamotium ad ejus villam prope Fontem-Bellaqueum fuit delatum, ubi etiam illius monumentum cernitur.

§. CXXIII.

Sanctus Carolus Borromæus Mediolanum reversus.

Giussano vie de S. Charles l. 3. c. 1.

Interea Sanctus Carolus Borromæus immoto studio disciplinæ Ecclesiasticæ in sua Diœcesi restaurandæ insudabat, & quamvis Romam, ut post Pii V. obitum sacris comitiis interesse posset, proficisci juberetur, & ob hoc iter tertium suum Concilium Provinciale, quod ad annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum secundum indixerat, differre cogeretur, postquam tamen Gregorius XIII. in Papam electus erat, Carolus per integrum ferme semestre

stre ob Ecclesiæ negotia Romæ substi- Sæcul.XVI.
tit, ubi interea novo Pontifici salutaria A.C.1573.
admodum monita propinabat, tandem autem in Papæ manibus Magni Pœnitentiarii munus Cardinali Aldobrandino collatum, pluraque alia abdicavit officia, quorum sollicitudine illud ipsum tempus tribuere cogebatur, quod tamen integrum populi sui, cujus Pastor erat, curæ impendendum censebat. Præterea Hispaniæ, & Lusitaniæ Regibus utriusque hujus regni, ac Provinciarum præsidium, imo id omne, quod ipsum vel Romæ detinere, aut illuc revocare posset, ultro cedebat: ecquidem hucusque primam suam Aronensem Abbatiam retinuerat, eo fine, ut illam vel ad Ecclesiam Collegiatam eveheret, Romæ tamen adhuc commorans ad dotandum collegium non ita pridem Jesuitis commissum hujus Abbatiæ reditus impendendi facultatem obtinuit.

§. CXXIV.

Concilium Provinciale III. Mediolani celebratum.

Borromæus Mense Octobri Roma dis- *Labbe Collect. Concil. t. 15. p. 367 & seq.*
cessit, atque totam hyemem exequendis statutis jam antea promulgatis, necnon prosequendæ morum emendationi jam antea inchoatæ impendebat, præcipue vero operam suam dicabat re-

Sæcul. XV'. A. C. 1573

ligiosis Virginibus, quas ad exactum regulæ suæ studium revocaverat, simulque cuncta pro convocando tertio Provinciali Concilio suo necessaria disponebat; illud enim ad diem vigesimam quartam Aprilis Anni Salutis nostræ millesimi quingentesimi septuagesimi tertii indixerat, idemque eodem tempore re ipsa inchoaverat, ubi plura decreta, ac saluberrimas condidit sanctiones circa festorum sanctificationem, atque erigendas doctrinæ Christianæ Scholas, disciplinam Ecclesiasticam, Sacramentorum, ac præcipue Infantum expositorum Baptismi administrationem: edidit quoque decreta circa Eucharistiam ad infirmos deferendam, celebrationem Divini Officii, Parochorum, Canonicorum, & Religiosarum Virginum munia. Absoluto hoc Concilio, Carolus illius acta per Castellum suum Vicarium Generalem ad summum Pontificem transmisit, eique injunxit, ut Sanctitati suæ exponeret quædam monita admodum utilia, quæ tangerent res privatæ suæ Ecclesiæ Mediolanensis, quam ceterarum regimen, præcipue necessitatem Synodos in omnibus Provinciis celebrandi, nam hæc res tum in pluribus Metropolitanis Ecclesiis negligebatur.

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Carolus a Mediolanenſi Gubernatore vexatus.

Cum Sanctus hic Archipræſul tam pie ſui muneris partes expleret, in ejus Diæceſi circa Jurisdictionem Eccleſiaſticam novi ſuſcitabantur tumultus; quippe cum Albuquercius Dux Mediolanenſis Gubernator fatis functus fuiſſet, Alvareſius Arcis Præfectus, qui interea ſubrogatus fuerat, ſuum ingreſſum feſtiva diverſarum beſtiarum venatione auguſtiorem reddere ſtudebat, atque ad id aream, quæ ante Eccleſiam erat, ſeligebat: verum pius Cardinalis hoc ſpectaculum ibidem exhiberi ſub anathematis pæna interdixit: equidem paruit primo Gubernator, hancque feſtivitatem e regione arcis inſtitui juſſit, ejus tamen animo ob injuriam, quam ſibi exinde ab Archiepiſcopo illatam falſo exiſtimabat, tam alta inſederat indignatio, ut eidem moleſtias illaturus, quosdam Nobiles ſollicitare niteretur, quatenus in diebus ab Eccleſia pietati fidelium ſacratis choreas agerent, & ludicra ſpectacula exhiberi juberent: verum fruſtranea erant ejus molimina, quippe in Archiepiſcopum vehementer ira commotus infelicem exhallabat animam.

Giuſſano l. 3. c. 1.

Huic

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Huic Requeſenes ſupremus Caſtellæ Commendator Vir ad Ducatus regimen apprime idoneus ſucceſſerat, quem Cardinalis ſub Pii V. Pontificatu Romæ jamjam ſibi cognitum habebat; cum autem hic idem poſtea Hiſpaniæ Regis Orator renuntiatus eſſet, Borromæus inde ſpem conceperat, fore, nullam ſibi contentionem circa Jurisdictionem Eccleſiaſticam ab eo ſuſcitatum iri: attamen pium Præſulem ſua ſpes fefellit; novus enim Gubernator perverſorum conſiliis ſeductus ad tam atroces prolabebatur violentias, ut eas tolerare Sanctus Cardinalis nefas fore crederet, quippe Gubernator Mediolanenſi cuidam Nobili, cum in re mere profana quoddam diploma Apoſtolicum a ſe obtentum in uſum deducere vellet, eo uti abſque regiorum Judicum venia inhibuit: Pontifex tamen indignam hanc agendi rationem edoctus Gubernatori denuntiari juſſit, quod cenſuris ſit irretitus, hinc eum hortatus eſt, ut Eccleſiaſtico hoc vinculo ſolvi peteret, quam quoque veniam per Joannem Paulum ab Eccleſia Cardinalem, qui tum Mediolani agebat, recepit: Sancto enim Carolo tum abſente, ſuamque Diæceſin luſtrante hæc geſta fuere: attamen levis hic turbo veluti præſagium erat longe ſævioris tempeſtatis, ex qua mala admodum

dum funeſta ſequebantur: etenim duo præterfluebant anni, ex quo Catholici Regis Miniſtri, qui eundem ſuum Principem falſis ſuis relationibus deceperant, mandata Eccleſiaſticæ jurisdictioni admodum noxia impetrabant, cum vero hæ literæ nonniſi doloſis artibus fuiſſent extortæ, Miniſtri eas producere minime audebant: non deerant tamen nonnulli factioſi homines, qui rem edocti Gubernatorem de hiſce literis certiorem redderent, eumque adeo dextre ſibi conciliarent, ut illum eo inducerent, quatenus mandati literas abſente Archiepiſcopo illius Vicario Generali intimaret. Borromæus mox re comperta Mediolanum revertitur, ac Joannem de Eccleſia Cardinalem rogat, ut ſua auctoritate Gubernatorem amicum ſuum eo inclinare ſatageret, ne hiſce literis uti, aut ullo modo jurisdictionis Eccleſiaſticæ uſum interturbare vellet. Verum fruſtraneæ erant hujus Cardinalis æque, ac Sancti Caroli preces, quamvis hic ſumma uteretur manſuetudine: cum ergo Sanctus Archipræſul rationum momenta incaſſum opponi cerneret, Eccleſiaſticæ pænæ minas adjecit, ut ſaltem pertinaci metum incuteret, quin tamen haſce cenſuras in Virum alias in profana dignitate conſtitutum vibrare intenderet: nihilominus

Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Sæcul. XVI A.C.1573.

nus indocile Gubernatoris genium Sanctum Archiepiscopum eo compulit, ut suam causſam consuetis justitiæ mediis prosequeretur: quapropter per suum Vicarium Generalem primum, ut vocant, monitorium eidem tradi jussit, quod tamen mox in frusta discerpebatur, quinimo secundæ etiam monitionis literæ eadem indignitate excipiebantur: insuper Gubernator suam agendi rationem edito diplomate latina, atque Itala lingua concepto vindicare, ac Cardinalis actionem tanquam violentam, nulloque pacto ferendam traducere præsumebat: unde Sanctus Archiepiscopus extrema adhibere media compellebatur: igitur Viris non minus doctis, quam probis sæpius in consilium vocatis, petitoque summi Pontificis consensu declarat, quod Gubernator æque, ac Cancellarius, & nonnulli Senatores anathematis pænam incurrissent, juxta summorum Pontificum diplomata contra jurisdictionis Ecclesiasticæ Usurpatores edita: insuper præcepit, ut hæc sententia promulgaretur, atque in diversis publicis locis affigeretur: ipse vero mox totam rei gestæ seriem ad Papam perscripsit: verum propterea Gubernator adeo non majorem exhibebat submissionem, ut etiam hanc pænam veluti nullam, atque injustam traduceret,

ret, ſcriptumque ſat prolixum ederet, in quo ſuam iniquitatem, conſictis obtentibus, cum firmæ deeſſent rationes, honeſtare moliebatur, totamque culpam, ac cenſuram in Cardinalem retorquebat, eoquod illius agendi ratio, ut mentiebatur ipſe, temeraria, ac tranquillitati publicæ noxia eſſet: præterea hi, qui Gubernatorem ad hanc nequitiam induxerant, nullum non movebant lapidem, ut illum magis adhuc irritarent adverſus Archiepiſcopum, qui tamen ſuam cauſſam nonniſi precibus, ac lacrimis pro Gubernatoris ſalute ubertim profuſis defendere, hancque litem componere ſatagebat. Sæcul. XVI. A.C. 1573.

Aſt Gubernator vindictæ ſtimulis agitatus inhibuit, nequis ad quemcunque pietatis conventum a Sancto Præſule Mediolani ſtabilitum accederet, niſi ſuo nomine quidam ex Magiſtratu intereſſet, eo fine, ut non ibidem, prout obtendebat ipſe, quicquam Regis Catholici obſequio adverſum ageretur: præterea mandavit, ne pœnitentes inſtructo ſupplicantium ordine cooperta facie incederent: denique, cum Cardinalis Aronenſem arcem poſſideret, Gubernator Anguiſciolæ Comiti, qui Comenſi urbi præerat, negotium dedit, ut admotis ſuis copiis hanc arcem occuparet. Hujus violentiæ cauſſam idem Guber-

Sæcul. XVI A.C. 1573. bernator obtendebat, quod præfatam arcem in Ducatus Mediolanenſis finibus ſitam, nequaquam illorum, quorum fidelitatem ſibi ſuſpectam haberet, poteſtati relinquere poſſet. Percepto Gubernatoris mandato Julius Beolcus, qui nomine Cardinalis hanc arcem tuebatur, mox eundem de re geſta edocet, hic vero manſuetudine plenus Julio præcepit, ut arcem Gubernatori eam petenti traderet: ſub idem quoque tempus Comitem Borromæum Patruum ſuum rogabat, ut Gubernatorem accedens eidem exponeret, quod non modo Aronenſem arcem, ſed etiam cetera omnia, quæ a ſuæ familiæ Viris poſſiderentur, Regis Catholici arbitrio relinquere, eaque omnia eidem tradere paratus eſſet, ut ipſius fidelitas, ac immotum Regiæ Majeſtati obſequendi ſtudium omnibus manifeſtum fieret.

§. CXXVI.

Poloniæ Regis adventus in regnum ſuum.

Thu. l. 57. Spond. hoc ann. n. 1. Interea neo-electus Poloniæ Rex die decima octava Februarii Anno reparatæ Salutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto ad regnum ſuum pervenit, ubi Senatus, cunctique Nobiles ſolemni comitatu illum excipiebant, & poſtea idem Rex equo ſplendide inſtrato vectus

vectus sub umbraculo a Senatoribus urbis delato Cracoviam ingressus est, concinentibus undique tubis, bellique tormentis continuo fragore displosis: porro Rex usque ad arcem contendit, ubi ad Ecclesiam Cathedralem Deo sub invocatione Sancti Stephani dicatam perveniens a Canonicis officiose salutabatur, quo facto Hymnus Ambrosianus solemni ritu fuit decantatus. Altera die Rex Senatum accessit, ac per Pibracium gratias egit Senatui, equestrique Ordini, ac insuper, ut electio regno, totique orbi salutaris sit, Deum Optimum Maximum precatus, daturum operam se spopondit, ut conceptæ apud illos de se opinioni cumulate respondeat. Postridie Regni Referendarius Regem Nobilium nomine salutabat, cui postquam responsum est, circa Vesperam Rex cum compluribus, qui aderant, Episcopis, & Pontificis Legato in Casimiriæ rupeculam, quæ in Beati Stanislai Polonorum Patroni templo est, perrexit, ubi Sancti hujus reliquias de more deosculatus, fusis ad Deum precibus secessit: porro hanc cæremoniam Reges ante coronationem suam obire inter Polonos priscæ religionis instituto receptum est: dum vero inaugurationis dies advenerat, resque jam eo deducta credebatur, ut totum hoc ma- Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI A.C. 1574

ximi momenti negotium absolveretur, inopinatus eventus vix non omnia hucusque agitata evertere videbatur; cum enim Gnesnensis Archiepiscopus peracta re divina consuetas preces in medio chori, ubi Rex in sublimi throno considebat, fundere parabat, Cracovienſis Palatinus repente exsurgens hunc in modum perorabat.

§. CXXVII.

Palatinus Cracovienſis ſeſe Regis inaugurationi opponens

Thuan. l. c.

„Necquaquam, ajebat hic Palatinus, „ita fiet, sed notum omnibus esse „volo, quod ego vos alloquens, omnes„que hic præsentes liberi simus, nec „unquam permittamus, quatenus fla„gitioso silentio id agatur, ut deinceps „velut mancipia perpetuo serviamus, ac „justa tot Procerum vota, ac tot æqua „postulata Rex frustretur, & ea, quæ reli„gione promisit, exequi recuset: enimve„ro conditiones propositæ in Regis ad„ventum remissæ sunt: porro nunc ille „advenit, & tamen jam collatis omnibus „regiæ dignitatis in ipsum ornamentis, „de his promissis ejus nomine factis al„tum silentium: hinc non patiar ultra rem „differri, nam aut accipiendæ sunt con„ditiones, & in eas verbis conceptis „jurandum, aut me huic inaugurationi „in-

„intercedere ajo, ac palam profiteor.„ His dictis murmur toto templo, ac fremitus obortus est: quinimo cum audacia crescceret, etiam minaces, & confusæ seditioni propiores voces auditæ fuerunt, ubi Pibracius propius Regem accedens, quædam submissa voce eidem suggerebat: mox vero ad Archiepiscopum conversus, ut pergeret, suumque officium sine cunctatione perageret, Regis nomine imperabat, subjungens, Regem de ceteris ex ordinum sententia postea decreturum. His verbis Archiepiscopus libentissime paruit, & cœptæ inaugurationi institit, quæ detumescente paulatim furore, & succedente in ejus locum pœnitentia, ac pudore, spectantibus iis ipsis, qui contradicebant, magno cum applausu peracta est, unctoque Rege corona capiti ejus de more imponebatur: Cracovienſis vero haud multo post firmata Regis potestate an ex mœrore, aut fato suo, incertum, decessit. Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. CXXVIII.

Tumultus a Protestantibus Alenſonii indignatione ſuffultis in Galliis ſuſcitati.

Interea res in Francia haud adeo prospere succedebant, hæreticis nonnisi novos tumultus ibidem excitare intentis; *Tau. l. 57. Avila l. 5.*

Sæcul. XVI. A. C. 1574.

tis; cum enim Alenſonius Dux, necnon Navarræ Rex, ac Condæus Princeps polliciti eſſent, quod aula excedere, urbesque a Calviniſtis occupatas detinere, hujusque ſectæ patrocinium in ſe ſuſcipere vellent, ideo hujus factionis nonnulli numero circiter ducenti equis vecti, armisque inſtructi ductore Joanne Calvimontio Guiterio ſat inopinato apparuerunt, infeſtisque excurſionibus prope oppidum Sancti Germani in Laja, ubi tum Aula agebat, omnia ſus deque vertebant, eo fine, ut Principibus magis expeditum evadendi aditum panderent. Nuntio de novis hiſce motibus allato Aula haud parum turbabatur, atque ipſamet Regina omnes angulos, & latebras arcis per fidos explorari juſſit: inſuper mox auctor Regi extitit, ut locum mali ominis, ſibique ſuſpectum nulla mora interjecta deſereret: igitur Rex ad caſtrum Vicennarum, quo liberiore aura frueretur, proximum urbi venit, adductis ſecum Alenſonio Duce, Navarræ Rege, & Condæo Principe, quos ab iis, qui illum ſtipabant, cautius obſervari præceperat; jamjam enim Condæus Princeps in Picardiam auffugerat: poſtquam vero ceteri duo Principes a Rege ad quæſtionem fuerant vocati, ingenue hæc fatebantur: „Aulam deſerere ſuimus ſollicitati, eo fine, „ut

„ut Proteſtantium, & Politicorum ag- Sæcul. XVI.
„mina duceremus: equidem non raro A.C 1574.
„illis, qui nos ad id inducere niteban-
„tur, aures præbuimus, potius tamen
„id a nobis factum, ut eorum conſilia
„detegeremus, quam illorum machina-
„tionibus conſentiamus: porro clande-
„ſtina hæc molimina manifeſtare noluis-
„mus, donec plenius rem edocti eſſe-
„mus.„ His Alenſonius Dux addebat, quod ea de re obſcuris licet verbis jam-jam quicquam Reginæ aperuerit, adeo, ut hoc ſane luculentum ſit ſinceræ eorum voluntatis argumentum.

§. CXXIX.

Proteſtantium reorum nonnulli juſſu Regis in cuſtodiam dati.

Horum verbis Rex fidem adhibere vi- *Thuan. l. c.*
debatur, nihilominus an non ſecre- *Avila l. 5.*
ta quædam ferveret conſpiratio, ſumma diligentia, & ſeveritate inquiri voluit, idque negotii dedit Chriſtophoro Thuano primario Præſidi, & Petro Hennequino Senatus Præfecto: igitur quæſtio de conjuratione a delegatis inchoata eſt, ubi ad occultam delationem Ivonis Brinonis ex honeſtiſſima familia Lutetiæ nati, ſed facultatibus lapſi, qui jam per famoſas accuſationes inopiæ ſubſidium quærebat, multi comprehenſi ſunt, inter quos Joſephus Bonifacius Mola,

Sæcul. XVI. A.C. 1574. Hannibal Coconaſſii Comes Mediolanenſis, Laurentius Boſius Sammartinus, Petrus Granrius regius Dapifer, Petrus, & Franciſcus Turtelus erant: inſuper miſſi ſunt, qui Guilielmum Morantium Thorenm, Henricum Turrium Turaniæ Vicecomitem, Joannem Laſſinium Bellovaſium, & Grancampium ipſum caperent: verum illi fuga periculo ſeſe jamjam ſubduxerant. Id actum erat decima Aprilis, quæ dies in pervigilium Dominicæ Reſurrectionis incidebat: poſtridie autem Mola, & Coconaſſius quæſtioni ſubjiciebantur, & ille quidem Lutetiæ a delegatis, qui tamen omnia pernegavit, hic vero coram Rege interrogatus omnem rei ordinem, uti aut ipſe viderat, aut ex aliis intellexerat, confeſſus eſt.

Biduo poſt Alenſonius Dux auditus eſt, nullaque habita ratione eorum, quos huic infortunio involvit, ultro omnia fatebatur, totamque culpam in Thoreum, Turanium, & Molam conjecit: nihil tamen a Navarræ Rege extorqueri poterat: tandem vero ceteri accuſati, utpote convicti, quod conjurationi, & ſceleratis contra Regem initis conſiliis participes fuiſſent, tanquam læſæ Majeſtatis rei ad mortem damnantur, decerniturque, ut ad indicandos omnes conſcios, antequam ad ſupplicium duceren-

cerentur, quæstioni exquisitæ subjicerentur: præterea Montmorentius, & Cossæus Marescalli comprehenduntur; Condæus vero Princeps, qui Ambiani latebat, rem gestam edoctus simulato habitu unacum quibusdam suorum amicis Argentinam auffugit, & Turranius Vicecomes, ac Lasinus in Aquitanium secessérunt. Sæcul. XVI. A.C. 1574.

§. CXXX.

Tumultus in Franciæ regno rursus a Calvinistis suscitati.

Hoc solo facto Calviniſtæ, ceterique regiminis normam exosi ad capessenda arma excitabantur: unde præpri- mis hæretici arces, urbes, ac munitiora loca sibi subjicere cæperant, ut vero suam seditionem prorsus falso sese defendendi obtentu honestarent, scriptum quoddam publici juris fecerant, quod tamen mox contrario responso typis impresso, atque ad populum Parisiensem directo refellebatur. In eo Auctor in hæreticos exurgens Parisienses hortabatur, ut in vera fide constanter perseverarent, ac sedulo sibi ab hostium suorum fallaciis caverent, necnon iniquis eorum machinationibus, ausibusque fortiter sese opponerent; hoc scripto factum, ut Calviniſtæ quæstionem toties agitatam recoquerent, an nimirum subdito ad suam defensionem *Thuan. & Avila l. c. Mezeray chron. tom. 5. p. 285.*

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

arma ſumere liceat contra ſuum Principem, qui ſua auctoritate abutitur? quod omnino licere, Calviniſtæ in alio libello typis vulgato comprobatum reddere nitebantur, exinde autem magis adhuc tumultum augebant.

§. CXXXI.

Tumultus a Montgomerio in Normania excitati.

Avila & Thu. l. c. Dupleix hiſt. de France t. 3. p. 316.

Poſtquam Montgomerius Comes in Normaniam venerat, mox ad eum turmatim Calviniſtæ, ac factioſi homines magno numero confluxerant, quorum ope Comes intra exiguum temporis ſpatium Danfronium, Carantonum, Sancti Laudi oppidum, & Valonias cepit: tot autem victoriarum rapiditas, cui acceſſerat metus, ne Eliſabetha Angliæ Regina cum Comite conſpiraret, Regem adegit, ut Jacobum Matignonum adverſus eum emitteret, qui etiam Laudi Montgomerium aggreſſus eſt, atque eundem captivum abduxit, & Donfronium recuperavit: Carantonum vero, & Valoniæ nequidem expectato obſidionis impetu deditionem fecere; unde eo ſaltem tempore pax in hac Provincia reſtituta eſt.

§. CXXXII.

Caroli IX. Regis obitus.

Cum

Cum hæc interea gererentur, Carolus IX. Galliarum Rex diuturno languore consumptus, cum mortis suæ horam appropinquare cerneret, Matrem suam in regni Administratricem nominabat, edito hanc in rem diplomate regio, quod datum est apud Vincennas die trigesima Maji, qua etiam Rex obiit annos natus viginti tres, undecim Menses, ac viginti octo dies, postquam tredecim annis, quinque Mensibus, & viginti quinque diebus regnaverat. Postremis vitæ suæ hebdomadibus insolita prorsus patiebatur symptomata: nonnunquam enim exiliens lacertos cum maxima violentia intendebat, sanguisque per omnes corporis meatus summo impetu sese diffundebat, quinimo etiam extra poros penetrabat: inde vero Protestantes prorsus insulse observabant, quod id effectus esset divinæ Nemesis horrendam cædem ejus jussu patratam plectentis, insuper cum Regina, Andegavensiun Duce in Poloniam abeunte, incautius dixisset, quod haud diu ibidem moraturus sit, hinc nonnulli hujus Regis mortem fuisse acceleratam suspicabantur: ut vero sinistra hæc opinio evanescceret, præsentibus Medicis mortui corpus a chirurgis apertum est, in quo livores a caussa incognita reperti

Sæcul. XVI. A.C.1574.

Thuan. l. 57. Mezeray p. 299.

Sæcul XVI A.C.1574

conceptam multorum opinionem auxerunt potius, quam minuerunt.

Ceterum ejus cadaver Vincennas ad Sancti Dionysii Ecclesiam solitis ritibus delatum est, ubi Arnaldus Sorbinus celebris illius ævi Concionator, & postea Nivernensis Episcopus, qui morienti adstitit, mortuo etiam oratione funebri parentavit, nec minus Romæ etiam Antonius Muretus præsentibus summo Pontifice, & Cardinalibus in laudem Regis perorabat: quinimo Angliæ Regina exequias quoque Londini in Ecclesia Divi Pauli celebrari jussit.

§. CXXXIII.

Reginæ Matris sollicitudo in sedandis tumultibus.

Postea Catharina de Medicis, cum Regni Administratrix fuisset declarata, primas eo curas intendit, ut tumultibus merito timendis præcaveret: eapropter Provinciarum Magistratus, Gubernatores, ceterosque præcipuos Regni Ministros datis literis sibi conciliare nitebatur: ut vero pariter Protestantibus indultam conscientiæ libertatem, ac cetera omnia a defuncto Rege eisdem nimis liberaliter concessa firmaret, inducias cum Rupellensibus concludi jussit: nihilominus, cum Regina hac agendi ratione accersiti Poloniæ Regis adventum

tum præſtolandi ſpatium nanciſci ſtude- Sæcul. XVI.
deret, interea Condæus Princeps hu- A.C.1574.
cuſque Argentinæ hærens Principes Proteſtantes, ut vires ſuas copiis ſuis jungerent, ſollicitabat, ipſe vero milites undique conſcribebat, quæ temeritas Reginam multum quidem turbabat, nequaquam tamen ejuſmodi hæreticorum auſus præpedire poterat.

§. CXXXIV.

Montgomerii Comitis ſupplicium.

Interea Regina, quæ Montgomerium Comitem promeritis pœnis plecti deſiderabat, judicii acta in eum inſtrui jubet: unde tanquam læſæ Majeſtatis reus pronuntiata ſententia capite damnatur: cum autem ad loci ſupplicium deduceretur, aſſerere audebat, quod ob ſectæ ſuæ defenſionem moreretur, nunquam autem ſuum Principem offendiſſet, ac nemini injuriam intuliſſet, ſed jure belli captus contra fidem de vitæ venia datam morti adjudicaretur. Ceterum nec apud Simonem Vigorium Narbonnenſem Archiepiſcopum vitæ ſuæ maculas eluere, neque crucem oſculari, nec ſacerdotem ſibi aſſiſtentem auſcultari voluit: quinimo referunt nonnulli, quod cuidam Fratri ex Ordine Minorum, qui illum fuiſſe deceptum ajebat, reſponderit; ſi deceptus fui, certe

Mem. pour ſervir a l'hiſtoire de Fr. t. 1. p. 39. & 40. Thu. l. 58. Avila l. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1574

certe a veſtri Ordinis Fratribus errorem didici; ex veſtro enim Ordine quidam primo tradidit mihi Gallica Biblia, ex quibus ſectam, quam profiteor, hauſi, in ea autem hucuſque vixi, & nunc per Dei gratiam mori deſidero.

Cum autem jamjam in Pariſienſi foro ferale pegma conſcenderet, populum rogabat, ut pro eo preces fundere vellet: ipſe vero alta voce recitabat fidei Symbolum, in cujus confeſſione ſe moriturum profitebatur, precibus autem ſuis Genevenſium more perſolutis die vigeſima ſexta Junii capite plexus periit, & feria ſecunda, ſeu die vigeſima octava caput ejus in loco ſupplicii fuit palo affixum, inde tamen ad veſperam fuit ſublatum, cum ita juberet Regina, quæ ejus ſupplicio interfuit: de cetero Comitis proles Nobilitatis gradu dejecti ad quamcunque dignitatem, munusque inhabiles declarabantur, omnibus eorum bonis ærario Regis adjudicatis.

§. CXXXV.

Injurioſus libellus contra Reginam Matrem.

Mezeray p. 900. *Avila l.* 6.

Ob hujus Comitis mortem Proteſtantes impotentibus furiis adverſus Reginam Caroli IX. Matrem debacchabantur, eamque pluribus famoſis libelſis

lis in vulgus ſparſis proſcindebant; cum autem plures ejuſmodi ſatyræ in ipſius Reginæ manus inciderent, Senatus contra illarum Authores, ac typographos ſeveriſſima edicta condere parabat, Regina autem hæc repoſuit: „ſi famoſi „ejuſmodi libelli inhibentur, iisdem hac „ratione auctoritas tribuetur, quinimo „eorum inhibitione indignis hiſce ſcri„tis nimius honor confertur; probo„rum enim integritas nunquam magis „eluceſcit, quam dum ab improbis, & „calumniatoribus invaduntur.„ Interea dum compererat, quod Germani milites Franciam aggreſſuri iter pararent, ſuasque artes exhauſtas eſſe cognoſceret, Lutetia Pariſiorum diſceſſit ſub valido ſatellitio, eamque Alenſonius Dux, & Navarræ Rex comitabantur, ubi cum Burgundiam pertranſiret, Helvetiis, necnon equitibus, peditibusque Germanis, qui Franciæ ſtipendia merebantur, æs militare perſolvi juſſit, eorum vero Belliduces muneribus auxit, eosque multis beneficiis devincire ſtuduit. Demum Lugdunum delata ibidem perſiſtere decrevit, ut vel ibidem eo facilius exortis tumultibus in vicinis Provinciis remedium opponere valeret, aut Poloniæ Regem, qui ad capeſſenda Gallici ſceptri jura properabat, adventantem præſtolaretur:

Saecul. XVI. A.C. 1574.

Enim-

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Enimvero Rex ad initium sequentis Mensis Septembris in Gallias venerat, ubi Angliæ Regina vix comperta ejus adventu mox Baronem de Nortk ablegabat, qui eum salutaret, rogaretque, ut edicta in Protestantium favorem edita effectui dari curaret, simulque Montmorentio, & Cossæo Marescallis libertatem redderet, quod etiam ejus precibus datum insuperhabitis ceteris ejusdem postulatis.

§. CXXXVI.

Henricus III. Pœnitentium sodalitati inscriptus.

Thu. l. 59.

Henricus III. cum in suo e Polonia reditu Avenione aliquamdiu moraretur, atque Italorum magno numero ibidem existentium amicitiam sibi conciliare studeret, nova pietatis instituta, quæ ipsi magni habent, pariter exercere voluit, quapropter se adjunxit Pœnitentium sodalitati, de qua jam in prioribus hujus Historiæ libris mentionem ingessimus. Tum harum sodalitatum tres Avenione erant stabilitæ, quæ ex coloribus albo, nigro, & violaceo distinguebantur, harum autem primæ Henricus sese mancipabat, ac frequenter lineo sacco indutus, vultuque cooperto solemnibus eorum supplicationibus unacum ceteris interfuit, cun-

cunctis etiam Aulicis pium Regis sui exemplum sequentibus. Sæcul. XVI. A.C. 1574

§. CXXXVII.

Cardinalis Lotharingii obitus.

Pariter Cardinalis Lotharingius hisce supplicationibus interesse voluit, seque numero illorum Sodalium, qui violaceas gestabant vestes, aggregavit, cum autem quondam ejusmodi exercitio vacaret, morbo correptus, ne sacri hujus ritus tranquillitatem turbaret, secedere noluit, domum vero redux aucta mali vehementia etiam insolito quodam frigore horrere cæpit, ac succedente febre tanta vi obruebatur, ut amisso rationis usu tandem die Dominica vigesima sexta Decembris circa horam quintam matutinam decederet, anno ætatis suæ ferme quinquagesimo primo; natus enim erat Mense Februario Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Hic idem anno priori Mussiponti in Lotharingia Universitatem erexit, ac Jesuitas, qui ibidem literas traderent, accersivit; quippe inter ceteras, easque omnino raras animi dotes, quibus inclaruerat, semper in eo eminebat ingens literas restaurandi studium: præterea erat ipsemet sat eloquens, & semper in sermonibus suis mira verborum gravi-

Mem l. c. t. 1. p. 48.

Sæcul. XVI. A. C. 1574.

gravitate, & majeſtate clarus, atque inſuper in rebus gerendis tam ſacris, quam profanis mira dexteritate excellens: unde negotia vel maxime ardua ad optatum exitum deducebat, & quotiescunque in congreſſibus ſuam proferebat ſententiam, ea ob notam ingenii ſui aciem prævaluit, ſique temporis, quo ſtudiis vacare poterat, anguſtiæ perpendantur, prorſus ſtupendum videtur, quod nihilominus tam ampla eruditione inclareſcere potuerit. Obiit non ſine maximo Catholicorum luctu, cum econtra Proteſtantes, qui eum tanquam hoſtem ſuum maxime formidandum abominabantur, de ejus morte tripudiarent, ejusque famam pluribus calumniis proſcindere non erubeſcerent: negari tamen haud poteſt, quod præclara Eccleſiæ, Regnoque obſequia præſtiterit, totoque vitæ ſuæ tempore pro Religionis Catholicæ conſervatione immotum exhibuerit ſtudium, quamvis ſuſpicarentur nonnulli, quod nonnunquam ambitio, ſuamque familiam altius evehendi cupiditas hunc Zelum magis accenderit. Fertur quoque, quod Regina Mater eadem die, qua Cardinalis obiit, menſæ accumbens dixerit: „nunc pace fruemur, „quia mortuus eſt Lotharingius Cardi„nalis; ille enim pacem præpediiſſe di„citur

Addit. aux mem. de Caſtelln. t. 1. pag 280.

„citur, quod tamen a tam præclaro, Sæc. XVI.
„ac prudenti Præsule credere haud va- A.C. 1573.
„leo, in cujus obitu tota Francia, nos-
„que omnes plurimum amittimus.„ Eadem die Regina Præsuli, quem a Confessionibus habuit, dicebat, quod omnium hominum nequissimus obierit, unde patet, quod ipsa Cardinalem in publico colloquio multis elogiis honorarit, privatim autem multa probra in eum congesserit: porro hæc opinionum varietas, quam Regina Mater prodebat, adscribi potest insolito cuidam eventui; fertur enim, quod Regina mensæ assidens, cum bibere vellet, tam vehementi terrore correpta fuerit, ut vix non vitrum illi e manibus excideret, exclamans: „Jesus! Jesus! Lo„tharingium Cardinalem video„ postea vero animum recipiens addebat „Sa„ne mira res est metus! Mentiar ego, „si viderim sanctum hunc Virum mihi „adstantem, atque pergentem ad Pa„radisi gloriam, quin imo mihi videtur, „quod ipsum ad cœlos ascendere vide„rim.„ Postea per plures noctes Regina, quod Cardinalem coram adstantem cerneret, sibi imaginabatur, nec ejus memoriam e mente sua abjicere poterat, prout illæ testabantur Matronæ, quæ Reginæ a cubiculis erant.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ *LIBER CLXXIV.*

GREGORIUS XIII PONTIFEX MAXIMUS, MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Lutheranorum molimina de Græcis ad suam Sectam pertrahendis.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Hoc anno Germaniæ Protestantes spurio suæ sectæ Zelo animati rursus rem aggressi sunt, quæ tamen jam anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono eis male cesserat; quippe Græcos sollicitabant, ut & ipsi eorum doctrinæ suffragarentur: eapropter denuo Confessionem Augustanam transmittebant ad Jeremiam, qui duobus abhinc annis Græcus erat Patriarcha Constantinopolitanus: huic autem confessioni simul adjiciebant præfationem, qua jactitabant, quod septem primorum Conciliorum fidem sequerentur: verum insuperhabitis cunctis sollicitationibus, quibus Patriarcham

Spond. Annal ad hunc ann n 16. Emanuel Malax Possev. Melchior Adam in vit German. Theolog.

cham urgebant, nihil ab eo impetrare poterant: quinimo hic eis minitabatur, quod tunc, si ab importunitate sua desistere nollent, eorum quoque errores refellere velit: insuper eisdem exprobrabat, quod temeritate haud toleranda sibi persuadere auderent, quod ipsi magis saperent, quam vetus, novaque Roma, simulque primitivæ Ecclesiæ Theologos, qui tamen eis reipsa adversantur, oretenus duntaxat honorarent, ac nonnisi eorum argumenta eludere niterentur. Sæcul. XVI. A C 1574.

§. II.

Jeremiæ Patriarchæ scriptum contra Lutheranos.

Enimvero Patriarcha, quæ comminatus est, brevi opere explevit; scripsit enim græco idiomate contra Protestantes quemdam librum, quem Stanislaus Socolvius Stephani Bathorii Poloniæ Regis Theologus latine reddidit, sub titulo: *Censura Ecclesiæ Orientalis.* Ibi Jeremias singulos Augustanæ Confessionis articulos confutabat, atque inter alia illius Sectatores his verbis alloquebatur. „Vos nonnisi quæ„dam Sacramenta admittitis, imo & „hæc multis erroribus contaminatis, „cetera autem tanquam traditiones non „modo in sacris literis non contentas,

Sæcul. XVI. A C. 1574.

„sed etiam illis adversas rejicitis, quam „in rem Veteris, & novi Testamenti „textus corrumpitis: insuper asserere „non erubescitis, quod sanctus Joannes „Chrysostomus, qui chrisma approbat, „sese torrente abripi passus sit: præ„terea vos rejicitis Patrum auctorita„tem, & vobismetipsis Theologorum „nomen arrogare præsumitis, necnon „invocationem Sanctorum vanam, & „frivolam esse asseritis, eorumque Ima„gines contemnitis, Sacras illorum re„liquias, ac cultum illis exhibitum lu„dibrio habetis, quem errorem a Ju„dæis suffurati estis, præterea sacramen„talem, quam quis alterutri nostrum „deponit, peccatorum Confessionem, nec „non statum monasticum vitæ angelicæ „imitatricem annihilatis, hinc vobis „declaramus, quod veri Theologi lon„ge a vestris dissimiles sacræ Scripturæ „verba, in quibus hæ veritates conti„nentur, nequaquam ita interpretati „sint, sicut vos facitis, propterea ne„quaquam veterum Theologorum sen„tentiam spernere, eisque vestrorum „Theologastrorum deliria præferre de„buissetis: porro hæc nostra est respon„sio: de cetero monemus vos, ne post„hac nobis molesti sitis, neque amplius „vestra scripta hanc in rem ad nos mit„tatis; nimis enim proterve agitis cum „præ-

„præclaris hiſce Eccleſiæ luminibus, „magnisque iſtis Theologis, nam fingi- „tis perinde, ac ſi eos honorare veletis, „re tamen ipſa illos rejicitis, nobisque „eripere ſatagitis divinos illos ſermo- „nes, quibus veſtros errores oppug- „namus. (*)

Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. III.

(*) *Hujus facti hiſtorici*, addit Graveſonius Hiſt. Eccl. part. 7. coll. 4. *veritatem confirmarunt Epiſcopi Græci, qui anno* 1672. *in Synodo Bethleemitica ad damnandos Calviniſtarum errores congregati hoc teſtimonium protulerunt his verbis:* Martinus Crugius Tubingenſis, ceterique cum eo novitatum Lutheri peritiores (inquiunt Epiſcopi Græci Synodi Bethlehemiticæ) ſuæ capita profeſſionis ad eum, qui Catholicæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ id temporis clavum tenebat (ſeu Jeremiam) direxerunt, quatenus (ut dicebant Lutherani) dignoſceret, an cum orientali Eccleſia de doctrina convenirent? verum ad illos, imo & contra ipſos inſignis ille Patriarcha ſermones tres, ſeu magis peritas reſponſiones reſcripſit, quibus & omnem eorum hæreſim Theologice juxta, ac Catholice confutabat, & orthodoxas opiniones, quascunque a principio Eccleſia obtinuit Orientalis, eos edocebat: quamquam illi, ſeu Lutherani, nequaquam attenderent, quippe nuntium pie-

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

§. III.

Pontificis apparatus pro celebrando anni sequentis Jubilæo.

Ciacon in vit. Pontif. t. 4. p. 8.

Interea summus Pontifex Gregorius XIII. Romæ pro Anni sacri solemnitate magnos fecerat apparatus; huic enim festivitati jam pridie ad Dominicæ Nativitatis festa hoc anno Christi mil-

---

tati penitus remiserunt: habetur liber iste Græce, & latine editus Wittembergæ in Germania anno Salutis millesimo quingentesimo octogesimo quarto, sed & ante Patriarcham istum nomine Jeremiam, Joannes Nathanael Presbyter, & Oeconomus Constantinopoleos in tractatu, quem de expositione sacræ Liturgiæ edidit, ac rursum post eundem Jeremiam Gabriel Severus Moreanus, Fratrum nostrorum Cretensium Archiepiscopus in libro, quem de septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis composuit, Universam Ecclesiæ orientalis doctrinam manifestius exhibuere. Ex hoc Græcorum Episcoporum, qui ad damnandos Calvinistarum errores ad Synodum Bethlehemiticam anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo convenerunt, locupletissimo testimonio evidenter colligitur, causſæ, quæ permovit Ecclesiam orientalem ad profligandos Lutheranorum errores, locum, & occasionem dedisse

milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto initium dandum erat, ut vero peregrini eo facilius Eccleſiam ſancti Joannis in Laterano frequentare poſſent, plateam admodum commodam ab Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris usque ad Baſilicam ſancti Joannis aperiri, ſimulque porticum ruinæ proximam in eadem Eccleſia ſanctæ Mariæ reparari juſſit. Ceterum diploma, quo hic annus ſacer indicebatur, die ſecunda Maji datum, & vigeſima ejusdem Menſis die Dominica in octava Aſcenſionis

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Spond. hoc ann n. 19. Duchesne hiſt. des Papes p. 434.

diſſe ipſosmet hæreticos Lutheranos, qui Eccleſiam orientalem provocarunt, nihil que intentatum reliquerunt, ut hæc Eccleſia, quam ab Eccleſia Romana ſeparatam cernebant, approbaret Lutheranam Confeſſionem Auguſtanam, quin eo impudentiæ, & audaciæ proruperunt Lutherani, ut palam afferent, ſeu potius mentirentur, Eccleſiam orientalem in dogmatibus fidei idem plane cum ipſis ſentire. Ea Lutheranorum audacia neceſſitatem impoſuit Eccleſiæ Orientali hanc teterrimam ſibi impactam calumniam repellendi, atque tum in Synodis, tum editis libris publice declarandi, Doctrinam ſuam in fidei dogmatibus longe, lateque diſcrepare ab erroribus, quos ſpargebant, & obſtinatis animis propugnabant Lutherani.

Saecul. XVI A.C 1574

sionis fuit promulgatum: die autem decima nona Decembris, quæ erat quarta Adventus Dominica, Camillus Burghesius Cardinalis Anni sacri solemnitatem inchoavit, ac Pontifex in Patrum Senatu, priusquam Jubilæo initium daretur, habito ad Purpuratos sermone illos ad pietatis exercitia hortabatur, ac pridie ad nascentis Domini festivitatem die vigesima quarta Decembris ante vespertinas laudes ad Basilicam Divi Petri accessit, ut muro obstructam, quæ nonnisi hac in occasione aperitur, portam sanctam referaret, quam Papa aureo martello tribus ictibus percutiens hæc Psalmi centesimi decimi septimi verba pronuntiabat: *Aperite portas justitiæ* &c. His prolatis lapides, quibus porta obstruebatur, dejecti fuere, ubi Pontifex prope eandem in genua procubuit, & Pœnitentiarii, qui Ecclesiæ Divi Petri deserviunt, illam aqua salutari lavabant, quo facto Papa arrepta Cruce Hymnum Ambrosianum intonans unacum Clero Ecclesiam ingressus est. Sub idem quoque tempus tres Cardinales Legati ad ceteras tres portas sancti Joannis in Laterano, sancti Pauli, & sanctæ Mariæ Majoris mittebantur, ut eadem solemnitate hasce portas aperirent.

Porro

Porro portam in Ecclesia Divi Pauli reserabat Moronus Cardinalis sacri Collegii Decanus, qui vices Altempsii Cardinalis tunc morbo præpediti supplebat: Antonius vero Columna portam sancti Joannis in Laterano, atque in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris Sfortia ejusdem Basilicæ Archipresbyter aperiebat. Altera die in festo Nativitatis Dominicæ peracta re divina Pontifex ensem, ac pileum nocte præcedenti sacratum Clivensi Duci donabat, simulque omnes indulgentias extra Urbem revocabat, adeo, ut præter Jubilæi veniam nulla alia vigeret. Ceterum tam ingens erat confluentis populi frequentia, ut in Urbe Romana trecenta hominum millia ex variis provinciis numerata dicerentur, atque in Nosocomio ad Sanctissimam Trinitatem in una die septem, ac ferme octo peregrinantium millia hospitio fuissent excepta, ubi Cardinales largissimis eleemosynis eminebant, præcipue vero Cardinalis Montaltus, qui charitatem suam præsertim exercebat erga peregrinos nullo hospitio exceptos, necnon erga infirmos, atque Ordinis sui Religiosos, qui sacro hoc thesauro potiundi desiderio, aut curiositate acciti Romam venerant: porro de hoc Cardinale omnino constat, quod is cunctis populis præclara

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

fuæ pietatis, Zelique exempla præbuerit.

§. IV.

Joannis Riccii Cardinalis obitus.

Ciacon. t. 3. pag. 771. Aubery vie des Cardin. Petrus Justin. hist. Vercet Ughel. Ital. Sacra.

Priusquam Lotharingius Cardinalis, cujus etiam obitum ad exitum prioris libri recensuimus, vita fungeretur, ex Purpuratis quatuor alios sacri Collegii consortio mors eripuit, quos inter primus erat Joannes Riccius Politianus in Montepolitiano Etruriæ oppido ortus ex familia minus illustri, quam fuit illa, quæ Florentiæ sedem fixerat. Ceterum Joannes Patrem habuit Antonium Riccium, qui uxore sua orbatus ad secundas nuptias transiit, cum autem Joannes annos quindecim, aut ferme sedecim natus Novercæ suæ odio vexaretur, Romam se contulit, ubi a quodam Nobili Patris sui amico benigne exceptus apud Joannis Mariæ Cardinalis Montani œconomum esse jussus est, cujus Cardinalis gratiam ob solertiam suam promeritus est, adeo, ut tunc, cum ipsemet Palatii Magister vita fungeretur, in ejus locum succederet, ubi in illo munere se talem præbuit, ut dein, cum Alexander Farnesius Cardinalis, Pauli III. nepos Magistrum domus quæreret, nullum, qui sibi satisfaceret, præter Joannem invenerit.

Cum

Cum autem Farneſius hunc juvenem ingenii acie, miraque in rebus gerendis dexteritate præditum eſſe cognoſceret, illius opera in pluribus magni momenti negotiis utebatur, quæ Joannes cum ſummo honore perficiebat, ſæpe in Franciam, Germaniam, & Belgium ablegatus: inde vero redux ſacræ militiæ nomen dabat, atque a Paulo III. Clericus Cameræ Apoſtolicæ renuntiatus, dein trina vice in Hiſpaniam, & Luſitaniam, ubi Internuntii munere fungebatur, decretus eſt: porro cum Romam reverſus, Montanum Cardinalem ſuum priſtinum Patronum aſſumpto Julii III. nomine ad Divi Petri Cathedram evectum cerneret, ab eodem pluribus favoribus augebatur; quippe a recens electo Pontifice Archiepiſcopatum Sipontinum, & non multo poſt Epiſcopatum Cluſinum obtinuit, ac demum in tertia Cardinalium electione inter Presbyteros Cardinales titulo ſancti Vitalis menſe Novembri anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo cooptatus eſt: inſuper a Pio IV. Eccleſiam Montepolitianam in Cathedralem evehi, atque huic Epiſcopatui Spinellum Bencium præfici impetravit, quo defuncto Riccius Cardinalis ſucceſſit, atque Piſanum Archiepiſcopatum

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI. A.C. 1574

tum adeptus ibidem pro suæ Nationis juvenibus Collegium erexit. Mortuo Pio IV. Pontifice in sacris comitiis Cardinales plures sua in eum suffragia conferebant, quamvis in Papam non eligeretur: subrogato autem Pio V. sancti Vitalis titulum dimisit, atque illum sanctæ Mariæ Trans-Tyberim adoptavit, dein creatus Albanensis Episcopus: præterea rursus quosdam Purpuratos sibi suffragantes habuit, cum Gregorius XIII. Pontifex renuntiaretur: eo autem Divi Petri Cathedram moderante Riccius die tertia Maii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto obiit anno ætatis suæ circiter septuagesimo septimo: natus enim erat Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Corpusque ejus Romæ in sancti Petri de Monte aureo sacello a se ædificato terræ mandatum est.

§. V.

Antonius de Crequy Cardinalis mortuus.

Ciacon. pag. 967. Aubery l. c. Frizon Gall. Purp.

Alter ex Cardinalibus erat Antonius de Crequy natione Gallus, Filius secundo genitus Joannis Crequii, & Mariæ Acigne de Boscobello. Ceterum Antonius ex S. Juliani Turonum Abbate, Præpositus S. Petri de Selincourt,

court Ordinis Ciſtercienſis creabatur, qui hæreditario jure plurima domus ſuæ bona poſſederat, & poſtea militiæ ſancti Michaelis Eques electus, demum ab Henrico II. Teruanæ, quæ hodie Bononia maritima appellatur, Epiſcopus, & poſtea Nannetenſis Præſul nominatus fuit, anno autem Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo dimiſſo hoc Epiſcopatu Ambianenſem ſedem obtinuit, quam urbem die prima Januarii anno ſequenti ingreſſus eſt: denique cum apud Carolum IX. gratia, & auctoritate plurimum valeret, ad ejusdem Regis preces quamvis abſens in quarta Cardinalium inauguratione a Pio IV. facta die duodecima Martii Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto Romana purpura decorabatur, ac Cardinalis Presbyter titulo ſancti Tryphonis creabatur. Ceterum cum hic Cardinalis calculi doloribus graviter afflictus decumberet, Medici convenere deliberaturi de remedio afferendo, ubi eorum aliquis ſuaſit, ut Antonius commercium haberet cum muliere, eoquod ſic certo certius ſanitatem recuperaturus eſſet, quo illi ſignificato reſpondit; *abſit, ut jacturam æternam animæ faciam pro ſanitate temporanea cadaveris*: porro ex hac vita migravit die vigeſima octava Maji, ſeu

Sæcul XVI. A C. 1574.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

seu juxta alios die vigesima Junii anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo quarto in civitate Ambianensi, sepultusque fuit in sua Ecclesia Cathedrali: postquam magnam pecuniarum summam in supremis tabulis Ecclesiis diversis ad pios usus contulit: eundem oratione funebri laudavit Jacobus Seguier Canonicus, & Cancellarius Ambianensis.

§. VI.

Cribellii Cardinalis extrema.

Ciacon. & Aubery l. c. Andr. Victorel. in add. ad Ciacon.

Tertius inter Purpuratos hoc anno fatis functos erat Alexander Cribellius Mediolanensis ex nobili Cribelliorum familia natus, ex qua Urbanus III. Papa, pluresque alii Viri ad Beatorum album relati prodiere. Alexander adhuc juvenis profanam militiam professus erat, in patriam vero reversus uxorem duxerat ibidem Senatoris munere functus, mortua tamen conjuge a Pio IV. Romam accersitus Cariatensis in Calabria Episcopus die decima Martii Anno Redemptoris millesimo quingentesimo sexagesimo primo creabatur, ac demum Sedis Apostolicæ Nuntius in Hispaniam ablegabatur, quam etiam legationem obiens ab eodem Papa Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Cardinalis Presbyter titulo,

tulo ſancti Joannis ante Portam Latinam, & poſtea Legatus a Latere apud Hiſpaniæ Regem nominabatur: inde vero Romam redux mutato Eccleſiæ ſuæ titulo illum de Ara Cæli aſſumpſit, necnon Anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo ſuum Epiſcopatum ultro dimiſit, poſtquam Collegium, ubi juventus familiæ Cribellinæ literis inſtitueretur, in urbe ædificavit: tandem ſub Gregorio XIII. cujus, uti etiam Pii V. anteceſſoris comitiis interfuerat, die vigeſima ſecunda Decembris anno Salutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto ætatis ſexageſimo tertio, ſeu ſexageſimo ſexto, e vita abiit, & in Eccleſia ſui tituli conditus eſt. *Sæcul. XVI. A.C.1574.*

§. VII.

Aquavivæ Cardinalis deceſſus.

Denique quartus erat Julius Aquaviva Arragonenſis ex illuſtri Neapolitani Regni ſtirpe in plurimos ramos diffuſa ortus, nam ex Gioræ Comitum, & Atriæ Ducum genere deſcendit, fuitque natu minor Joannis Hieronymi Aquavivæ Arragonii, ac Atriæ Ducis, & Margaritæ Piæ filius, qui meritis ſuis, ob quorum famam Pio V. probe erat notus, hujus Pontificis gratiam promeruit, atque ab eodem utriusque *Ciacon. pag. 1061. Gabut. in vita Pii V.*

ut

Sæcul. XVI A.C. 1574.

ut vocant, Signaturæ Referendarius fuit renuntiatus, etsi vix vigesimum ætatis suæ annum attigisset: postea legatione ad Philippum II. Hispaniæ Regem decoratus sacræ jurisdictionis jura conservare, eaque violenter a regiis Ministris Mediolani violata tueri jubebatur, quo munere digne functus annos natus viginti quatuor a Pio V. Cardinalium Collegio adscriptus est obtento titulo sancti Callisti, quo paulo post mutato titulum sancti Theodori adoptavit, Cardinalium Diaconorum numero accensitus. Hic idem quoque unacum aliis a Pio V. ad æternam gloriam evolaturo accersitus fuit, ejusque morti interfuit, ab eodem piis admonitionibus firmatus: præterea Julius suffragium suum in comitiis Pontificiis Gregorio XIII. dederat, tandem vero die Mercurii duodecimas calendas Augusti obiit anno sui Cardinalatus quarto, qui erat a Nativitate Christi millesimus quingentesimus septuagesimus quartus, illius vero ætatis nonnisi vigesimus octavus: porro corpus ejus in Ecclesia Lateranensi sepultum fuit. Hujus Cardinalis germani fratres fuere sex, mirum. I. Octavius Aquaviva a Gregorio XIV. Cardinalis creatus anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo. II. Horatius insignis Theologus Ordinis

Ordinis Ciſtercienſis Monachus, & Epiſcopus Cajacenſis. III. Rudolphus, qui nuntio rebus humanis remiſſo, totum ſe Deo in Societate Jeſu conſecravit, & ſanguinem pro Chriſti fide in Indiis fudit: IV. Antonius, qui Militum Venetorum Tribunus in Corcyræ Inſula e vita migravit: V. Adrianus, qui Comitum Converſanorum, & Nociorum ſtirpem propagabat: VI. Albertus ceterorum natu minimus Atriæ Dux, qui Beatricem Lannoyam Sulmonis Principis Filiam duxerat. Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. VIII.

Antonii Muchii, ſeu Democharis fata.

Inter Scriptores Eccleſiaſticos, quibus hoc anno mors calamum excuſſit, præprimis numeratur Antonius Muchius Reſſoniæ Bellovacenſis Diæceſis pago Compendium inter, & Raugam ſito natus. Is Pariſiis percurſo ſtudiorum curriculo Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo in Univerſitate Profeſſor, ac ſeptimo poſt anno illius Rector creatus eſt: poſtea autem Doctoratus laurea in Facultate Theologica decoratus in Novidunenſi Eccleſia Metropolitana Canonicatum obtinuit: cum vero Lotharingii Cardinalis benevolentiam ſibi captaret, ab *La Croix du Maine Bibl. Franc. Dupin Bibl. t. 16. p. 115.*

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

eodem itineris ſocius ad Synodum Tridentinam ſeligebatur, zelo quidem, ac pietate inſignis, nunquam tamen profundioris eruditionis laude clarus, cum unice in inquirendis, atque impugnandis Proteſtantibus emineret, ubi nonnunquam vehementia minus æquitati conſona eos adoriebatur: erat enim hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Galliis contra eos, qui novam ſectam profitebantur, quo tamen munere hæreticorum invidiam ſibi vel maxime accerſebat, & dicteriis in ejus contemptum ſparſis ab illis laceſſebatur, donec tandem Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Pariſiis Facultatis Doctor extremum clauſerat diem. Scripſit is plura opuſcula, ex quibus præcipuum eſt tractatus de Sacrificio Miſſæ, quod tamen opus innumeris, iisque prorſus inutilibus digreſſionibus ſcatet, omnique ſana criſi tam circa Authores, quos allegat, quam circa textuum, quos citat, ſelectum deſtitutum eſt.

§. IX.

Cornelii Muſſi mors.

Joſ. Muſſo in vita Cornelii Muſſ. Dupin p. 114.

Die nona Januarii eodem anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Cornelius Muſſus, ſeu Muſſo Bitutinus Epiſcopus, ac celeber-

berrimus sui ævi Prædicator vivis valedixit. Natus is erat Placentiæ in Italia Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo undecimo: vix autem nonum ætatis ſuæ annum attigerat, dum in præfata urbe Fratrum Minorum Conventum ingrediebatur, ut ſatisfaceret voto, quo ejus Mater, dum hunc Filium in lucem ediderat, ſeſe obſtrinxit: porro cum ingenii ſui acies, memoriæ felicitas, raræque ejusdem dotes illum aliquando in eximium Prædicatorem evaſurum pollicerentur, hinc Pater Jacobus Roza de Candazo, illum ſibi tanquam Diſcipulum aggregabat, cujus magiſterio juvenis hic ſcholaris humanioribus literis apprime imbutus tanta oris facundia Verbum Dei annuntiabat, ut intra breve temporis ſpatium ſibi magnam nominis ſui famam compararet, ac Venetiis, & Patavii cum ingenti Auditorum applauſu ad populum diceret: poſtea autem in Theologia Doctoratus laurea inſignis in Papienſi Univerſitate Profeſſor ſtatis horis Metaphyſicam publice tradebat: inde vero Bononiam evocatus meritorum ſuffragio ad Petro-Honorianum Epiſcopatum evehebatur: cum autem ſummus Pontifex ejuſdem paræneſes in Evangelia percipere vellet, ac ex iis magnam voluptatem caperet, eundem Bituntinæ

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Ecclesiæ præfecit, atque ad Tridentinam Synodum ablegavit, ad cujus initium Cornelius latinum sermonem habuit, ac cum maximo applausu suas dilucidationes circa doctrinam de justificatione proposuit, simulque rigidas hypotheses circa dogma de prædestinatione rejecit: insuper ibi calumnias Curiæ Romanæ impactas confutavit adversus eos, qui abusus circa Episcoporum electiones, & plurium beneficiorum possessionem summis Pontificibus imputare audebant. Ceterum Cornelium, atque Archiepiscopum Materanum Legati in Synodo amplioribus honorabant elogiis, eorumque merita literis Romæ deprædicabant: hinc postquam Julius III. Paulo III. successerat, Cornelius Prælatus Domesticus, atque a cubiculis Minister seligebatur, quem Papa minime dimittebat, nisi postquam ejus præsentiam ibidem esse necessariam, a Synodi Præside edoctus fuerat: Concilio autem interrupto Mussus ad suum Episcopatum reversus, ibi substitit, usque dum Pius IV. in Papam fuerat electus, ubi Romam profectus est, mox tamen ab eodem Pontifice unacum Nepote suo in Germaniam decernebatur, quo itinere in Ferdinandi aula ejusdem Cæsaris benevolentiam sibi demerendi occasionem nactus est, hinc ibidem plurimi

Sarp. hist. Concil. Trid. l. 11. ann. 1545.
Pallav. hist. Conc. Trid. l. 8. c. 7. n. 4.
Ghilini theatr. d'huomo lettr. p. 2.

rimi habebatur: poſtea vero Romæ Inquiſitionis negotiis, necnon rerum, quæ Tridenti agitabantur, diſcuſſioni vacans abſoluta Synodo Roma diſceſſit, ac Bituntum ſeſe recipiens ibidem elimandis morum corruptelis, atque explendis probi Præſulis partibus totum ſeſe mancipabat. Denique decem omnino annis in ſua Diæceſi ſubſiſtens Pio V. filiale obſequium reddere, ſuamque patriam inviſere, demumque Venetias contendere ſtatuit, ut ibidem quædam opera prælo ſubjici curaret, inde dein Romam revertebatur eodem prorſus tempore, quo Gregorius XIII. Pio V. in Pontificatu ſucceſſerat, a quo etiam Papa recens electo, ut ei aſſiſteret, detinebatur, nequaquam iter ſuum proſequi permiſſus, niſi poſtquam anno ſacro initium fuerat datum: verum Muſſus uſque ad hanc ſolemnitatem vitæ ſuæ dies protrahere haud valuit, mortuus Romæ die nona Januarii Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, ætatis ſuæ ferme ſexageſimo tertio. Sæcul.XVI. A.C.1574.

Scripſit tractatum de Diæceſium viſitatione, & viſitandi modo, qui juris publici factus inſcribitur: *Synodus Bituntina*; reipſa enim hic tractatus complectitur acta Synodi, quam Muſſus Bitunti celebrabat: inſuper edidit latinum

Sæcul. XVI. A.C. 1574

commentarium in epistolam Divi Pauli ad Romanos Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo primo, & demum octogesimo octavo typis impressum: præterea Italo sermone elucubravit alium commentarium in *Magnificat* Anno salutis nostræ millesimo sexcentesimo decimo octavo Colonienſibus literis excusum: porro inter præcipua hujus Præsulis opera recensentur illius sermones, quorum plura volumina post ejus obitum publicam lucem aspexerant, ubi ad primi voluminis initium invenitur Bernardini Tomitani dissertatio de elegantia, methodo, atque argumentis sermonum, quos hic Prælatus concinnabat: nihilominus propter nævos Concionatoribus sat familiares redarguitur, quippe plus de verborum nitore, quam rationum firmitate sollicitus exornando suo sermoni magis, quam argumentorum solliditati intentus erat. Ceterum ejus sermones, quos Mussus jejunii verni tempore habuit, Auctor vitæ illius Cardinali Farnesio Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo sexto nuncupabat, iique postea in Gallicum idioma translati, atque Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quarto typis excusi prodierunt.

§. X.

Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. X.

Pauli Manutii obitus.

Hoc item anno Paulus Manutius Aldæ Filius Venetiis Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo duodecimo natus mortalitatem exuit. Is per aliquot annos Venetiis in patria ſua literarum excellentia eminebat, muſisque recens reſuſcitatis novum addebat ſplendorem, a Pio V. Romam venire juſſus, ut Typographiæ Apoſtolicæ curam in ſe ſuſciperet, ac ſacri Codicis editioni præeſſet: inſuper huic Viro Respublica literaria tot Authores antiquos tam Græcos, quam Latinos, ceterosque cum ſumma ſolertia, ac nitore typis vulgatos in acceptis referre tenetur: ipſe vero nonniſi de argumentis profanis tractatus quosdam edidit, atque aliquamdiu Bibliothecæ Vaticanæ præfuit: tandem autem die ſexta Aprilis Anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto ætatis ſuæ ſexageſimo tertio fatis functus, ſepultusque fuit in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam. Reliquerat unicum Filium nomine Aldam, quem Clemens VIII. Vaticanæ Typographiæ præfecit.

Thu. l. 59. p. 65. Imper. in Muſæo hiſt. Miræus de Script. Eccl.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

§. XI.

Joachimi Camerarii interitus.

Jer. Sochnius narrat. de vita Joach. Camer. Bossuet. variat. tom. 2. p. 274.

Inter Theologos Protestantes hoc anno vivis ereptos celebrior erat Joachimus Camerarius in Franconia Bambergæ Germaniæ urbe Anno Domini millesimo quingentesimo die duodecima Aprilis ex nobilibus quidem, tenuis autem fortunæ parentibus natus. Hic vitam Philippi Melanchtonis, quocum semper arctam amicitiam fovebat, posteris reliquit, ejusdemque Authoris epistolas ad nos transmisit: scripsit etiam Historiam Valdensium, ediditque ex diversis Diæcesibus Episcoporum Catalogum: hunc Scriptorem illustriores Principes sua benevolentia dignabantur, præcipue vero Carolus V., & Maximilianus II. Imperatores, nam Camerarius Norimbergæ, Tubingæ, & Lipsiæ non sine magno applausu publice literas tradidit, periit autem die decima septima Aprilis Anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo quarto postquam septuagesimum quartum ætatis suæ annum unacum septem diebus expleverat.

§. XII.

Aretius, & Westphalus mortui.

Post

Sæcul XVI. A.C.1574.

Post Camerarii obitum decefferat Benedictus Aretius Calviniſtarum Miniſtellus, & Bernæ apud Helvetios natus, ubi etiam die vigeſima ſecunda Aprilis ætate minime provectus animam evomuit. Is Marpurgi Philoſophiam, ac Bernæ Theologiam profeſſus edidit quemdam in novum Teſtamentum commentarium, atque examen Theologicum, necnon locos communes, quibus titulus: *Problemata ſacra.*

Adam in vit. Germ Theol. Teiſſier addit. aux eloges de ſcavans de M. de Thou.

Eodem hoc anno pariter Joachimus Weſtphalus ſecta Lutheranus Hamburgi natus obiit, quem ejuſdem furfuris homines tanquam doctum Theologum deprædicant, quamvis eum Calvinus circa Sacramenta acri calamo perſtringeret, parique vehementia Beza illum impugnare pergeret: utrumque tamen Weſtphalus refellebat, atque inter alia opera elucubrabat quasdam de pernicioſa Religionis varietate epiſtolas, necnon vigentem in Saxonicis Eccleſiis fidei confeſſionem, præter epiſtolam, in qua ad Calvini injurias reſpondit: edidit quoque ejuſdem mendaciorum confutationem, ac tractatum de operibus &c: inſuper ad ſtabiliendam, prout dicunt, Ubiquitatem contra Melanchtonem omnes ſuas vires impendebat.

Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. XIII.

Monasterienſis Epiſcopi mors.

Thuan. l. c. Tandem hoc etiam anno Monaſterienſis Epiſcopus ex illuſtri Comitum Hojenſium familia parentibus Joanne Hojo, & Margarita Guſtavi Sueciæ Regis Sorore natus deceſſit. Hic Pariſiis humanioribus literis, atque in Italiam contendens ſublimioribus ſcientiis operam dabat: in Germaniam vero reverſus Cameræ Imperalis Præſes nominabatur: cum autem vir eſſet raris animi dotibus illuſtris, atque excellenti ingenio, multarumque linguarum notitia ornatus, ob id Paderbornenſis, & dein Oſnabrugenſis, ac poſtremo Monaſterienſis Epiſcopus illorum Collegiorum ſuffragiis electus eſt, adeo, ut eodem tempore trium horum Epiſcopatuum adminiſtrationem in ſe ſuſcipere cogeretur; obiit is anno ætatis ſuæ quadrageſimo quarto: eo autem defuncto tribus hiſce Eccleſiis, quas ſimul poſſidebat, ſuus cuique Præſul dabatur, & quidem in Monaſterienſi Epiſcopatu ei ſuffectus eſt Joannes Guilielmi Cliviæ Ducis Filius, annos tum tantum duodecim natus: Oſnabrugenſem vero Henricus Saxoniæ Dux, Archiepiſcopus Bremenſis, & Paderbornenſem Eccleſiam Salentinus

El-

Eiſenburgenſis Colonienſis Archiepiſcopus acceperunt. Sæcul. XVI. A.C.1574.

§. XIV.

Cenſura in hiſpanam novi Teſtamenti verſionem.

Circa Menſem Aprilem ejuſdem anni Pariſienſis Curia ad Facultatem Theologicam transmittebat novi Teſtamenti interpretationem, quæ hiſpano idiomate abſque Auctoris, ac Typographi nomine vulgabatur, ex qua tamen triginta, & una propoſitiones fuere depromptæ, atque in latinum idioma verſæ ferme cunctæ ex Genevenſibus Bibliis, atque Calvini ſchola mutuatæ deprehendebantur, omnesque ad evertenda piarum actionum merita tendere cenſebantur: quapropter Facultas in earum cenſura, quam tulit, ita pronuntiabat. In propoſitione tertia dicitur: *Panis, qui eſt verum ſignum ad tantam dignitatem perductus eſt, ut illum corpus ſuum appellet: quare qui fide illum recipit, Chriſtum recipit cum omnibus ipſius donis ad ſuſtentationem animæ ſpiritalem:* hæc propoſitio, inquit cenſura, Calvini hæreſin ſapit, in quantum realem Chriſti præſentiam negat. Quinta aſſertio omnem vim ſoli fidei tribuere videtur: nona ſic uni ſacrificio cruento ſemel in cruce facto omnia tribuit,

Argentre collect. jud. tom. 1. app. p. 23. tom. 2. p. 421. & ſeq. Collectio eorum. qui S. Script. in vulg. ling. tranſ. damn. edit. Pariſ. 2. p. p. 52.

Sæcul. XVI A.C 1574.

buit, ut omnino incruentum Missæ sacrificium rejiciat: decima temerarie condemnat traditiones: undecima omnem Sacramentorum vim evertit: Duodecima adversatur Ecclesiæ doctrinæ circa Sacramentum extremæ unctionis. Decima quinta est impia, cum asserat omnes, tam laicos, quam Sacerdotes, ex præcepto Christi ad communionem Calicis obstringi.

Decima sexta *est valde suspecta de hæresi negantium primatum Sancti Petri, & consequenter successorum ejus in Ecclesia.*

Decima septima, & decima octava damnantur, eoquod in illis affirmetur, Patres antiquos fuisse in cælo beatos ante adventum Christi, ut proin Purgatorium tollatur. Tres sequentes, inquit Facultas, minus orthodoxe loquuntur de fide, & meritis. Vigesima secunda impugnat cultum Sanctorum, & venerationem reliquiarum: vigesima tertia firmat opinionem Calvini asserentis baptismum esse tantum sigillum, quo certiores efficimur, & confirmamur, nos ante baptismum Sanctificatos, & justificatos esse per fidem præcedentem.

Denique sequentes cultum sacrarum Imaginum damnant, & libertatis statum evertunt.

§. XV.

§. XV.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Renati Benedicti cauſſa continuata circa verſionem Bibliorum.

Eadem Facultas hoc anno rurſus cauſſam Renati Benedicti Parochi ad Sanctum Euſtachium agitare cæperat: die igitur decima quinta Januarii Anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Syndicus in quadam Congregatione ſignificabat Facultati, quod quidam Præſul præſente Decano Pelletier dixerit, ſibi a quibusdam indicatum, quod ex Facultate tantum ſint ſex, aut ſeptem, qui cenſura notarunt Biblia Magiſtri Renati Benedicti: verum omnes, qui tum aderant, fere centum viginti una voce profeſſi ſunt, ſibi probari cenſuram Bibliorum dicti Benedicti, & conveniendum eſſe dictum Præſulem, ut ſignificet illos, qui detulerunt hoc veritati tantopere adverſum: porro Menſe Julio concluſum eſt, quod Simon Vigorius Archiepiſcopus Narbonenſis, Secquartus Pelletierus, & Faber adirent Epiſcopum Pariſienſem, qui præfatæ verſioni Renati Benedicti favebat: cum ergo Vigorius referret, & Facultati exponeret, quod dictum opus condemnare Pariſienſis Epiſcopus renueret, hinc Menſe Auguſto ſtatutum, ut res ad Gregorium XIII. ſummum Pon-

Argentre p. 426.

sæcul. XVI. A.C. 1574.

Pontificem deferretur, isque rogaretur, quatenus hanc Bibliorum versionem examinari, condemnari, ac supprimi juberet, curaretque, ut illorum Bibliorum suppressio in Gallia apud Christianissimum Regem per ejus Nuntium Apostolicum obtineatur ad tollenda omnia scandala, & dissidia, quæ inde enascuntur: insuper iidem statuebant exorare eundem summum Pontificem, ut dignetur superbiam, & novandi studium in Magistro Benedicto comprimere, ipsumque compellere, ut suorum Fratrum doctrinæ, & opinionibus consentire vellet.

§. XVI.

Renatus Benedictus sese Facultatis judicio subjicere paratus.

Argentre p. 428.

Itaque Renatus Benedictus hanc Facultatis sententiam edoctus die decima sexta Septembris hoc anno Facultati libellum supplicem porrigebat, in quo Doctores, ut ipsimet hanc caussam decidere vellent, supplex rogabat, simul declarans, quod sese Facultatis judicio subjicere, cunctaque gratiosa monita sibi danda tanquam filius humilis, atque obediens, qualis semper fuerit, recipere paratus existeret, adeo, ut id, quod iidem in ejus versione dignum reprehensione deprehenderint, ipse quoque

que omnino ex integro damnare velit, si ipsius adnotationes in locis censura notatis recipere nollent, aut alios exinde offendi prævideret: insuper illos monebat, quod Parisiensis Episcopus hanc causſam absque ipsius auctoritate finiri noluerit, prout a sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Deputatis fuit statutum, „cujus decisioni, inquiebat ipse, „innixus hanc Bibliorum versionem ag„gressus sum, hinc nec aliter a vobis „hanc rem decidendam spero, quia nil „ardentius desideratis, quam Religionis „Catholicæ bonum, atque augmentum, „ideo vestram, meamque tranquillita„tem procurare studetis.„ His expositis ad finem sui libelli rursus declarabat, quod sese omnibus hucusque gestis submittere, cunctaque exequi paratus esset, prout id facere jamjam inchoasset, eoquod versionem suam altero prælo subjicere noluerit, quamprimum eandem a Facultate rejici comperisset. Postea Renatus unacum duobus Notariis ad Sorbonam contendit, istisque suum libellum tradidit, ut illam prælegerent, ac denuntiarent: quo facto Benedictus discessit, recitato autem libello supplici præsentibus Doctoribus una congregatis Mathurinus Renaldus Sacerdos præfato Benedicto tanquam Procurator adjungebatur, finitaque lectione

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

ctione Facultas libellum recipiebat, affirmans, se ad illum responsuram.

§. XVII.

Facultatis responsum ad hunc libellum.

Argentre t. 2. p. 429.

Facultas responsum dare haud diu cunctabatur, hæc exponens: „summo dolore affecti sumus, eoquod Renatus Benedictus non illico sese submiserit; si enim promptam exhibuisset „obedientiam, nunquam a Facultatis „gremio fuisset excluſus: si vero ejus „versio non fuisset divulgata, non modo Franciæ Regno, sed & universo „Christiano orbi tam ingenti offensioni „non fuisset: verum is Facultatem contemnere aggressus est, ac plures sat „moderatas, & charitate plenas hortationes, quibus suam versionem utpote „hæreticam, atque erroneam suppri„mere admonitus fuit, vilipendere, imo „& alteram editionem adornare, atque „contra præfatam facultatem apologiam divulgare præsumpsit, ac insuper adeo non Tridentinæ Synodi decisioni, uti tamen in suo libello asseruit, se submisit, ut etiam recta sese „eidem opponeret, præcipue vero in „suo libello supplici sat aperte demonstraret, quod inter Parisiensem Episcopum, & Facultatem discordiarum „Zizania disseminare moliatur, prout „non

„non modo per suam Bibliorum versio- Sæcul. XVI.
„nem, sed etiam per suos sermones a- A C. 1574.
„pud Christianum populum fecerat:
„*præterea, quod adhuc pejus est, etiam ho-*
„*die non resipiscit, nec saniora sapit, sed*
„*mordicus suam versionem defendit,* quam-
„vis ea innumeris pene hæresibus, atque
„erroribus scateat; nihilominus Facul-
„tas declarat, quod sincere *redeunti*
„*nunquam gremium claudatur, & si se*
„*vellet præstare primo filium Ecclesiæ, &*
„*deinde filium Facultatis Matris suæ, ea-*
„*dem Facultas eum ut filium agnoscet, ta-*
„*lemque eum semper habere cupit.*

§. XVIII.

Facultatis decretum de re ad summum Pontificem remittenda.

Anno Domini millesimo quingentesi- *Argentre pag.* 430.
mo septuagesimo quarto, vigesima prima Septembris, in Festo sancti Matthæi Sorbonæ congregata fuit sacra Theologiæ Facultas, ubi Magister Renatus Benedictus vocatus comparuit, cui Decanus hæc exposuit: „a Facul-
„tate rursus mature examinata sunt tua,
„quæ edidisti, Biblia, in eis vero depre-
„hensi sunt errores graviores, quam
„antea, hinc plures censuræ adversus
„illa factæ sunt. sicut ipsemet scis, ideo
„ego nomine totius Facultatis te rogo,
„ut eandem tandem velut Matrem a-

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

„gnoscas: interim illa erit parata te „pœnitentem recipere, si modo velis „errores recognoscere, ac te submit„tere, & censuras in illa Biblia factas „cum aliis Magistris comprobare, præ„cipue cum nihil a te de novo petatur, „eoquod jam antea, aliquando etiam „scripto, submissionem pollicitus sis: „attamen tu more tuo tergiversari cœ„pisti nunc caussatus, quod quidem „submissionem aliquando præstitisses, „ac deliberasses de erroribus corrigen„dis, intelligens tamen, agi de Bibliis „supprimendis in sanctiori Regis con„silio, ideo submissionem revocasses: „iterum vero te paratum ad submissio„nem dixisti, si modo non supprime„rentur Biblia tua, quæ asserebas non„nisi magno damno supprimi posse pro„pter fructum, quem ajebas Ecclesiæ „attulisse; præterea caussabaris, cen„suras a te non auditas, nec cognitas „fuisse: adeo, ut eas nec approbare, nec „reprobare possis: petiisti tamen illas „tibi communicari, ut videres, quid „tibi agendum: insuper edixisti, quod „caussa tua Biblia concernens non a „Facultate, sed ab Episcopo penderet, „cujus decisionem, atque judicium ex„pectares. Verum ex hac agendi ra„tione satis apparet, a te non conver„sionem, & concordiam quæri, sed oc„casio-

„caſionem miſcendi diſſidia, & lites „inter Reverendiſſimum Pariſienſem „Epiſcopum, & Facultatem, ut ita tem„pus protraheres, & Bibliorum verſio„nem in Eccleſiæ perniciem diſſemina„res, ideo Facultas nunc, deliberat quid „ſibi facto opus ſit.„ His prolatis dictus Magiſter Benedictus rogatus fuit, an ſcripſiſſet aliam pro Bibliis ſuis apologiam, cujus dicebatur exemplar per domos circumferre, ac relinquere: repoſuit idem tamen eam non a ſe ſcriptam, ſed a ſuo cauſidico: fatebatur tamen quod pluribus adminiſtraverit illius certa capita, ac plerisque ſcripta tradiderit: itaque poſt longam, & maturam ſingulorum Magiſtrorum deliberationem, omnium conſenſu concluſum fuit, omnia primo quoque tempore ad Beatiſſimum Papam mittenda eſſe, nec quidquam Magiſtro Benedicto nomine Facultatis communicandum: nam id prorſus inutile eſſe cenſebatur, eoquod frequenter a Doctoribus particularibus, & deinde a deputatis, ac poſtea in plena Facultate propoſitiones cenſuris notatæ fuiſſent, atque illi jam antea ſæpius communicatæ, & nihilominus in ſuis erroribus defendendis ſemper contumax perſtiterit, & cenſuras rejecerit, nec aliam ob cauſſam ejusmodi exemplar peteret, quam ut lites, & contentiones per lon-

Sæcul. XVI. A.C. 1574.

Sæcul. XVI A.C. 1574

gioris moræ opportunitatem ferere posset: conceſſum interea fuit ſingulis Magiſtris cum illo conferre de hiſce cenſuris, & cum eodem ex charitate, ſicut cuique viſum fuerit, agere: inſuper concluſum fuit, mittendam eſſe illam Renati Apologiam ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam, cujus lectio ſatis fidem facit, illam non a cauſidico, vel a jurisperito, ſed a Theologo, & ab ipſomet Benedicto compoſitam, cum ea illius ſtylum, & toties ab illo auditas, & ſcriptas Bibliorum defenſiones, tergiverſatioues, impoſturas, calumnias, contumaciam, & mendacia contineat.

§. XIX.

Facultatis epiſtola ad Pelleveum Cardinalem Romam miſſa.

Argentre pag. 432.

His ita ſancitis Facultas ad Cardinalem Pelleveum Senonenſem Archiepiſcopum tum Romæ agentem datis literis hæc exponebat: „Cum ve„ſtra Eminentia præ ceteris prior contra „Benedicti ſioi venem ſuum pronuntia„verit judicium, hinc rogamus, ut circa „appellationem a cenſuris, quæ contra „errores in præfata verſione contentos „a Facultate latæ fuerunt, Pontificis „quoque, ſacrique Collegii ſententiam „pronuntiari cures: nos jamjam hac ſuper

„ſuper re vehementer Pariſienſem Epi- Sæcul. XVI.
„ſcopum ſollicitavimus, aſt per integros A.C.1574.
„ſeptem annos, quibus hæc cauſſa fuit
„agitata, nihil ab eo impetrare potui-
„mus, etiamſi hic Præſul malo reme-
„dium opponere ſæpius pollicitus eſſet:„
Præterea Facultas unacum hac epiſtola transmiſit Genevenſium Bibliorum exemplar, necnon utramque editionem Bibliorum, quæ Renatus Benedictus divulgabat, ut hæc Biblia Archiepiſcopus cum Genevenſibus conferre poſſet: adjunxit quoque Facultas cenſuras a ſe latas præter acta congregationum, quibus ſemper Narbonenſis Archiepiſcopus interfuit: inſuper die decima nona Decembris ejusdem anni a partu Virginis milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quarti Facultas ad Arnaldum Sorbonæ Doctorem, ac Senonenſis Eccleſiæ Theologum, atque Archidiaconum Romæ pariter commorantem literas dedit, ut illum ad proſequendam hanc cauſſam contra præfatum Benedictum induceret. Ceterum in annorum ſequentium hiſtoria hujus negotii exitum perſpiciemus.

§. XX.

Univerſalis Jubilæi feſtivitas Romæ celebrata.

Sæcul. XVI. A.C. 1575

Ineunte Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto univerſale Jubilæum, cujus initium antea retulimus, fuit inchoatum, quamplurimis Principibus Romam confluentibus, atque inter alios ibi aderant Magnus Etruriæ Dux, Alexander Farneſius Parmenſis Princeps, Paulus Jordanus Urſinus, & Carolus Fridericus Clivienſis Dux, qui nonniſi viginti annorum juvenis ibidem die nona Februarii vivis ereptus in Teutonica ſanctæ Mariæ Eccleſia ſepultus eſt: inſuper ipſe ſummus Pontifex quatuor Baſilicas pro lucrandis indulgentiis deſignatas ſancti Petri, ſancti Joannis Lateranenſis, Divi Pauli, & ſanctæ Mariæ Majoris ſæpius luſtrabat, atque genibus reptans, prout moris eſt, Sacram, ut vocant, Scalam conſcendit, providitque, ut Urbs annona copioſe abundaret, atque ædes Pontificiæ exteris paterent, necnon egentes amplis largitionibus juvarentur.

Spond. hoc ann. n. 1. Ciacon. in vit. Pontif. t. 4. pag. 8.

§. XXI.

Collegium Nobilium a ſancto Carolo Borromæo erectum.

Priusquam ſanctus Carolus Borromæus Mediolanenſis Archiepiſcopus, qui pariter ad celebrandam Anni ſacri feſtivitatem invitabatur, Romam contende-

Giuſſano vie de S. Charles l. 3. c. 4.

tendebat, Mediolani Nobilium Collegium pro educatione juvenum genere illustrium erexit, illudque sanctæ Mariæ Collegium nuncupavit, insuper ut hi, qui ibidem instituendi essent, non modo ingenue, sed & christiane educarentur, saluberrima condidit statuta, præcipiens, ut ex cunctis Nationibus etiam exteris reciperentur, qua ratione hoc Collegium confluentium frequentia admodum celebre reddebatur, quamvis autem illius curam Viris nonnisi probatæ virtutis, ac regendi dexteritate claris committeret, ipsus tamen sæpius per annum hosce juvenes invisens illorum in virtutibus, ac literis progressum explorabat, atque piis hortationibus munitos, quotquot digne ad sancta Sacramenta accedere poterant, sacra Synaxi ipsus reficiebat, hoc pium opus tantopere cordi habens, ut Sylvio Antoniano, qui ei jam dudum a secretis, & postea a Clemente VIII. Cardinalis fuit creatus, negotium daret, quatenus de meliori juvenes præcipue nobiles Christiane instituendi methodo librum elucubraret, quem Borromæus perlegens ad Veronensem Cardinalem transmisit, ut desuper ejus quoque judicium perciperet: cum ergo hic Purpuratus hunc libellum oppido utilem fore censeret, illum typis vulga- Sæcul. XVI. A.C 1575.

Sæcul XVI. A.C.1575.

tum sancto Archiepiscopo nuncupabat.

§. XXII.

Sancti Caroli epistolæ Pastorales pro jejunio Adventus tempore servando

Giuss. l. c. Act Eccl Med. pag 7

Cum sanctus Carolus non sine animi dolore cerneret, quod fideles de præparatione ad nascentis Salvatoris nostri solemnitatem digne celebrandam parum solliciti essent, hinc primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ Adventus tempore in usu erat, restaurare nitebatur: jam enim apud suos domesticos abstinentiam a carnibus, ovis, ac lacte præter alios jejunii dies intra hebdomadam introduxerat: verum pium hoc opus intra larium suorum fines duntaxat exerceri nondum contentus epistolam Pastoralem ad suum populum Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo tertio edidit, in qua veterem Ecclesiæ usum exponens cunctos fideles suæ curæ commissos hortabatur, ut hanc disciplinam resuscitarent, ac saltem a publicis festis, jocis, & conviviis tempore adeo sacro abstinerent, quatenus gratias per Dei Filium, ejusque Nativitatem mundo procuratas recipere mereantur. Nec suo successu caruit hæc epistola; quippe vix non omnes

omnes Diæceſium ſuarum ſubditi hoc jejunium obſervabant, ac frequentius Sacramenta recipientes in Eccleſiis, ac piis ſermonibus magis aſſidui erant, hocque uberrimo fructu allecti pari ſolicitudine jejunii verni præceptum religioſe adimplere ſatagebant: inſuper idem ſanctus Præſul Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto paulo ante Dominicam ſeptuageſimæ aliam edidit epiſtolam Paſtoralem, in qua populum erudiebat, qua ratione juxta Eccleſiæ mentem quadrageſimale tempus celebrare debeat, quam in rem præcepit, ut diebus Dominicis, ac feſtis a Septuageſima usque ad Dominicam primam quadrageſimæ Sanctiſſimum Sacramentum in Eccleſia Metropolitana, ac in triginta aliis variis Urbis Templis exponatur, ſolemnesque inſtituantur ſupplicationes, ac frequentes ibidem habeantur Conciones, ut populus ad Eccleſiæ acceſſum attrahatur, atque a ſpectaculis, ludisque profanis removeatur. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XXIII.

Sanctus Borromæus Henricum III. e Polonia reducem inviſens.

Cum ſanctus Archiepiſcopus totum ferme annum luſtrandis ſuæ Diæceſeos *Giuſſ. l. 3. cap. 5.*

 ceſeos

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

ceſeos Parochiis inſumpſiſſet, in Vaneſiano pago, qui tertia leuca a Como diſtat, idem fuit edoctus, quod Henricus III. Franciæ Rex e Polonia reverſus Mediolanenſem Ducatum pertranſiturus eſſet, hinc mox eidem obviam mittebat quemdam maximi nominis Nobilem, qui Regi in Cremonenſi ditione occurrens ab eodem perbenigne excipiebatur; ad hæc idem Henricus ſancto huic Cardinali datis literis ſummum teſtabatur deſiderium, illum coram venerandi, cujus merita, virtutesque per famam ſibi ſat perſpectas haberet: igitur ſanctus Præſul Menſe Auguſto Monzæ exiguo Mediolanenſis Ducatus oppido ad Lumbriam flumen ſito Regem convenit, ubi dum adventavit, in Archipresbyteri ædibus diverſatus Franciſcum Porrum Mediolanenſem Prælatum ad Regem ablegabat, per eum, qua hora ſua eidem obſequia deferre poſſet, ſciſcitaturus: cum autem Rex intelligeret, quod ſanctus Borromæus interea ſeſe ad peragendam rem divinam accingeret, ergone, inquiebat Rex, ipſus ſacris operari vult? abs dubio, repoſuit Prælatus, nullo enim die Deo incruentem offerre Sacrificium intermittit: eapropter, reſpondit Rex, ſignifica illi, quod & ego ipſus comparere, & Miſſæ intereſſe velim: percepto igitur

igitur Regis propoſito ſanctus Cardinalis Eccleſiam adornari præcepit, ac ipſe Regem interim adiit: quamprimum autem Borromæus apparuerat, mox Muſici, qui in anteriori cubili melodiam coram regia ſua Majeſtate decantaturi aderant, interrupta muſica flexis genibus benedictionem a Cardinale receperunt, rex vero eundem ſingulari lætitia excipiens, caputque tegere jubens cum eo admodum familiare colloquium habuit: porro Cardinalis, cum in omnibus ejus ſermonibus Epiſcopalis ſollicitudo eluceret, plura huic Principi ad privatam vitæ inſtitutionem, regnique ſui regimen ſalutaria propinabat monita, & præcipue eidem Religionis Catholicæ ſtudium tanquam angularem throni ſui lapidem, atque unicum ſceptri ſui fulcrum commendabat: abſoluto hoc colloquio Rex ad templum ſancti Joannis procedens, Prælato ſemper ejus latus ſtipante, ibidem Archiepiſcopi Miſſæ interfuit: poſtea ſanctus Carolus Regi Crucem affabre elaboratam dono transmiſit, quam etiam Rex cum ingenti lætitia acceptans illi Præſuli, qui hanc crucem deferebat, mille aureos donare voluit, qui tamen hoc munus acceptare recuſabat, cum quicquam accipere diſertis verbis a Cardinale prohibitus eſſet. Sumpto demum pran-

Sæcul. XVI. A.C. 1572.

Sæcul XVI. A.C. 1575.

prandio sanctus Præsul Regem rursus visum ibat, eique monita mane suggesta denuo inculcabat, quæ etiam effectui data fuere.

Sub idem tempus sanctus Archipræsul festos dies pie celebrari præcepit, promulgato hanc in rem decreto, quod plura admodum utilia complectebatur statuta, atque inter cetera Laicis inhibuit, ne durante Officio Divino in Ecclesiæ choro sederent: insuper fœminis præcepit, ut juxta Divi Pauli monitum velata facie assisterent, præterea duas Ecclesias Collegiatas Mediolani instituit: mense vero Septembri denuo epistolam pastoralem divulgavit, eaque suos Diæcesanos ad septem Ecclesias Romæ lustrandas hortabatur, eos instruens, qua pietate sacrum hoc iter ad obtinendam noxarum veniam peragere deberent.

§. XXIV.

Sanctus Carolus pro Anni sacri festivitate Romam profectus.

Giuss. l. c. l. 3. c. 6.

Sanctus Archipræsul, cum Diæcesanos suos ad hoc pietatis opus perverso sub obtentu violandum ex suo exemplo ansam arrepturos pertimesceret, residentiæ legem Episcopis impositam interrumpendi veniam prius a Pontifice obtinuit, ac dein ipius die octava Decem-

cembris Romam contendit, ubi pœni- Sæcul. XVI.
tentis peregrini more hoc iter instituit, A.C. 1575.
simulque aeris inclementiæ, quam tolerare cogebatur, continuum etiam adjunxit jejunium, haud aliis occupatus negotiis, quam assiduis ad Deum orationibus: præterea se rerum divinarum contemplatione lactavit, semperque cum illis, qui itineris socii erant, sacra de Deo colloquia miscuit, nonnunquam a via devius, ut cuncta sacratiora templa, ad quæ loci propinquitas invitabat, lustrare, atque ante solis ortum rem divinam peragere valeret. Porro iter suum absque ulla cibi refectione semper usque ad seram noctem protrahebat, nonnisi in villis, atque ignobilioribus hospitiis diversatus, ubi persæpe nonnisi mucidi panis frustum accipere poterat, ac non raro in stramentis pernoctare perpetim cogebatur.

§. XXV.

S. Carolus Romam delatus, atque a Pontifice exceptus.

Itaque Borromæus vigesima prima De- *Giuss. l. c.*
cembris die Divo Thomæ Apostolo sacra Romam pervenit, ibidem singulari veneratione, & benevolentia a summo Pontifice exceptus. Hic etiam cum eo de variis consultabat mediis, quibus

per

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

per totum anni ſacri tempus Romana urbs ſolida morum ſanctitate efflorescere poſſet, quam in rem Cardinalis ſuam pandebat mentem, mox tamen ad Carthuſianorum cœnobium ſanctæ Mariæ ab Angelis ſeſe recepit, ubi jejuniis, orationibus, aliisque vitæ auſteritatibus ſeſe ad percipiendas jubilæi gratias diſponebat, ac præmittens generalem ſuarum noxarum expiationem, omnia ſacra loca pedes, ac quædam nudis etiam pedibus luſtrabat, comitantibus eum illius domeſticis, qui bini, ac bini incedentes, ac orationibus intenti corporis maceratione pietatem redolebant: ſi vero ſanctus quempiam, etiamſi Princeps, aut amicorum præcipuus eſſet, ſalutatum accedere cerneret, unice pileum ſuum coram eis detrahebat, ac non interrupta oratione iter ſuum proſequebatur, cum vero Marcus Antonius Columna, & Fabritius ejus Filius Borromæum ad ſancti Pauli Eccleſiam extra muros euntem obviam haberent, eumque ſalutaturi curru deſcenderent, hic perinde, acſi eos non conſpexiſſet, pertranſibat; eadem quoque ratione erga ſuam ſororem Fabritii Conjugem, quæ cum ſuo Marito, ac ſocero aderat, utebatur, nec magis comiter ſeſe exhibebat erga Parmæ Ducem intimum amicum ſuum: nihilominus tamen hi

Pro-

Proceres adeo non exinde offendebantur, ut potius hoc exemplo ad pietatem accenderentur. Præterea Carolus Cardinalis præter hæc exteriora Religionis exercitia largas effundebat eleemosynas, atque ad tituli sui ædes apud sanctam Praxedem Mediolanenses peregrinos, aliosque plures exteros hospitio excipiebat. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XXVI.

Salutaria monita Pontifici a sancto Carolo propinata.

Sanctus Præsul cum piis hisce exercitiis intentus esset, a reliquis omnibus negotiis vacabat, nisi a Pontifice ejus consilia rogaturo accerseretur: tum vero Carolus Gregorium libertate vere Episcopali alloquebatur, eidem exponens, quod regimini Ecclesiæ, cujus curam ei Deus imposuisset, necnon aulæ suæ emendationi toto studio incumberet, ceterosque Episcopos ad parem sui Cleri reformationem, atque ad explendas veri Pastoris partes suo exemplo excitaret: inter cetera autem, quæ eidem suggerebat, consilia, Pontifici auctor extitit, ut quosdam Visitatores Apostolicos ad Diæceses emitteret, atque explorari curaret, quam agendi rationem Episcopi tenerent, anve Tridentini Concilii decreta in usum deduce- *Giuss. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

ducerent: itaque summus Pontifex, ut tam pium opus executioni daret, sancto huic Cardinali Mediolanensis Provinciæ Episcopatus lustrandi curam, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato committebat: priusquam vero sanctus Carolus hoc munus acceptaret, suæ Diœcesis Visitatorem nominari, a Pontifice exorabat, qui etiam sancti Præsulis precibus annuens Hieronymum Ragazzonium in Cypri regno Famagustanum Episcopum, virum virtutum, ac ingenii præstantia percelebrem, & postea Bergomanensem Episcopum designabat.

§. XXVII.

Sanctus Borromæus Roma profectus, ac Mediolanum reversus.

Giuss. l. c. cap. 7.

Demum sanctus hic Archipræsul Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Mense Februario Roma profectus est; prius tamen a Papa id omne impetrabat, quod ad Ecclesiasticam disciplinam in sua Diœcesi firmandam necessarium esse duxerat: insuper ab eodem Papa obtinuerat, ut Annus sacer tam in urbe, quam Mediolanensi Diœcesi celebrari posset, quam in rem Cardinalis impetravit facultatem, vi cujus pro celebranda hac solemnitate proximum annum salutis nostræ millesimum quingentesimum septuage-

ptuageſimum ſextum deſignare, ſeptemque Eccleſias pro ſuo arbitrio nominare poſſet, in quibus æque, ac in ſeptem Romanæ Urbis Eccleſiis anni ſacri gratiæ acquiri valerent: cum vero Borromæus Camillæ Sorori ſuæ Cæſaris Gonzagæ uxori promiſiſſet, quod illam Romam redux viſum ire vellet, hinc iter ſuum Guaſtallam verſus dirigebat, ubi Cæſari Sororio ſuo, quem in ſuo adventu jam periculoſe decumbentem invenerat, morienti adſtitit, pariterque ibidem Eccleſiam in loco admodum vicino recens ædificatam ſacro ritu Deo dicavit: poſtea vero cuncta, quæ ipſius charitas inſpirabat, obſequii munia Sorori ſuæ præſtabat, afflictamque non modo ſolatio, ſed etiam pro familiæ educatione piis, ſalutaribusque monitis locupletatam relinquebat, & dein Mediolanum contendebat, ubi a populo ſuo non ſine maximis lætitiæ teſtificationibus excipiebatur, ab univerſa civitate officioſa ſalutatione honoratus. Poſtea pro more ſuo Diæceſis regendæ ſollicitudini intentus ſuæ Provinciæ Epiſcopatus luſtrare parabat: priusquam vero ſacro huic muneri vacare inciperet, ſuum Viſitatorem Apoſtolicum excipiens eundem de omnibus in hac viſitatione occurrentibus plene edocebat, eique cuncta ad reportan-

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

dum optatum succeſſum neceſſaria ſuggerebat monita. Denique ſuam viſitationem inchoaturus proficiſcebatur nonniſi ſex ſtipatus Eccleſiaſticis, qui eidem in ſacro hoc exercitio opem præſtarent.

§. XXVIII.

Congregatio Oratorii Romæ per Pontificis diploma ſtabilita.

Bullar. t. 2. Greg. XIII. Conſtit. 101. Ciacon. addit. Oldoin. t. 4. p. 26. Natal. l. 23. 26. 27.

Cum interea ſancti Philippi Nerii Congregatio indies augeretur, ac Sacerdotibus ad obeunda Eccleſiæ munia, Verbumque Dei prædicandum, ac fidelium confeſſiones excipiendas idoneis abundaret, Philippus ad impenſas plurium preces quamdam Regulam, ac Conſtitutiones, quas hi eo etiam abſente juxta ipſiusmet exemplum ſequi poſſent, conſcripſit: quoniam vero Oratorium in Eccleſia ſancti Hieronymi de charitate erectum ad habenda ſacra colloquia, ſanctasque ſuorum Sodalium exercitationes haud ſat amplum eſſet, hinc eo relicto Oratorium ſuum anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto ad Florentinorum Eccleſiam ſancti Joannis tranſtulit, ubi etiam domum huic templo contiguam pro ſua communitate nactus reditibus ad ſuorum ſodalium ſuſtentationem neceſſariis locupletabat: attamen anno Chriſti

Christi milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto conſentiente Gregorio XIII. Papa Eccleſiam de Vallicella obtinens ſuos diſcipulos in hiſce ædibus congregabat, impetrata prius hujus Congregationis confirmatione, quam Sedes Apoſtolica per diploma Pontificium die decima quinta Julii conceſſerat. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XXIX.

Legatus ad ſedandos tumultus Genuam a Papa decretus.

Pariter Philippus Nerius pacem conciliare nitebatur inter veteres, & recentiores Genuenſium Nobiles, qui mutuis odiis, ac vexationibus inter ſe ob privata ſtudia collidebantur, ſuisque diſſenſionibus univerſam ditionem perturbabant: cum autem Philippus illos ad reconciliationem permovere haud poſſet, hinc Gregorius XIII. ad eos Cardinalem Moronum ablegabat, cujus tamen conatibus ab initio haud magis proſper adſpirabat ſucceſſus, quippe horum animi nimium exaſperati cuncta concordiæ media recuſabant, imo jamjam manus conſerere parabant, altercationis flamma eo usque accenſa, ut potiſſimi Europæ Principes huic cauſſæ ſeſe ingererent. Tandem cum Moronus Cardinalis rurſus pacis negotium *Victorell. addit. ad Ciac. tom. 4. pag. 8. Thuan. l. 61. Duchesne hiſt des Papes p. 434.*

Sæcul. XVI. A. C. 1575.

urgeret, paci proludebatur pactis quibusdam conditionibus, quarum præcipuæ erant sequentes. I. Ipsi Legati Principum, qui pacis interpretes erunt, locum, quem vellent, extra Reipublicæ territorium ad conveniendum deligant. II. Viginti obsides ab utraque parte dentur, III. totidem sint delegati, qui Legatis assideant, IV. caveatur, ut intra mensem Novembrem arbitri sententiam unam, seu plures pronuntient, ita tamen, ut hoc tempus prorogari ex partium consensu possit: nihil vero interim hostile tentetur, & utrinque copiæ dimittantur: V. ad legatorum preces gratia civibus ob gravissima etiam crimina patria pulsis impetretur, computato tempore a die prima Januarii anni supra millesimum quingentesimi septuagesimi tertii usque in hodiernam diem, ab hac autem die Nobiles omnes urbes, quas nunc obtinent, etiam imposterum possideant. VI. Sumptus utrinque in bellum factos ipsi, qui eos fecerunt, luant, nec altera pars alterius oneribus gravetur. VII. Sententiæ a legatis ferendæ stare utraque pars teneatur, & siqui inter eos impedimento essent, quo minus sententiæ pareretur, eorum nomina mox utrinque proderentur. Hæc pacta in Finarienſibus comitiis fuere firmata: poſtea

Le-

Legati Casalium, quod in Monferraten- Sæcul. XV.
si principatu Guilielmi Gonzagæ Man- A. C. 1575.
tuæ Ducis imperio obnoxium erat, ad præstitutum colloquium deligebant, quo & Delegati ab utraque parte convenerunt: dein vero dimissæ a Senatu Etruriæ Ducis copiæ, quibus Otho Montacutus præerat: Corsici vicissim milites, quos Baptista Spinola, & Georgius Auria habebant, Joannis Andreæ jussu dimissi sunt, Germanis duntaxat retentis, qui loca, quæ securitatis caussa nobilibus per conditiones retinere jus erat, tuerentur: demum de obsidibus aliquamdiu altercatum est, tandem vero dati, & intra Mediolanensem Ducatum Alexandriæ, & Finarii usque ad sententiæ pronuntiationem manere jussi sunt.

Hæc consultatio expectatione longius protrahebatur; sæpe enim prorogato compromissi tempore hoc negotium nonnisi anno sequenti ad exitum deducebatur, ubi tandem postrema manus integræ reconciliationi admota est, quapropter Senatus exules revocabat, & vicissim arces, ac munitiones, quæ belli tempore occupatæ fuerant, Nobiles restituerunt: dein decima Martii die pacis articuli post sacrum celebratum ante majus Casalensis Urbis templum pegmate ad id exstructo recitati sunt.

Sæcul. XVI. A. C. 1575.

Postea hujus concordiæ leges promulgabantur, quibus alia capita de constituendo Rotæ tribunali addita sunt: peracto igitur gravi hoc negotio, Legatisque secedentibus Respublica majori tranquillitate frui cæperat, atque ad omnes Principes, quorum operæ publicam ditionis suæ quietem in acceptis referebat, quosdam ablegabat Deputatos, qui pro utili eorum officio grates rependerent: hinc missus erat Lucas Fornarius ad Papam, qui plus ceteris ad restaurandam pacem conferebat, ad Cæsarem vero ablegabatur Nicolaus Spinola, & Joannes Baptista Lascarus ad Philippum II. qui cum eo pariter de revocatis pensionibus ageret, eoquod earum suppressione non modo Genuensium, sed etiam aliarum plurium Italiæ urbium, atque adeo sparsim in tota ferme Europa Institorum rationes adeo turbabantur, ut plura commercia penitus interirent.

§. XXX.

Henrici III. Franciæ Regis inauguratio, atque connubium.

Thuan. l. 60. Mezeray abrege chron. t. 5. pag. 223. Mem. pour

Postea Henricus III. Franciæ Rex novum Regnum, quod ei obtigerat, possidere unice intentus sub idem ferme tempus Lugduno Rhemos contendit, ubi etiam die decima tertia Februarii

bruarii inauguratus est: altera autem die nuptias celebrabat cum Aloysia Lotharingia Nicolai Lotharingii Mercuriani Ducis Valdemontii Comitis, & Margaritæ Egmontiæ primæ suæ conjugis Filia natu majori, cui Rex feria tertia die decima quinta ejusdem Mensis Februarii in Ecclesia Rhemensi sacro ritu copulata est. Sæcul. XVI. A.C.1575.

servir a l'hist. de France t. 1. pag. 51.

§. XXXI.

Insolita hujus Regis pietas.

Die vigesima Februarii Rex cum nova hac Regina ex præfata urbe discedens ad sancti Maclovii oppidum pervenit, ubi unacum suo Eleemosynario novemdialem devotionem instituebat, quippe totum vitæ suæ tempus inter externa pietatis exercitia, & delitias partiebatur, ferme nunquam Regni sui negotiis intentus: eadem igitur ratione currentem hunc annum impendebat, ac ipsus solemnes publicationes dirigens sacras reliquias in regio Sacello asservatas circumferri jussit, manuque sua grande rosarium tenens cunctos Aulicos unacum omnibus urbis Sodalitatibus interesse voluit, in Ecclesiis vero exigua oratoria construi præcepit, ad quæ ipsemet nullo ferme vestium ornatu conspicuus singulis diebus accesserat, ibidemque preces suas

Journal de Henrici III. anno 1720. tom. 1. p. 7. 11. & 15.

Sæcul. XVI. A.C 1575.

fundens eleemosynas elargiebatur: cum autem vera Christi Crux, quæ in Ecclesia *Sacrum Sacellum* dicta asservabatur, die decima Maji noctu furto fuisset ablata, Rex in omnibus Parisinæ urbis Parochiis e suggestu promulgari jussit, quod ipsus crucem ablatæ haud absimilem confici curarit, eidemque ingens ex vera Salvatoris nostri Cruce frustum inseri curarit, ut populus pro more suo pietatis obsequia eidem deferre valeret. Ceterum observandum venit, quod Regina Mater sacrilegæ hujus rapinæ conscia crederetur, perinde acsi hasce reliquias in Italiam pro ingenti pecuniarum summa, quam mutuo accipere parabat, pignoris loco mittere voluisset. Rex anni sacri per Gregorium XIII. promulgati tempore per Parisiensis Urbis plateas nonnisi duobus, vel tribus Aulicis stipatus pedes incedebat, ac prægrande rosarium manu tenens quasdam recitabat orationes, ad ejusmodi pietatis exercitia a sua Matre admonitus, eo fine, ut populus ipsum piis operibus oppido addictum putaret: verum hac ipsa agendi ratione eo magis a suis Aulicis, subditis, universaque Europa vilipendebatur, quo imprudentius existimabat, quod sub hoc pietatis obtentu sese voluptatibus impune mancipare,

ac

ac potissimam noctis partem pilæ ludo, ac conviviis absumere, vitamque inter pœnitentiæ, & libidinis exercitia inepta prorsus vicissitudine transigere posset. Sæcul. XVI. A.C.1575.

§. XXXII.

Protestantium, & Politicorum Deputati ad Aulam delati.

Vix Aula Parisios fuerat delata, cum illico ex Protestantium, & Politicorum factione novem adventarent Deputati, quibus Rex cum Condæo Principe Basileæ circa pacis negotium conferendi veniam dederat: hi igitur die vigesima Martii Basilea profecti, præfatique Principis mandatis instructi die sexta Aprilis ad Aulam pervenerant, quibus suam operam Tribuum Helveticarum, nec non Angliæ Reginæ Oratores jungebant, ut unaomnes Regem eo inducerent, quatenus illos benigne exciperet, ac Protestantium propositiones, quas ipsi ad propriam suam securitatem necessarias censebant, admittere vellet. *Thu. l. 60. Avila hist. des guerres civil.*

§. XXXIII.

Horum postulata, ac colloquium cum Rege.

Quarto post adventum die hi Deputati a Rege coram Regina Matre, Navarræ *Avila & Thu. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

varræ Rege, Alenſonio Duce, Borbonio Cardinale, aliisque Proceribus auditi ſunt, ubi cum Dovetus Arenius ceterorum nomine perorans, inter alia Principis Condæi, ac Sociorum paratum ad omnia obſequium Regi officioſe deprædicaſſet, tantumque, ut conſcientiarum libertati, atque ipſorum dignitati, & publicæ tranquillitati idonee caveretur, demiſſe petiiſſet, Rex ad ea perbenigne reſpondit, & ſuam jam ab initio, ex quo regnum adiit, mentem fuiſſe teſtatus eſt, ut omnes Proteſtantes æque, ac ceteros ſuos ſubditos apertis ulnis obvia humanitate complecteretur, eisque, dummodo ſibi non tantum lingua, ſed re fidi eſſent, æquitatis ſuæ beneficium cunctis ſuæ ditioni ſubditis impertiretur.

La Popel. l. 39. Spond. hoc ann. n. 6.

His dictis Deputati ſuum libellum ſupplicem octoginta, & uno articulis comprehenſum porrigebant, quem Bernardus Fixa, qui ſecretiori Senatui ab epiſtolis erat, in pleno conſilio prælegit, prius tamen Deputati ad anterius cubile recedere jubebantur: porro iidem Proteſtantes petebant I. In omnibus locis per totum regnum ſuam ſectam publice, & abſque ulla modificatione, vel reſtrictione profitendi libertas eis concedatur. II. Senatus, Præſidiales Curiæ, aliaque tribunalia erigantur,

tur æque ex Catholicis, quam Calvi- Sæcul XVI.
niſtis. III. In Auctores cædis in feſto A.C.1575.
Bartholomæi perpetratæ inquiratur, atque illi, qui Regi, ac Reginæ ad tam deteſtandum facinus auctores exſtiterant, ignis ſupplicio caſtigentur. III. Priſtinæ famæ reſtituantur illi, qui ob religionem mortis pæna fuere affecti, ac præcipue inter illos Colinius maris Præfectus, Montgomerius Comes, Briquemaldus, & Cavannius, eorumque liberi ad dignitates rurſus idonei declarentur, adjecta facultate ſua bona denuo poſſidendi. IV. Omnes, qui ob religionem regno exceſſerunt, revocentur. V. Ducenta aureorum millia ad ſolvendum Colinii æs alienum pendantur. VI. Arauſionenſi Principi ſua ditio reſtituatur. VII. Rex ſuam operam apud Sabaudiæ Ducem impendat, ut Proteſtantes ibidem ſuam ſectam profitendi libertatem acquirant, imo ipſum etiam Papam eo adigat, ut is Proteſtantibus eandem facultatem in Avenionenſi Comitatu concedat. VIII. Eadem regia ſua Majeſtas Condæum Principem, Damvillam Ducem, Thorem, & Merum, ceterosque eorum fautores tanquam pios, fidelesque ſervos ſuos recipiat. IX. Montmorentio, & Coſſæo Mareſcallis libertas reddatur. X. Generalia regni comitia celebrentur.

XI.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

XI. Vectigalia, ac tributa ad eundem ſtatum, quo regnante Ludovico XII. in Galliis erant, reducantur. XII. Severe Atheiſtæ, & Blaſphemi puniantur. XIII. Edicta contra enormes impudicitias, quæ iram Dei in Gallos provocant, priſtinæ ſuæ firmitati reddantur. XIV. Denique Retius Mareſcallus, ac Biragus Cancellarius circa negotia ad Calviniſtas ſpectantia a Senatu excludantur.

§. XXXIV.

Regis reſponſum ad Deputatorum poſtulata.

Thu. l. 60. Tandem cum regius Senatus per quindecim omnino dies circa hoſce articulos altercaretur, Rex hoc in reſponſis dabat: „Proteſtantibus octo urbes „in Septimania, ſex in Aquitania ſub „hoc numero comprehenſis Rupella, & „Montalbano, duas in Delphinatu pu„blicæ profeſſionis, & ſecuritatis cauſ„ſa concedere paratus ſum, dummodo „ceteras, quas nunc tenent, mihi reſti„tuant in eo ſtatu, quo ante ultimum „bellum erant: quatuor item novos Se„natores ex Proteſtantium numero crea„tos ad ſexdecim jam conſtitutos judi„ces adjicere volo, qui de cauſſis ipſo„rum cognoſcant: inſuper Monpelii æ„qualem judicum numerum conſtituere „haud

„haud detrecto, facultate ipsis data, ut „in quibuscunque Regni Curiis quatuor „consiliarios rejicere possint, non expres„sis rejectionum caussis. „ Ceterum cum Delegati ea, quæ proposita fuerant, hujusmodi esse dicerent, ut in iis haud quaquam plene satisfieri Condæo, & fœderatis posset, hinc postridie alterum scriptum prolatum est, quo Rex declarabat, quod velit, ac præcipiat, ut Protestantibus ubique locorum in regno libere, & secure esse, ac degere liceat, nec ulla vis ipsorum conscientiis afferri, aut periculum creari ob Religionem posset, si modo pacate, ac modeste juxta edictorum leges se contineant, præterea libera conveniendi in omnibus locis, quæ tenent, potestas ipsis fiebat, exceptis Monpelio, Castris, Aquismortuis, & Belloquadro: insuper Rex eisdem concessit, ut idem juris sit nobilibus, qui summum imperium in suis jurisdictionibus habent: qui vero tantum mediam, vel infimam jurisdictionem habent, cum familia sola convenire possint, dummodo id non intra urbes, aut in earum suburbiis, aut decem a Lutetia, duabusve ab Aula leucis fieret: cum autem, ne sicquidem delegatis satisfieret, hi amplius deliberandi, & ad suos referendi tempus petebant, tandem autem obtenta redeundi

Sæcul. XVI. A. C. 1575

deundi facultate eisdem spondebatur, ipsorum causſam illis etiam absentibus strenue urgendam fore, adeo, ut illis redeuntibus nilnisi utriusque partis subscriptio desiderari valeat: ex illis autem duo duntaxat in Aula detinebantur, ne hujus concordiæ negotium penitus dissolutum videatur.

§. XXXV.

Horum Deputatorum adventus ad Rupellensem urbem, necnon eorum relatio.

Thu. l. c.

Postea Delegati Rupellas reversi coacto ad Beati Ivonis oppidum consilio ibidem auditi sunt, ubi mandatis, quæ a Rege acceperant, expositis plures ad pacem ineundam inclinabant, alii vero, quorum major erat numerus, dissentiebant, causſati, hoc concordiæ negotio ipsis illudi, eo fine, ut ipsi propterea securius agentes neglectis belli consiliis facilius opprimi possent: hinc arma ponere dissuadebant: cum autem sic suam quisque sententiam propugnaret, Franciscus Lanojus unacum Roano Vicecomite advenit, moxque consessum accedens dilaudata Regis ad pacem propensi voluntate inquiebat: „ego „ipsus semper quidem quieta consilia „turbidis præfero, vos tamen moneo, „ut in hoc negotio haud præcipites sitis,

„de

„de pace igitur nonnisi admodum sobrie „loquimini, ne nimio pacis studio in „belli, ex quo extricare vos postea ne„queatis, necessitatem imprudenter in„cidatis.„ His verbis ad tempus animorum æstus fuere repressi, fama tamen de iis in aulam perlata missus est ex Reginæ consilio Renatus Tornamina Hunaldæus Armoricæ Dominus, qui egregiæ erga ipsos Regis voluntatis speciatim fidem faceret, peteretque, ut seorsim cum Rege pacem inirent; quam in rem eis exponebat, haud necesse esse, ut ceterarum Provinciarum consensum expeterent, eoquod non nisi de privato eorum commodo ageretur, nec dubitandum ajebat, quin Rex jamjam nimium liberalis fuerit, adeo, ut timendum esset, ne fors sua promissa revocaret, si ei ad illud ansa præberetur. Sæcul. XVI. A.C.1575.

Itaque Rupellenses Hunaldæum eo majori cum attentione excipiebant, quo magis proficua ipsis videbantur Aulæ promissa: potioris tamen partis sententia eo abibat, ut sociis haud prius consultis nihil hac in re decidatur, eoquod de negotio omnibus communi ageretur: hinc Deputati ad Damvillam Occidaniæ Gubernatorem mittebantur, illius quoque sententiam exploraturi.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XXXVI.

Montbrunius a Catholicis captus, & supplicio affectus.

Thu. l. 60. Avila l. 6. Matthieu l. 7. Chories hist. du Dauph.

Sub idem tempus Montbrunius in Occidania a Catholicis capiebatur. Hic ex spuriis reformatis primus erat, qui rebellionis vexillum in regno erigere præsumebat, ac Henrico III. anno priori Liberonensi obsidioni intento, ipse copiis suis, ut Regis impedimenta exspoliarent, præcipiebat, cum vero eidem exprobraretur, quod se esse Regis subditum immemor videretur, respondit: „in bello, atque in lusu omnes æ„quales sumus.„ Ceterum cum captus esset, Aulicorum jussu sollicite custodiebatur, illumque Rex Gratianopolin abduci jussit, ut hujus urbis Curia in eum judicii acta instrueret.

Equidem Condæus Princeps, Damvilla, omnesque Protestantes impense pro hujus Viri liberatione instabant, imo ipse etiam Guisius Dux summis precibus illum redimi, ac commutari volebat cum Bemio Colinii Architalassi Sicario, qui ex Hispania, quo a Guisio Duce missus fuerat, redux prope Jarnacum in Engolismensi agro a Bouttevillano præsidio captus fuerat: attamen horum omnium sollicitationes suo successu frustrabantur, quippe Montbrunius

nius die vigesima nona Julii Gratianopolim abstractus ad mortis supplicium damnabatur, quæ etiam sententia die duodecima Augusti executioni data est, licet ejus fama anno sequenti pristinis honoribus restituta, ac judicii acta tanquam irrita fuissent declarata: porro defuncto Montbrunio totius Protestantici exercitus imperium in Delphinatu obtinebat Franciscus Bona Diguierius, qui tum adhuc juvenis præter nobilitatis prærogativam nulla quidem dignitate præstabat, magna tamen apud suos existimatione valebat. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XXXVII.

Alensonius Dux ab aula profugus.

Eo tempore non modo Alensonii Ducis, qui Regis Frater erat, fuga, ejusque publicum scriptum, sed etiam fautorum eidem adhærentium numerus non parvos tumultus maxima cum sollicitudine sedandos augebat. Hic Princeps fugæ suæ ignominiam probe prospiciens, ut illam vindicaret, quemdam probatæ fidei Virum ad summum Pontificem ablegabat: verum illius apologia ob publica, quæ propter hunc discessum Protestantes edebant, lætitiæ signa admodum suspecta reddebatur: nihilominus Papa transmisso ad Ducem diplomate respondens, eundem ad pa- *Thu. l. 61. Avila l. 6.*

Sæcul. XVI. A.C. 1575

cem, atque ad constantem veræ religionis defensionem hortabatur, eidem exponens, quod hæc agendi ratio seditionem, ac præceps præsagiret consilium, cujus perversitas postea facile in hæresin degenerare posset. Demum Rex hujus Principis fuga non minus territus die decima sexta Septembris convocato Senatu suo deliberari voluit de mediis, quæ ad evertenda Ducis molimina, illumque rebellium manibus eripiendum adhibenda essent, ubi hac in re Reginæ Matris, Regis, & potissimorum Senatorum opinio eo abibat, ut omnis generis media pro obtinenda pace tententur, & nequidem discutiatur, an concordiæ pacta proficua, vel noxia sint: præprimis vero statuebatur, rei initium esse dandum a liberatione amborum Mareschallorum Montmorentii, & Cossæi, qui arcta custodia capti detinebantur: id quoque effectui datum: Regina vero eorum libertatem urgens præcipue intendebat, ut ad unionem inter Regem, & Alensonium Ducem restaurandam illorum opera uteretur.

§. XXXVIII.

Reginæ Matris profectio ad Alensonium Ducem.

Ita-

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Itaque ipſamet Regina Mater hanc ob rem Pictavium ad Alenſonium proficiſcitur, eamque comitabantur ambo Mareſcalli, qui ob ſingularem, qua apud Ducem pollebant, gratiam, & auctoritatem ad illum placandum ſatis idonei erant: ergo Regina Campignium Montpenſerii Ducis villam in Turoniæ finibus ſitam pervenit, quam Alenſonius Dux ineunte Menſe Octobri ibidem inviſit, ubi colloquia per integrum hunc, & mediam ſequentis Menſis partem perdurabant, dum Mareſcallus Montmorentius pacis conciliatorem agebat, totumque ſuæ gloriæ momentum in eo reponebat, ut immotum ſuum pro Rege, & patria ſtudium luculento teſtimonio comprobatum redderet: præmiſſis autem crebris altercationibus ultro, citroque habitis, cum de pacis conditionibus utrinque conſenſus haberi non poſſet, nonniſi ſemeſtres ſanciebantur induciæ, quæ a vigeſima ſecunda Novembris uſque ad vigeſimam quintam Junii diem anni ſequentis protraherentur: earum vero conditiones præcipuæ erat hæ I. utrinque ab armis, incurſionibus, & omni injuria per univerſum regnum abſtineatur. II. Rex centum ſexaginta aureorum millia Germanorum copiis a Condæo Principe conductis numerari jubeat, dummodo nec

Thuan. & Avilal. c.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

ipſæ Rhenum tranſeant, nec in regnum deſcendant. III. Interim ſecuritatis cauſſa Proteſtantibus, & Catholicis fœderatis hæ urbes Engoliſma, Niortium, Salmuria, Avaricum Biturigum, Charitæum ad Ligerim, & Mezeria ad Moſam tradantur, atque in Condæi manus conſignentur. IV. Fidem Alenſonius, ac fæderati faciant, quod tunc quamprimum induciæ expiraverint, ſive pax, ſive bellum ſequatur, urbes illas reſtituant, ad quarum cuſtodiam Rex undecies mille præſidiarios ab Alenſonio Duce deligendos, centum item nobiles, centum cataphractos ejusdem Ducis equites, & quinquaginta Helvetios, & centum ſclopetarios ad illius corporis cuſtodiam ſuis ſumptibus alat. V. Rex viciſſim copias omnes externas præter Helvetios, & Scotos cuſtodiæ corporis inſervientes dimittat, & tunc, cum utrinque arma ſimul, & urbes promiſſæ traditæ fuerint, deponantur. VI. Quia inchoatum Lutetiæ nuper de pace negotium intermiſſum fuerat, poſtremo conventum, ut Principes, Proceres, Provinciæ, & urbes fœderatæ Januario proximo delegatos ſuos cum plenis mandatis eo decernant.

Hiſce pactis Regina Mater, & Alenſonius Dux ſubſcripſerant, cum autem circa quorumdam articulorum executionem

nem

nem nonnullæ orirentur difficultates, hinc induciarum promulgatio longius differebatur; acriter enim, ac præcipue disceptabatur circa sex illas urbes, quas Duci reddere promissum fuerat, quippe Philippus Volvirius Ruffecus Engolismensis Provinciæ Præses, & Franciscus Montinius, qui Avaricum Biturigum tenebat, urbes suas Alensonio Duci restituere recusabant: Mezeria quoque civitas Principi Condæo non fuit consignata, elusis, quæ Regina iterabat, illius mandatis, vi quorum harum urbium Gubernatores hæc loca reddere jubebantur: eapropter Regina ad Ducem Filium suum reverti coacta eundem rogabat, ut oppido Joannis Angeriaci in Santonibus, & Cognaco in Engolismensi agro contentus esset, cum nec Bituricum, nec Engolismum obtinere posset: itaque Lanojus oppidum Sancti Joannis, Bussius vero Ambrosius Salmuriam, & Charitæum Alensonii nomine possessum ibat: Ludensis autem Comes Regis jussu Sangelasio Niortium tradebat: ceterum cum Condæus Princeps absens esset, de Mezeria urbe nulla omnino mentio facta est. His ita dispositis Alensonius Dux instante Regina Matre sua inducias in castris suis die vigesima secunda Decembris promulgari jussit, interim tamen

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

omnia ad bellum comparabat: porro Regina, priusquam ad aulam rediret, satis provide in Alensonii comitatu Monpensierium Ducem, & Montmorantium Marescallum reliquerat, ut ambo propensum ad pacem animum, quem Dux præseferre videbatur, ulterius foverent.

Rex vicissim induciarum tempore copiosos militum delectus haberi præcepit, ac sub idem tempus sex Helvetiorum millia conduxit, simulque Mansfeldium Comitem, Casparum Schombergium, & Christophorum Bassompetram in Germaniam ablegavit, ut hi ad Regis vexilla octo millia Germanorum equitum adducerent; attamen hi Proceres a Germanis nil obtinere poterant, nisi ea conditione, ut ipsis centum aureorum millia statim in numerata pecunia, & quadringenta quinquaginta millia tunc mox penderentur, quam primum hæ copiæ ad regni fines pervenissent.

§. XXXIX.

Parisienses petitam pecuniarum summam Regi denegantes.

Thuan. l. c. Ut Rex hanc pecuniarum summam aquireret, in urbis Prætorio generalem Ordinum conventum habuit, ducenta librarum millia mutuo sibi dari postu-

postulans: verum hac Regis petitione omnium animi vehementer commovebantur, sancitumque erat, Regi esse exponendum, quod nullo pacto ejus postulatis satisfieri posset: itaque rationes suas Regii Senatus, redituum Curiæ, Clerus, vectigalium tribunalia, omnesque Parisini nomine suo exponi fecerunt, quibus etiam Sancti Ludovici monita Filio suo data fuere adjuncta. Rex hac repulsa offensus indignationem suam nonnihil dissimulabat, Parisinos tamen objurgans eisdem reposuit, quod adhuc in regno suo subditos melius erga patriam affectos numeraret, qui præsenti necessitati succurrere parati, atque ipsum ad ferendos belli sumptus adjuturi essent: enimvero tunc peropportune accidit, ut Gonzaga Nivernii Dux opimas ditiones extra Regnum in Flandria, necnon Carolus Halvinius Pienna de illustri familia ex Pleumosiis oriundus avitum patrimonium, quod in illis locis possidebant, grandi pecunia divenderent, quam summam uterque Regi officiose mutuam dabat, acceptis in Armoricæ Ducatu ex fundis regiis pignoris loco amplis vectigalibus. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

§. XL.

Leidensis, & Duacensis Universitates erectæ.

Sæcul. XVI. A C. 1575.

Quamvis in Belgio haud major vigeret tranquillitas, quam in Francia, nihilominus Bataviæ Ordines pro liberalium artium, ac literarum incremento ſedulam impendebant operam, hinc ut liberalius bonæ educationi, ac juventutis culturæ proſpicerent, Lugduni Batavorum Univerſitatem erigebant, in qua Theologia, Jurisprudentia, Philoſophia, Medicina, linguæ, & Matheſis a Profeſſoribus traderentur, quibus etiam congrua ſtipendia ex Eccleſiaſticorum proventibus aſſignabantur. Ceterum hæc Univerſitas nonniſi ex Proteſtantibus conſtat, ex qua tamen præclari prodiere Viri, qui ſua eruditione ſibi nomen comparabant. Porro paucis ante annis Philippus II. Hiſpaniæ Rex ad impenſas Pii IV. Papæ preces pariter Duaci pro Catholicis Univerſitatem ad Lovanienſis Academiæ normam inſtituerat, hujusque erectionis diploma anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio a Pio V. fuit approbatum.

Hoc item anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto Gregorius XIII. Papa Borbonio, & Guiſio Cardinalibus facultatem conceſſerat, vi cujus Jeſuitas Pariſinæ Univerſitati aggregari ſollicitarent: igitur ea res a Borbonio Cardinale anno ſalutis noſtræ milleſimo

lesimo quingentesimo septuagesimo quinto Joanni de Rouen tum Rectori, ac postea Thomæ Scuriono ejus successori proponitur: verum ambo hanc Societatem aggregari constanter renuebant, atque omnia, quæ præfati Patres postmodum impendebant, molimina successu frustrabantur, quamvis enim hi apud Reges, & Principes plurimum gratia valerent, nihilominus Universitas pertinaciter suæ insistebat sententiæ, quin Jesuitæ unquam impetrare possent, ut tanquam Universitatis membra agnoscerentur. Sæcul. XVI. A.C.1575.

§. XLI.

Joannis Pauli ab Ecclesia Cardinalis obitus.

Ex Cardinalibus, qui hoc anno vivis eripiebantur, primus erat Joannes Paulus *ab Ecclesia* ex nobili genere Tortonæ anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo natus. Hic juvenis adhuc parente suo orbatus studiorum caussa Parisios, & Papiam contendit, ubi Doctoratus laurea decoratus in canonica, & civili Jurisprudentia tantos fecerat progressus, ut omnes Caussidicos tum Mediolani celeberrimos longe antecelleret: postea in Hispaniam profectus, Terouanæ Ducem comitabatur, ac pro illius caussa *Ciacon. in vita Pont. t. 3. p. 1034. Gabut. in vit. Pii V. Aubery vie des Card.*

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

coram Philippo II. cum tanta soliditate, atque eloquentia perorabat, ut Regis, totiusque ejus Senatus benevolentiam sibi conciliaret, qua etiam ratione sibi Mediolanensis Senatoris dignitatem procurabat, postea vero Mediolano evocatus Papiensis Præfectus nominabatur, antea tamen Romam ad Pium V. a Mediolanensi Senatu ablegatus dissidia inter Divum Carolum Borromæum, & Mediolanenses circa jurisdictionem Ecclesiasticam exorta componere jubebatur, ubi hoc negotium cum tanta summi Pontificis satisfactione explebat, ut ab eodem Papa Romæ retentus primo Protonotarius Apostolicus, dein Abbas Sancti Petri de Mulagio Vercellensis Diœcesis, & demum Signaturæ, ut vocant, justitiæ Præfectus crearetur. Tandem cum Pius V. Mense Martio anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo octavo Cardinalium Collegium augeret, ipse quoque Purpuratorum albo inscribebatur, qua dignitate clarus interfuit comitiis sacris, in quibus Gregorius XIII. in Papam eligebatur, quo etiam regnante Mense Januario Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo quinto nonnisi quinquagiuta quinque annos natus obiit, corpusque ejus in tituli sui Ecclesia terræ mandatum est.

§. XLII.

§. XLII.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Antonii Bobbæ Cardinalis extrema.

Alter erat Marcus Antonius Bobba Alberti Caſſalenſis Patritii, ac Senatoris Filius, qui a primis juventutis ſuæ annis jurisprudentiæ vacans adeo eminebat, ut a Philiberto Sabaudiæ Duce Taurinenſis Senator creatus, Principis ſui benevolentiam ſibi demereretur, atque in cunctis occaſionibus, & graviſſimis Ducatus negotiis in conſilium ab eodem vocaretur: poſtea vero ſacris initiatus, ac quibusdam Abbatiis dotatus tandem a Paulo IV. Papa Anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Auguſtæ Prætoriæ Epiſcopus creabatur: inſuper anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo a Sabaudiæ Duce Orator ad Tridentinam Synodum ablegatus fuit, atque anno Servatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo purpura Romana decoratus Cardinalibus Presbyteris tit. Sancti Sylveſtri, licet juxta nonnullorum relationem Roma abſens, accenſebatur. Ceterum Bobba ſummam animi integritatem cum prudentia prorſus eximia, quoties in difficillimis etiam negotiis ſuam ſententiam edicere cogebatur, felici nexu copulabat, & demum mutato

Ciacon. p. 955. Ughel Ital. ſacr. tom. 4. Aug. de la Chieza in hiſt. chron. Epiſ. Padem.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

to titulo suo, illoque Sanctæ Mariæ trans Tyberin assumpto, Pii V. jussu Politiano, Commendono, aliisque Cardinalibus adjungebatur, ut omnes portus, viasque publicas restaurari curaret: die autem decima septima Martii hoc anno Romæ mortalitatem exuit, ejusque corpus in Ecclesia Sanctæ Mariæ ab Angelis sepultum est, Edidit orationem ad Tridentini Concilii Patres habitam præter alia opuscula tam soluto, quam ligato sermone conscripta.

§. XLIII.

Simonis Vigorii Narbonensis Archiepiscopi fata.

La Croix du Maine Bibl. Franc. Brasseur hist Civil. & Eccles. du Comté d'Euvreux.

Ad eundem annum refertur obitus quorumdam Scriptorum Ecclesiasticorum, quos inter primus est Simon Vigor Narbonensis Archiepiscopus Ebroicis in Normania natus. Erat is Filius Raynaldi Vigorii, qui Caroli IX, & Henrici III. Medicus, necnon eorum Matris Catharinæ Mediceæ erat Archiater. Simon ex Magistris primum nactus est ipsum Parentem suum Raynaldum Vigorium, a quo illam scientiarum aviditatem hauserat, qua tam Filius, quam Pater ingens sibi nomen comparabant, postea vero Simon anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo Parisios contendebat:

ut

ut ingenium ſuum magis adhuc litera- Sæcul. XVI.
rum ubertate excolleret, percurſo au- A.C 1575.
tem ſtudii Theologici curriculo publica ſuæ ſcientiæ experimenta dedit, atque anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ad Navarricum Collegium admiſſus, eodem tempore Univerſitatis Rector renuntiabatur, quamvis nonniſi Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto Doctoratus laurea ornaretur: dein vero ſupremi in Ebroicenſi Eccleſia Pœnitentiarii dignitate auctus, atque Gabrielem le Veneur, ſeu Venatorem tum præfatæ Urbis Epiſcopum ad Tridentinam Synodum comitatus fuit, inde autem redux Ebroicenſis Pœnitentiarii munus abdicabat, Pariſiis Parochiæ ad Sanctum Paulum præpoſitus, ubi ſuis ſermonibus, ac controverſiis adverſus ſui ævi hæreticos habitis percelebrem ſe reddidit, annoque milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto cum Eſpinæo, Sureo Roſiero, Barba, & Dulbrario Miniſtellis colloquium inſtituit, & ſibi in hujus diſputationis ſocium Claudium Sanctonenſem ſelegit cum tanto ſucceſſu, ut ambo glorioſiſſimam victoriam ſatentibus ipſis hiſce hæreticis reportarent. Habentur hujus colloquii acta ipſius Vigorii ſtudio, ac cura typis impreſſa anno milleſimo quin-

Sæcul. XVI A C. 1575.

quingenteſimo ſexageſimo octavo. Poſtmodum Vigorius ſeſe dogmaticis controverſiis penitus dicare ſtatuerat, ac polemicos ſermones edidit Rotomagi, Metis, Ambiani, & Pariſiis, ubi Deus ad plurimos veræ fidei reddendos ubique ſui Miniſtri opera utebatur: tum demum evangelicis hiſce ſpoliis locupletatus Pariſinæ Eccleſiæ Theologus, ac poſtea Caroli IX. Regis Concionator eligebatur, anno autem Redemptionis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo poſt obitum Franciſci Piſani Cardinalis ad Narbonenſem Archiepiſcopatum ad ejusdem Regis preces nominabatur, ac vix inauguratus confeſtim ad ſuam Diæceſin contendit, ubi per integros ſex annos Apoſtolico muneri haud minori cum fructu, quam alibi vacabat, ac denique hoc anno die prima Novembris Carcaſſonæ obiit, ac reliquit ſuorum ſermonum typis impreſſorum ſeptem volumina, in quibus pro quadrageſima, Sanctiſſimi Sacramenti octiduo, & pro diebus Dominicis præter alias orationes etiam Evangelii explicationes continentur.

§. XLIV.

Matthiæ Flacii Illyrici interitus.

Thu. l. 61. Ex Proteſtantibus Scriptores nonnulli hoc anno defuncti numerantur, quos inter

Sæcul XVI. A.C. 1575.

inter primus est Matthias Flaccius Illyricus inter Confessionis Augustanæ Theologos facile quidem celeberrimus, sed infensissimus summorum Pontificum hostis. Hic Albonæ in Istria die tertia Martii anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo natus Venetias contendit, ibidem sub Egnacii Magisterio studiis operam daturus, confectoque Philosophiæ curriculo sese Teologicis disciplinis impendere statuit: ast ob inopiam Universitates frequentare præpeditus Religiosorum institutum amplecti decrevit, suique animi propositum cuidam Fratrum Minorum Provinciali manifestavit, a quo tamen absterritus, atque illius ævi hæresibus imbutus ex ipsius suasu in Germaniam secessit. Ceterum hic Franciscus vocabatur Baldus Lupatinus, de quo Melchior Adamus scribit, quod post viginti annorum carceres Venetiis in mare projectus fuerit. Porro Illyricus hujus miseri consilium secutus anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo nono Basileam venit, ac post aliquot mensium lapsum in Turingiam, inde vero Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo primo Wittembergam secessit, ubi se Lutheri, ac Melanchtonis Discipulum profitebatur, vitamque suam græcam, & hebraicam linguam tradendo sustentabat:

Melch. Ad. vit. Germ. Theol. p. 472.
Micræus Syntag. hist. Eccl. p. 751. 827. & seq.

Sæcul. XVI. A.C. 1575. tabat: mox autem ibidem ducta conjuge in Academia publico Professoris munere Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto auctus est; attamen Scholaribus ob belli tumultus e Saxonia auffugere compulsis Brunsvicum secessit, ubi suis lectionibus celebrem sese reddebat, pace autem restituta Wittembergam reversus pristinum obibat officium circa annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum septimum.

Sub idem tempus Illyricus Carolo V. Cæsari, qui tum suum *Interim* publici juris fecerat, sese vehementer opponebat, & quamvis a Melanchtone Magistro, suo maximis benevolentiæ, ac liberalitatis testificationibus receptus fuisset, cum illo tamen dissidia fovens semper eidem restitit: unde Magdeburgum, quæ urbs tum Cæsareo edicto proscripta erat, secedere coactus, ibidem plura edidit opera, ex quibus magis celebratur monstrum illud historiæ Ecclesiasticæ, quæ sub Centuriarum Magdeburgensium nomine in lucem prodiit, ad quod opus Illyricus potissimam operam contulit: Anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo officium in nova Jenensi Academia sibi oblatum acceptabat, ibidemque per quinque annos literas

teras tradebat, poſtea autem, cum rurſus cum Victorino Strigelio ſui Magiſterii ſocio collideretur, Ratisbonam auffugit, ubi plures adhuc libros typis vulgabat. Demum anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo cum ceteris in Brabantiam, ut ibidem Confeſſionis Auguſtanæ Eccleſias erigeret, evocabatur: aſt hiſce conventiculis mox diſſipatis Argentinam, & dein Francofordiam perexit, deſertus a ſuorum fautorum potiſſimis, qui eum Manichæorum erroribus infectum credebant, eoquod peccatum non eſſe accidens, ſed ipſam animæ noſtræ ſubſtantiam tradidiſſet, ac ſeſe omnibus immiſcuiſſet diſcordiis, quæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Defenſores exoriebantur: tandem vero anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto die undecima Martii Francofordiæ periit. Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Ceterum Vir erat eximiis animi dotibus ornatus, atque ingenii ubertate, & ſcientiarum amplitudine inſignis, ſed turbidæ, & vehementis indolis homo, unde immoderata ſua acerbitate, quam in diſputationibus exerebat, graviſſimos inter Proteſtantes tumultus concitabat, atque a Melanchtone redarguebatur, eoquod tradere non erubuiſſet, Principes ſeditionis

Sæcul. XVI. A. C. 1575.

metu in officio esse continendos. Scripsit Illyricus libros quam plurimos, ac præ ipso nullus suo ævo ex Bibliothecis, quas lustrabat, uberius compendium hausisse videtur, unde etiam collegit veterem Missam, quæ sub nomine *Missæ latinæ* Anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Argentinæ literis Christophori Mylii excusa prodiit, uti alibi memoravimus: insuper ex hisce librorum officinis plura extrahebat monumenta, quibus ad componendum suum *Catalogum Testium veritatis* utebatur, cui tamen libro Eisengreinius alium sub eodem titulo oppositit: ceterum sacræ Scripturæ clavis, quam idem Illyricus scripserat, ceteris ejusdem elucubrationibus palmam eripit.

Melancht. ep. 107. pag. 134. Guil. Bud. cent. 17.

To. XLIII. lib. CLV. §. LI. pag. 634.

§. XLV.

Henrici Bullingeri fata.

Simler in vita Bulling. Thuan. l. c. Melchior l. c.

Alter Protestantium Scriptor hoc anno vivis ereptus vocabatur Henricus Bullingerus, Tigurinus Zwinglianæ hæresis Minister Bremgardiæ exiguo oppido in Tigurini Pagi finibus sito die decima octava Julii anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo quarto natus. Is duodecimum ætatis suæ annum emensus Emericam Clivensis ditionis urbem mittebatur, ut ibidem humaniores

niores literas addiſceret, transactis autem tribus annis victum oſtiatim ex eleemoſynis, quas ante ædes cantando colligebat, ſibi quærere cogebatur; ejus enim parens, etſi congruis facultatibus dotatus eſſet, exiguam prorſus curam de ſuis prolibus habebat: poſtea Bullingerus Cartuſianorum inſtitutum profiteri paratus a ſuo fratre præpediebatur Coloniam ire juſſus, ut ibidem Philoſophicis diſciplinis nondum decimum quintum ætatis annum aſſecutus operam daret: cum autem ad hoc ſtudium exiguam admodum propenſionem ſentiret, rurſus ad humaniores literas animum adjecit, atque Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vigeſimo adverſus Theologos Scholaſticos opus nondum typis editum elucubrabat: (*) anno autem poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo Colonia profectus Melanch- Sæcul XVI. A.C.1575.

(*) En! quam egregii Pugiles, quos tamen Berolinenſis Cenſor celeberrimos illius ævi Viros appellitat, eo tempore contra doctiſſimos Colonienſes Theologos inſurrexerint: Iſti nimirum in hoc ſolo celebres, quod nequidem Theologica, ac Philoſophica ſcientia imbuti, ſed duntaxat Grammatici, ac Poetaſtri de ſe multum præſumentes ſcorium novum auro veteri opponere noverint.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

tonis, aliorumque hæreticorum libros ſedulo pervolvebat, quorum lectione jam tum ad abjiciendam Religionem Catholicam inducebatur, interea per aliquot annos in paternis ædibus commorans, anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio a quodam Ciſtercienſium Abbate ad ſuum monaſterium prope Tigurum accerſebatur, ut ibidem Theologiam traderet, ubi tamen hujus cœnobii Religioſos ad recipiendam Zwinglii reformationem inducens usque ad Annum Chriſti milleſimum quingenteſimum vigeſimum ſeptimum eodem Profeſſoris munere fungebatur: cum vero Zwinglio impenſius adhæreret, Tigurum adire, atque hujus hæreſiarchæ ſermones percipere ſtatuit, ibidemque græcum, & hebraicum idioma edoctus publice ad populum dicere cæpit, necnon Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo Bernenſi Diſputationi interfuit.

Anno ſequenti Bremgardiæ in patria ſua Reformatorum Paſtor nominatus Annam Adliſchvileram ſibi conjugem copulabat, ex qua ſex filios, ac quinque filias ſuſceperat, conjuge autem ſua peſtilentiæ morbo ſublata Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto ad ſecundas nuptias tranſire renuit, ſed duntaxat ex ſuis filiabus unam

feli-

Sæcul. XVI. A.C.1575.

selegit, quæ rei domesticæ curam haberet. Scripsit Bullingerus adversus Anabaptistas, mortuo autem Zwinglio illius officio Tiguri subrogatus est, variis in occasionibus vocatus, ut Lutheranos cum Zwinglianis concilliare satageret, semper tamen irrito successu: præterea idem calamum suum contra Lutherum stringere jubebatur; hic enim in quodam opere contra Zwinglii doctrinam circa Cœnam impotentibus furiis debacchabatur. Tandem Bullingerus anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo nono unacum Calvino, qui hanc ob rem Tigurum venerat, Formulam de conformitate doctrinæ inter Tigurinam, & Genevensem Ecclesiam consarcinabat, evoluto autem biennio librum composuit, quo ostendere nitebatur, quod Synodus Tridentina nil aliud, quam *bonam causſam*, quo nomine appellitabat hæreticorum opiniones, opprimere intenderet, ac propterea nulla habenda esset ratio sollicitationum, quibus summus Pontifex Helvetiorum Pagos invitabat, ut suos Deputatos ad hoc Concilium decernerent. Ceterum hic liber Italico duntaxat sermone prodiit, a Paulo Vergero huic linguæ redditus, ac quibusdam additionibus auctus.

Sæcul. XVI
A C 1575

Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo inter Bullingerum, & Brentium circa *Ubiquitatis* dogma diſputatio fervere cæpit, quæ plurium operum ultro, citroque vulgatorum occaſio exſtitit: cum vero illi, qui in Euchariſtiæ dogmate vocibus *ſubſtantiæ*, vel *ſubſtantialiter* utebantur, in Nationali Synodo Ruppellenſi ad annum Domini milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum primum damnati fuiſſent, Tigurini Miniſtri ſe pariter hoc anathemate perculſos rati hanc in rem literas ad Theodorum Bezam dederunt, qui tamen eis reſpondit, quod Synodus nullo pacto eos ferire intendiſſet: nihilominus Bullingerus Bezæ exponere voluit, decreti voces eſſe immutandas, ne in ſuis Eccleſiis diverſas fovere opiniones crederentur. Hæc Bullingeri epiſtola ſuo non caruit ſucceſſu; quippe anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Namauſenſis Synodus hoc decretum ad Tigurinæ Eccleſiæ beneplacitum explicabat. Obiit tandem Bullingerus hoc anno die decima ſeptima Septembris, atque in ejus laudem Joannes Stuckius funebrem ſermonem declamavit: vitæ vero ejus Hiſtoriam, quæ tamen Panegyri ſimilior eſt, Joſias Simler Tiguri-

gurinus Vir ſuo ævo celeberrimus deſcripſit. Sæcul.XVI. A.C.1575.

§. XLVI.

Continuata Renati Benedicti cauſſa.

Interea Renati Benedicti cauſſa ob Bibliorum verſionem continuo agitabatur, quia Arnaldus Doctor, ad quem ParisienſisFacultas Theologica Romam, ut memoravimus, hac de re perſcripſerat, hoc anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto die decima nona Aprilis reſponſum ſuum dabat, & ad Lugdunenſium Patrum Carmelitarum Priorem, qui Damaſcenus Epiſcopus Lugdunenſis Archiepiſcopi Suffraganeus erat, literas miſit, in quibus de Renati Benedicti arrogantia, & pertinacia querebatur. Eodem tempore ſcripſit ad Petrum le Goux ſupremum Facultatis Bidellum, eidem tradens epiſtolam Facultatis Theologicæ Deputatis conſignandam, in qua exponebat, ſe ægerrime ferre, quod Renatus Benedictus ad tantam prolapſus eſſet obſtinationem, ut a Romana Inquiſitione infamiæ labem ſibi inuri pateretur, quam tamen, ut inquiebat ipſe, facile declinare valuiſſet, ſi ſeſe Facultatis judicio ſubjeciſſet. *Argentre coll. jud. t.2. pag. 434. & ſeq.*

Sæcul. XVI. A C. 1575.

§. XLVII.

Renatus Benedictus suam versionem apologia vendicans.

Argentre pag. 435.

Renatus Benedictus cum se undique premi cerneret, prolixa apologia suam agendi rationem vindicare nitebatur, ac inter alia hæc exponebat: „nonnisi ex invidia quidam meorum „confratrum Theologiæ Doctorum adversus Biblia meo nomine edita insurrexerunt, etiamsi hæc nonnisi a Typographis omnino Catholicis impressa „regio privilegio munita sint, aliunde „etiam a Catholicis avide recepta non „sine ingenti eorum emolumento: insuper Lovanienses Doctores novum „approbarunt Testamentum in editione, quam ipsi consentiente Leodiensi „Episcopo Antverpiæ Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo „primo concinnarunt.„ His præmissis Doctores redarguebat, eoquod sese Verbi divini progressibus opponerent, hacque ratione arma subministrarent hæreticis, qui falso Ecclesiam Catholicam accusant, quod Fidelibus sacri Codicis lectionem prohibeat: his Renatus addidit: „cum autem mei intellectus rationibus diffidam, elucubrationem meam celebrioribus Parisinæ „Facultatis Doctoribus, sociis meis communi-

, municabam, qui itidem eam appro- Sæcul. XVI.
„barunt, atque octodecim ex illis suam A.C.1575.
„approbationem proprio chirographo
„firmarunt.„ Hanc apologiam Facultas unacum responso ejus Romam transmisit, moxque Gregorius XIII. Papa hoc anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto die tertia Octobris diploma transmisit, quo censuram a Facultate contra Benedictum Renatum latam confirmabat, literasque Apostolicas ad Decanum, ac Facultatis Theologicæ Parisiensis in Sorbonico Collegio Magistros dirigebat, hæc asserens: „Vidimus Biblia, quæ
„ad nos misistis a Renato Benedicto,
„tanquam ex communi latina versione
„in gallicam linguam fideliter trans-
„lata, cognovimus in iisdem perversas,
„ac pernicioſas adnotationes, vestras-
„que in illud opus accuratas, & erudi-
„tas censuras: laudamus summopere
„vestram diligentiam, ac sincerum Ca-
„tholicæ veritatis Zelum cum doctri-
„na, & charitate conjunctum: si qui-
„dem bene nostis, quantam perniciem
„afferant piis animis libri depravati,
„& præsertim divinorum eloquiorum
„perversa interpretatio: corrumpunt e-
„nim, ut inquit Apostolus, bonos mo-
„res colloquia mala: quamobrem ve-
„stram censuram comprobamus, nem-

Sæcul. XVI. A. C. 1595.

„pe in ejusmodi opere deprehendi er-
„rores, hæreſes, blasphemias, injurias-
„que intolerabiles, aliaque tum in textu,
„tum in annotationibus, additionibus,
„& præfationibus offendicula Catholi-
„corum ex hæreticis libris, & inter-
„pretationibus ſumpta, ita ut non ad
„conſolationem ſimplicium, ſed ad de-
„ſolationem potius, & ruinam perverſa
„iſta verſio ſpectare videatur: ne igi-
„tur tantum malum indies latius ſer-
„pat, & piarum animarum ſenſus pe-
„ſtifera lectura ad profanas vocum no-
„vitates abducti corrumpantur, & ex-
„cidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chri-
„ſto, hinc illa divini prophetæ voce
„admoniti aufferre offendicula de via
„populi mei, Biblia ſupradicta omnino
„prohibemus, & ab Eccleſia Catholica
„ſub anathemate rejicimus: veſtram
„vero in hanc ſanctam ſedem, obſer-
„vantiam, ſanctæque ejus fidei, Zeli,
„& poteſtatis venerationem, perpetuam-
„que pro Catholica fide pugnam, pa-
„terna, ut debemus, charitate amplecti-
„mur. „ Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die tertia Octobris anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto Pontificatus noſtri anno quarto.

Verum Renatus Benedictus huic Apoſtolico diplomati aquieſcere cunctabatur.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Parisinæ Facultatis Theologicæ conatus contra Patris Maldonati Jesuitæ sententiam de Conceptione.

Insuper alia caussa Parisiensem Facultatem Theologicam hoc anno distentam tenebat, ad quam dedit occasionem opinio, quam Joannes Maldonatus Jesuita docuit circa Conceptionem Beatissimæ Virginis, & durationem pœnarum purgantium: hic enim Religiosus anno ætatis suæ trigesimo, Christi vero millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Societatis institutum amplectebatur, postquam antea Salmanticæ sub Dominici Soto Dominicani, & Francisci Toleti Jesuitæ postea Cardinalis Magisterio sua studia absolverat, græcamque linguam, Philosophiam, & Theologiam, priusquam se Societati manciparet, tradiderat: Jesuitæ de summo hujus Viri progressu in literis edocti, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio eundem Lutetiam Parisiorum mittebant, ut ibidem in Collegio Claromontano primus e Theologis Societatis Jesu Professor esset, ubi etiam suas lectiones habuit cum tanta auditorum frequentia, ut ex omnibus Provinciis, ad quas sese

Argentre pag. 443.

sui

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

sui nominis fama extenderat, Scholares eum audituri concurrerent: dum vero Pictavium contenderat, ibidem Societatis Collegium erecturus, seque hæreticis oppositurus, Sedani in Lotharingia, & alibi cum Novatorum Ministris disputationes habuit, atque anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio Parisios reversus ibidem rursus in Scholis prælegit, ubi paulopost coram profanis Judicibus accusabatur, quod Montbrunium sancti Andreæ Præsidem, cui moribundo adstitit, sollicitaverit, ut Societatem ex asse hæredem nominaret, ideo citatus innocentiam suam testatam reddidit, unde Senatus cognita Viri probitate eundem ab accusationum calumnia vindicavit.

Verum non eadem facillitate coram Facultate Theologica suam doctrinam defendere poterat; cum enim suis Discipulis e suggestu tractatum de Incarnatione dictaret, ibidemque quæstionem de immaculata Beatæ Virginis Conceptione veluti opinionem problematicam agitaret, Parisienses Theologi vehementer in eum insurgebant, unde hic Jesuita sæpius ab Universitate citatus est, cum autem comparere renueret, totum negotium ad Petrum Gondium Parisiensem Episcopum remittebatur:

batur: præprimis vero Universitas in quodam quatuor Facultatum Conventu per Rectorem convocato accusationis libellum confecit, ibidemque questa est, quod Maldonatus insuperhabitis prudentiæ rationibus, pietatisque, & charitatis legibus novitates introducendi, fovendi schisma, atque erga Universitatis statuta contemptum inspirandi occasionem quæreret, cum sat notum esset, quod præcipue post Basileensis Concilii decretum Ecclesia Gallicana semper Beatissimam Virginem ab originalis peccati labe immunem esse senserit, ac docuerit, omnesque Galli in pia hac doctrina enutriti Beatæ Virginis Conceptionem honorare, sese obstrictos agnoscant, ac semper cum magno emolumento hunc cultum exhibuerint, nihilominus nunc Maldonatus oppositam doctrinam tradere auderet, hacque ratione schismati aditum panderet. Sæcul.XVI. A. C. 1575.

§. XLIX.

Parisiensis Episcopi sententia in favorem Maldonati.

Equidem Jacobus Ceuillines, qui tunc erat Prior Sorbonicus, & Rector Academiæ, sacram Facultatem de iis quæstionibus consulendam censuit: cum autem graviter ferret Reverendissimus Pari- *Argentre l.c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1575.

Parisiensis Episcopus Petrus Gondius, postea sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, quod sacra Facultas Theologiæ Parisiensis in Renati Benedicti versionem, quam hic idem Episcopus approbabat, insurrexerit, hinc Maldonati partes tueri statuit, illumque per suum Promotorem interrogari, ac de ejus doctrina examen institui jussit, quinimo ipsemet Episcopus illum ad quæstionem vocabat, perceptisque octo, vel novem Doctorum hanc in rem accitorum judiciis die decima septima Januarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo quinto sententiam pronuntiabat, qua Maldonatum nihil fidei contrarium docuisse, nec minimum fovisse errorem declaravit. Enimvero Maldonatus immaculatæ Conceptionis opinionem in Ecclesia tam solemniter receptam, atque ab omnibus ferme Catholicorum Scholis adoptatam non impugnabat, sed duntaxat eam non esse fidei dogma asserebat.

§. L.

Facultatis oppositio contra hanc sententiam, ejusque libellus supplex ad Senatum.

Argentre l.c. Quamprimum Facultas hanc sententiam a Parisiensi Episcopo latam fuisse

fuisse perceperat, mox ad undecimam Februarii diem apud Sorbonam comitia haberi indixit, quibus etiam Universitatis Deputati intererant, ubi decretum fuit, libellum supplicem porrigendum esse Senatui Parisiensi, ut scandalum ex Episcopi decisione ortum reprimere velit. Die tertia Junii in generalibus Universitatis comitiis apud Mathurinenses Magister Tyssart Rector questus est, quod Maldonatus scriptis, & verbo docuerit in Collegio Claromontano, animas defunctorum tantum degere, & remanere in Purgatorio per spatium decem annorum, ideo placuit Universitati rem esse remittendam ad sacram Facultatem, cum hæc quæstio esset Theologica: insuper proponebatur, libellum supplicem Senatui dandum esse, in quo contineantur errores hujus Theologi. Vicissim Maldonatus alium libellum supplicem obtulit Reverendissimo Episcopo Parisiensi, questus, violatam ab Universitate Episcopalem dignitatem, eoquod illa libros, & scripta damnare, & de doctrina judicare præsumeret. Hanc rationem Episcopus Parisiensis approbans vetuit, ne adversus Maldonatum procedatur: insuper minatus est, se laturum sententiam excommunicationis in Rectorem, & Doctores Theologos. Sæcul.XVI. A.C.1575.

§. LI.

Sæcul XVI. A.C 1575.

§. LI.

Univerſitas ab Epiſcopo excommunicata, illiusque appellatio ad Senatum.

Argentre pag 444.

Die vigeſima Junii Univerſitas apud Mathurinos conventum habuit, ut circa hanc Epiſcopi ſententiam deliberaret, ubi etiam ſtatutum fuit omnium ordinum conſenſu, provocandum eſſe ad Senatum ab Epiſcopi ſententia, eo quod hic ſua authoritate abuteretur, neque id, quod minabatur, auctoritate deſtitutus præſtare poſſet: inſuper ſtatutum fuit, Cardinalem Borbonium privilegiorum Apoſtolicorum Academiæ Conſervatorem de ea re monendum eſſe, & ex ſingulis Ordinibus quosdam nominandos, qui in hoc negotio Rectori comitatum præberent: id quoque effectui datum, ac die vigeſima ſecunda ejusdem Menſis Rector Academiæ cum ampliſſimo comitatu a Cardinale Borbonio poſtulavit opem adverſus protervos inſultus, & iniquas Epiſcopi Pariſienſis comminationes. Poſtea die ſecunda Auguſti anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto januis clauſis peroratum eſt inter Epiſcopum Pariſienſem, & Academiam, quæ appellaverat a ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo Pariſienſi, ubi dein Sena-

Senatus edicto privilegia Facultatis Theologicæ confirmata sunt, & Episcopi Parisiensis sententia nulla, & irrita declarata est, utpote lata ex injusta caussa, & contra privilegia Universitatis: porro ab illo tempore Maldonatus Parisiis Theologiam tradere cessabat, Biturícum secedens, ubi Jesuitæ jamjam Collegium possidebant: ibidem vero explanandis sacris literis operam dabat, simulque quibusdam suis operibus, quæ ad nos transmissa fuere, postremam manum admovebat: insuper in hoc suo recessu commentarium in quatuor Evangelistas, & in Prophetas minores conscripsit. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LII.

Sævissima pestis in Italia.

Hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Italia ex illis pœnis, quibus Deus justam suam vindictam exerere solet, funestissimam experiebatur; quippe sæviissima pestis Romæ anno priori initium, occasionem vero ex frequentissimo Peregrinorum, qui omni ex parte pro obtinendis anni sacri gratiis confluebant, numero sumpserat, atque intra brevissimum temporis spatium sese per totam Italiam diffuderat, tam horrenda strage, qua atrociorem nec hominum memoria re- *Spond. hoc ann. n. 1. Thuan. l. 62.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

colebat, ac primo quidem hæc contagio a Tridentina urbe Veronam, atque inde Venetias, ac demum per reliquam hujus Reipublicæ partem propagata est.

§. LIII.

Mediolanum pestilentia infectum.

Giussano vie de S. Charl. l. 4. c. 1.

Hujus pestilentiæ vis vel maxime in Mediolanensi urbe sæviebat, prout sanctus Carolus hujus civitatis Archiepiscopus prædixerat; postquam enim Monzenus Archipresbyter eidem nuntiaverat, quod in quodam pago haud procul ab urbe hominum quamplurimi subitanea morte eriperentur, sanctus Borromæus ad Jussanum Medicum reposuit: „falluntur Medici, dum febrem „acutam autumant id, quod tamen re„ipsa morbus contagiosus est: vult enim „Deus Mediolanensem populum propter „peccata sua castigare, quapropter ad „subeundas calamitates, necnon ad au„xilium cunctis, qui hac plaga affligen„tur, ferendum animus accingendus „est.„ Sub idem quoque tempus Laudensem Episcopum jamjam cum morte luctari perceperat, idcirco confestim conscenso equo opem morienti laturus accurrebat; & quantumvis illum jamjam exspirasse in itinere intelligeret, nihilominus exequiarum officio functurus

rus eo properabat, cumque ibidem e- Sæcul.XVI.
doceretur, quod peſtis violentia Me- A.C.1576.
diolanenſis urbs vexari inceperit, &
Gubernator unacum præcipuis Proce-
ribus e civitate exceſſerit, ipſe quan-
tocius illuc revertebatur, ubi plateas
innumeris pene infirmis obſeſſas repe-
riebat, qui unaomnes charitatis ſuæ
ſubſidia, opemque tanquam Filii a
Patre ſuo petebant: Carolus vero mox
ſolemnes ſupplicationes, jejunia, publi-
casque indixit preces ad placandam Dei
iram, ſeu diſponendos Diæceſanos
ſuos, ut ſeſe divinis flagellis in pœni-
tentiæ ſpiritu recipiendis ſubmitterent.

§. LIV.

Sancti Caroli Zelus, & charitas graſſante peſtilentia.

Sub idem tempus quidam Hiſpaniæ *Giuſſ. c. 2. Ripemont. in vita S. Caroli.*
Regis Miniſtri, necnon Magiſtratus
ſanctum Archipræſulem ſupplicatum
venerant, ut hujus calamitatis tempore
urbis ſuæ curam in ſe ſuſciperet, &
ſalutaribus mandatis cuncta diſponeret,
quæ ad ſiſtendum imminentis mali pro-
greſſum neceſſaria judicaverit. Hos
ſanctus Carolus perbenigne excipiens
eis pollicebatur, quod ſe, ſuam vi-
tam, bonaque cuncta in populi ſui ob-
ſequium impendere velit: illos tamen
impenſe rogabat, ut iidem ſuam quo-

Sæcul. XVI. A C. 1576.

que operam jungere, ac nullatenus, prout eorum jam plures feciſſent, urbem deſerere vellent. Poſtea animo ſuo perpendens, quod hæc peſtis flagellum ſit, quo Divina Nemeſis homines caſtigare paret, ſe tanquam omnibus totius populi peccatis obnoxium reputans a ſemetipſo publicam pœnitentiam incipere ſtatuit, unde ſingulis diebus corpus ſuum jejuniis macerans, nonniſi nuda humo cubabat, ſimulque univerſo populo tres ſolemnes ſupplicationes indicebat, ad quas pene innumeri homines concurrebant, & quamvis amicorum ſuorum quamplurimi illum ſummis precibus, ut recederet, urgerent, ſpecioſo prætextu obtendentes, ut vitam ſuam in populi ſui utilitatem diutius conſervaret, nec ſuæ diæceſis partem nondum peſte infectam neceſſaria ope deſtitueret: aſt Carolus rejectis omnibus hiſce ſuaſionibus, nonniſi illis obſecundabat conſiliis, quæ eidem illa ſuggerebat charitas, quam ipſi ſupremus Paſtorum Paſtor pro grege ſuo inſtillabat: quapropter unacum Filiis ſuis in urbe ſubſiſtens pro eorum ſalute vitam ſuam immolare conſtituit: ut vero ſuæ conſcientiæ tranquillitati conſuleret, nec quicquam temere aggrederetur, plurimos tam inſigni pietate, quam profunda eruditione clariſſimos

mos Viros hanc ob rem accersitos consultabat, illos effictim rogans, ut libere suam quisque sententiam ediceret, ac decideret, utrum ipse tanquam Mediolanensis Episcopus peste urbem suam Episcopalem depopulante, si ejus plebs gravissimis malis exposita relinqueretur, ibidem persistere, atque infirmis opem præstare teneretur, anve salva religione inde recedere posset? Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LV.

Carolus amicorum suorum discessum suadentium consilia rejiciens.

Illi viri, quos in consilium S. Carolus vocabat, decidebant, quod vitam suam non evidenti periculo exponere, sed potius eam in utilitatem suæ diœcesis, cujus Mediolanum non nisi unica pars esset, conservare teneretur, præcipue cum juxta ejus mandata infirmis abunde succurri posset, ipse vero sedulo considerare deberet, quod ejus Persona Ecclesiæ tantam afferret utilitatem, ut sibi non æque, ac cuivis alteri Episcopo de sua vita disponere integrum relinqueretur, cum juxta divinæ Providentiæ leges ad altiora selectus esse videatur. Verum hæc decisio, quantumvis iidem illam pluribus exemplis, ac testimoniis fulcire niterentur, sancti Cardinalis animum non convincebat, *Giuss. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

acriter propugnans, quod boni Paſtoris partes exigerent, ut in ejuſmodi occaſione vitam ſuam daret pro ovibus ſuis, porro id pluribus ſanctorum Patrum auctoritatibus, plurimorumque omnis ævi Epiſcoporum exemplis teſtatum reddebat: cum autem ejus amici horum facta fuiſſe perfectiſſimæ vitæ exempla, non autem vivendi præcepta reponerent, ſanctus Carolus reſpondit; enimvero ſi hoc opus perfectum eſt, & ego ad illud obſtringor, cum Epiſcopus ad acquirendam perfectionem ipſam teneatur.

Cum ergo Sanctus Archipræſul pro populi ſui ſubſidio in urbe perſiſtere decerneret, propriis quoque rebus ſuis adeo ſollicite proſpiciendum eſſe cenſuit, perinde acſi certo moriturus eſſet, quapropter teſtamenti ſui tabulas conſcripſit, ſuisque hæredibus duntaxat ea reliquit, quæ ipſis ex legum privilegio a nemine ſubtrahi poterant: de cetero autem totius reliquæ ſubſtantiæ hæredem ex aſſe majus urbis Xenodochium nominabat, atque alia bona ſuis domeſticis, variisque piis locis legabat: poſtquam igitur hac ratione de temporalibus bonis ſuis diſpoſuerat, nonniſi ſublevandis ægrotis intentus erat, hinc ſe contulit ad Sancti Gregorii Xenodochium extra urbis mænia ſitum, quod

qui-

quidam Mediolanensis Dux olim pro pestiferis erigi curabat; ibidem ergo Sanctus Borromæus infirmorum, qui tam sacro, quam profano auxilio destituti ingemiscebant, calamitates deplorans ad suæ Diæcesis valles Helvetiorum Dominio subjectas quosdam ablegabat, ut ex hisce locis nonnulli Ecclesiastici probitate insignes, necnon alii Viri charitate ferventes submitterentur, qui fratribus suis pietatis opera impendere vellent: præterea ipsos quoque Religiosos implorabat: ne vero eorum Superiores piis illorum operibus, ac zelo sese opponerent, etiam a Pontifice facultatem impetrabat, quatenus eorum ministerio absque horum Superiorum consensu uti posset. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LVI.

Continuatum Sancti Caroli studium pestiferis succurrendi.

Insuper summus Pontifex, ut omnes fideles ad opem suis fratribus in extrema hac necessitate constitutis ferendam accenderet, tam efficax diploma edidit, ut illud Sanctus Cardinalis typis imprimi, illique libro inseri jusserit, quem in hac occasione divulgabat, unacum epistola Sancti Dionysii Alexandrini ab Eusebio Cæsarienſi relata, in qua sanctus hic Præsul referebat præclara *Giussano c. 3. p. 295.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

charitatis officia, quæ Christiani illa ætate cunctis morbo contagioso afflictis reddebant. Huic epistolæ Sanctus Carolus divi Cypriani sermonem ad suum gregem pestis tempore habitum adjunxit, præter alia quædam Patrum opera, quæ ad præsentem temporis vicissitudinem congrua erant, ac ipse ad excitandam fidelium charitatem magis opportuna censebat.

Porro cum ex morbi violentia pauperum numerus indies crescceret, atque miseria ubique maxima cerneretur, tenerum sancti Archiepiscopi cor commiserationis vehementiæ haud amplius resistendo par erat, quapropter omnia, quæ habebat, vasa argentea ad monetariam mittebat officinam, ut exinde nummi in horum pauperum levamen erogandi cuderentur: cum autem ea, quæ solus præstare poterat, ad tollendas, quas innumerus ferme populus patiebatur, miserias haud sufficerent, hinc in urbe, tota Provincia, & vicinis ditionibus eleemosynas colligi jussit: unde hujus sancti Cardinalis exemplo, ac monitis quamplurimi tum Clerici, tum Laici ad rara charitatis specimina excitabantur, adeo, ut horum nonnulli eleemosynis, alii autem suo ministerio infirmis opem ferre certarent: insuper charitas, quæ sane ingeniosa erat, sancto

cto Carolo media suggesserat, quibus ex sua etiam suppellectili pauperes infirmos hyemis tempore vestiendi opportunitatem nanciscebatur; quippe omnia, quæ in suo palatio supererant, aulæa, tapetes, linteamina, portarum cortinas, detritas vestes, & lectorum peristromata in frusta discindi, ac copiose pannos coemi jussit, quos illis, qui in valetudinario erant, submini strabat, nil veritus, ne ob pauperum amorem ære alieno sese gravaret, cum potius semetipsum, si posset, vendere paratissimus esset, ut hac in re imitaretur exemplum sancti Paulini Nolani, qui idem feciisse legitur. Sæcul.XVI. A.C.1576.

§. LVII.

Sanctus Carolus pœnitentis habitu in publicis supplicationibus a se decretis incedens.

Morbi violentia omnem, quamcunque Sanctus Carolus ad præpediendos illius progressus impendit, diligentiam eludebat, ac indies magis, magisque ingravescebat: quapropter Sanctus Carolus cum Deum populo suo vehementer iratum probe intelligeret, illius vindictam publicis pœnitentiæ, contritique animi exercitiis placare satagebat, hancque in rem solemnes decernebat supplicationes, quamvis vero Magistratus ei- *Giuss. c. 4.*

Sæcul. XVI. A.C 1576.

dem grave, cui populus ob nimiam concurrentium frequentiam exponeretur, periculum ob oculos poneret, nihilominus sanctus Archipræsul nullam hujus metus rationem habens eis ita respondit: „de remediis humanis de„speratum est, nam ad castigandos Me„diolanenses Divina Nemesis hoc flagel„lo utitur, hæc igitur placanda est, fors „enim populi in unum congregati, qui „hanc sanctam sibi vim infert, precibus „flectetur Deus:„ His dictis proposuit illis exemplum Sancti Gregorii Papæ, qui in simili eventu universalem supplicationem instituit Deo tam acceptam, ut calamitas illico cessaret. Ergo his supplicationibus initium dabatur, ubi comparebat ipsemet sanctus Archiepiscopus, perinde acsi pro expiandis populi sui noxis destinata esset victima: insuper omnibus incolis in Cathedrali Ecclesia congregatis ipse sacratos cineres eorum capitibus imponebat, ubi cuncti in lacrimas dissolvebantur, dum Pastorem suum violaceo pallio indutum, nudipedem, ac grosso fune ad collum pendente ingentem Crucem cum Salvatoris nostri imagine in manibus gestare, atque in Christum assidue oculos suos lacrimis manantes convertere cernerent.

Eodem quoque lugubri apparatu, quo Sanctus eorum Præsul incedebat, pari-

pariter Canonici, Sacerdotes, ac laicorum plurimi ibidem comparebant, cunctisque ad Sancti Ambrosii Ecclesiam delatis Sanctus Borromæus conscenso suggestu ad populum suum orationem habuit, cui textum ex Jeremia Propheta Jerosolymitanam desolationem deplorante præfixit, cum eo exclamans: *Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua Domina Gentium.* Porro sanctus hic Præsul cum gravissima verborum efficacia perorabat, quin plaga, quam ex prægrandi clavo ejus pedem intime penetrante acceperat, illius fervorem imminuere posset, inde vero unacum toto supplicantium agmine revertebatur, nullumque malo remedium adhibebat, imo nequidem sibi unquem præcidi patiebatur, priusquam ceteræ supplicationes fuerant peractæ, quibus finitis suos Diæcesanos induxit, ut Sancto Sebastiano, cujus patrocinium fideles in ejusmodi calamitatibus solita pietate invocant, votum nuncuparent, ipse vero hujus Divi Ecclesiam ruinæ proximam quantocius se restauraturum promisit, reditusque assignavit, ut singulis diebus ibidem sacrum celebrari posset, ac pridie ante festam ejus diem jejunium institui, necnon argentea lypsana, in quibus nonnullæ hujus Sancti reliquiæ asservarentur, confici,

Sæcul.XVI. A.C 1576.

Jerem. thr. c. 1. v. 1.

Sæcul. XVI. A. C. 1576.

fici, ac in illius festivitate solemnem supplicationem quotannis haberi spopondit.

§. LVIII.

Sanctus Carolus omnia suæ Diœcesis loca peste infecta perlustrans.

Giuss. l. 4. c. 1.

Amplissima Sancti hujus Archipræsulis charitas, ejusque sollicitudo nequaquam intra arctiores Mediolanensis urbis limites constringi patiebatur; quippe malo nonnihil decrescente suarum partium esse arbitrabatur, ut tuto urbe egredi permissus suam Diœcesin lustrare, cunctaque loca hoc morbo infecta percurrere posset, comitantibus eum quibusdam Viris ab eo studiose selectis, præterea ubique eundem ordinem, quem Mediolani observari jusserat, introduxit, æqualique cura pauperibus, atque infirmis subveniens divites ad ferendam opem excitavit, porro hujus fervidi Pastoris præsentia eosdem infirmos recreabat, eosque ad calamitates suas cum plena in divinam voluntatem submissione sufferendas excitabat, nam hos solatio replebat, illos autem ad constantiam inflammabat, eos vero, qui morti proximi erant, ad ultimam luctam administratis Ecclesiæ Sacramentis ipsus disponebat, cumque in agris tentoria pro infirmis constructa fuissent, ibi-

ibidem Sacella erigi curavit, ut singulis diebus Sacrum celebrari posset. Denique sua sollicitudine, suisque precibus tandem exeunte anno sequenti pestis repressa est, qua lue extinctorum septendecim millia intra urbem, & octo millia in reliquis Diœceseos locis numerabantur, ex quibus viginti sex Ecclesiastici, duo Jesuitæ, totidem Barnabitæ, & decem Cappucini recensebantur: ex Monialibus autem paucæ admodum hoc malo consumptæ perierunt, eoquod Sanctus Cardinalis illas particulari sollicitudine foviisset, eisque omnia subsidia ampliſſima procurasset. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LIX.

Quarta Mediolanensis Synodus a S. Carolo celebrata.

Eodem hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto paucis ante Mensibus, priusquam pestilentia grassari cæperat, Sanctus Carolus quartam suam Synodum Mediolanensem diplomate die prima Martii edito ad decimam Maji indixit, huicque Synodo initium fecit præmissa oratione, in qua iterato Concilia convocandi necessitatem, necnon uberrima, quæ inde in Ecclesiam redundant, commoda exposuit, quatenus hac ratione mores corrigerentur, & disciplina sarta servaretur, *Labbe Collect. Conc. tom. 15. p. 410. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

varetur, juxta mentem Tridentini Concilii, quod sæpius ejusmodi Synodos haberi præcepit. Intererant huic Concilio præter Visitatorem, Apostolicum undecim Episcopi, atque universus Mediolanensis Clerus, ubi præprimis fidei professio, prout jam in prioribus Synodis factum, edebatur, atque ex adstantibus omnes eandem interposita juramenti religione firmarunt. His peractis sigillatim de statutis, & decretis agebatur, atque initium sumebatur ab iis, quæ sacras reliquias, atque imagines concernunt, ubi etiam actum est de Indulgentiis, superstitionibus, quatuor temporum lege, de formula indicendi jejunia, de feriis, in quibus ad judiciale forum aditus non pateret: insuper de festivitate Divi Ambrosii, & de Clericorum ad festorum celebritates concursu, atque de religiosis peregrinationibus decreta fuere condita, injunctumque, ut sacri hujus itineris tempore singulis diebus Missa audiatur, Ecclesiæ jejunia serventur, Eleemosynæ dentur, ac preces persolvantur, necnon colloquia duntaxat de rebus sacris instituantur, ac denique Templa pie lustrentur.

Altera pars complectitur ea hujus concilii decreta, in quibus agitur de Ecclesiarum cultu, de Sacellis, & Altari-

taribus, de sepulcris, cæmeteriis, campanis, ornamentis, & decore locorum sacrorum, necnon de profano usu a sacris locis sollicite tollendo: prohibitum insuper est, ne ibidem confabulationes instituantur: præterea statutum, ut mulieribus tam in ingressu, quam egressu ex Ecclesia loca a Viris segregata assignentur: agebatur etiam de Ecclesiarum, & Altarium consecrationibus, de parvis sacellis in via publica extructis, de orationibus vespertinis, de Verbi Divini Prædicatione, & de scolis, in quibus Christiana doctrina tradatur. Denique progrediebatur Synodus ad ea, quæ ad Sacramenta, sacrum oleum, libros Baptismales, & exorcismos spectant: postea de quolibet Sacramento sigillatim agebatur: ad hæc istud Concilium exacte discutiebat omnia, quæ ad sacramentorum administrationem, beneficiorum collationem, & provisionem, Sacrificium Missæ, Divinum Officium, supplicationes, exequias, Canonicorum distributiones, Parochias, atque ad earum iura, & officia spectant. Sæcul. XVI. A.C.1576.

Tertia demum parte exponuntur Episcoporum officia, ubi agitur etiam de vita, & honestate Clericorum, de necessitate visitationis Episcopalis, Conciliique Provincialis omni triennio cele-

Sæcul. XVI A. C. 1576.

lebrandi, necnon Diæceſanæ Synodi. Legebantur quoque plura admodum ſalutaria monita ad Clericos pro morum inſtitutione, Clericorum lectionibus, ac ſtudiis, veſtibus, & reſidentia: condebantur etiam ſtatuta de Epiſcoporum jurisdictione, foroque Eccleſiaſtico, necnon de iis, quæ Sacramenti Matrimonii celebrationem, Regulares, & Moniales, ac earum, ut vocant, locutoria, rotas, & clauſuram exacte obſervandam concernunt: actum inſuper eſt de monaſteriis, in quæ etiam mulieres ingredi prohibentur, ubi præſcribebatur modus, quo locus ad confeſſiones excipiendas deſtinatus conſtruatur: præterea decreta pro temporalium bonorum œconomia admodum ſalutaria conduntur: exponuntur quoque ea omnia, quæ ad conſervanda pia loca, Xenodochia, & fundationes conferre poſſunt: præter hæc fideles ad pauperum curam, Parochi ad illorum inſtructionem, & eleemoſynam illis erogandam, necnon ad frequentem Sacramentorum uſum illis inculcandum admonentur: denique pœnæ in eos, qui hæc decreta violare attentaverint, ſtatuuntur, & ſancitur, ut decreta valvis Cathedralis Eccleſiæ affigerentur, quatenus nullus ignorantiam obtendere valeat. Ceterum ſequens Synodus ad

diem

diem septimam Maji anni post Christum natum millesimi quingentesimi septuagesimi noni indicebatur. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LX.

Josias Simler, & Conradus Heresbachius mortui.

Sub idem ferme tempus Josias Simlerus Capellæ in Helvetiis natus anno ætatis suæ circiter quadragesimo quinto decessit. Hic Petro Martyri succedens pro Tigurinis Minister constituebatur, qui humanioribus literis excultus pariter variis Teologicis elucubrationibus contra Socinianos editis celebrem sese reddebat. *Thu. l. 62.*

Eo demortuo paulo post Conradus Heresbachius generis nobilitate, atque eruditione clarus in Clivensi Ducatu obiit, postquam septuagesimum secundum vitæ suæ annum (*) exegerat. Hic jurisprudentiæ, linquarum, & politioris literaturæ fama clarus plures Auctores profanos latine reddidit: inter Scriptores vero Ecclesiasticos numerari meretur ob suum commentarium in Davidis Psalmos a doctis commendatum.

§. LXI.

(*) Thuanus illum anno ætatis suæ sexagesimo septimo mortuum asserit.

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LXI.

Quintum concordiæ edictum in Calviniſtarum favorem.

Recueil de tout ce qui s'eſt fait pour & contre les Proteſtants par le Fevre p. 28.

Interea Calviniſtarum factio magis, quam unquam, in Galliis numero, & potentia creſcebat, cumque timendum eſſet, ne tunc, ſi eorum poſtulatis reſiſteretur, ipſi occaſione inde quæſita novos tumultus excitarent, hinc rurſus hoc anno quintum concordiæ edictum in eorum favorem edebatur, quod ſexaginta tres articulos complectitur: porro in eo Franciæ Rex regni ſui Calviniſtis ſectam ſuam in omnibus urbibus, pagis, & Franciæ villis profitendi, atque ibidem fana erigendi integram conceſſit libertatem, excepit tamen Pariſinam urbem, ceteraque loca intra duas leucas huic civitati vicina. Eodem edicto Rex hoſce hæreticos ſuis bonis, & dignitatibus reſtituit, ſimul pollicitus, quod intra ſemeſtre regni Ordines Bleſis congregare, ſuorumque ſubditorum querelas excipere, ac regni neceſſitatibus eo ſecurius proſpicere velit: inſuper prohibuit, ne Sacerdotes, & Monachi, qui uxores duxerunt, propterea moleſtentur, quinimo eorum etiam proles ex ſacrilegis ejuſmodi nuptiis ſuſceptas declarabat legitimas, atque ad bonorum, rerumque partarum ſuc-

successionem idoneas. Denique eis concessit Curias utrinque divisas in quolibet Senatu, ita, ut illarum judices partim ex Catholicis, partim ex Calvinistis seligantur, qui de horum hæreticorum caussis cognoscerent: præterea ad plenam hujus pacti securitatem Rex plura oppida in Occidania, Aquitania, Delphinatu, Alverniis, & in Provincia eis assignabat, ea tamen lege, ut Andegavensis Dux, Navarræ Rex, Condæus Princeps, & Damvillæ Dux, quibus præfatæ urbes redderentur, idonee caveant.

Adhæc Rex in hoc edicto declarabat, quod cædis in die Sancti Bartholomæi perpetratæ nequaquam conscius fuisset, ac nonnisi cum summo animi dolore eam percepisset, simulque prohiberet, ne Carnutensis Vicedominus, ac Bellovacensis ob fœdera cum Angliæ Regina inita molestentur: concessit etiam Rex Arausionensi Principi omnia sua bona, ac prædia, quæ in Galliis habebat, rursus possidendi facultatem, pariterque omnes sententias in Molam, Coconasum, & Joannem de la Haye Pictaviensem Prætorem latas declarabat irritas, nullasque, eorum vero memoriam pristinæ existimationi reddebat, atque illorum hæredibus istorum bona recuperandi veniam largie-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

batur, eandemque gratiam Colinio maris Præfecto, Briquemaldo, Cavanio, Montgomerio Comiti, & Puteo Montbrunio impertiebatur. Denique Calviniſtis permittebat, ut Conſiſtoria, & Synodos habere poſſent, ea tamen conditione, vi cujus regius quidam Miniſter illis intereſſet, prout etiam prohibebat, ne intra regnum ullus liber, niſi prius a loci Miniſtris ſedulo examinatus divenderetur, aut libelli famoſi typis vulgarentur: præcipue autem articulo decimo ſexto ſancitum, ut in omnibus publicis monumentis, & diplomatibus, ubi de Calviniſtarum hæreſi mentio fieret, ſemper ea vocaretur prætenſa religio reformata. Tandem in capite decimo iidem Calviniſtæ obſtringuntur, ut in matrimoniis contrahendis circa conſanguinitatis, vel affinitatis gradus Eccleſiaſticas leges obſervarent.

§. LXII.

Initium Ligæ, ſeu ſancti fœderis.

Thu. l. 63. Avila l. 6. Maimb. hiſt. de la ligue l. 1.

Hoc edictum, eo quod Calviniſtis longe magis, quam priora omnia, faveret, non parum irritabat Catholicos, inter quos magis fervidi in variis locis fœdera inire ſatagebant, obtendentes, quod veram religionem contra ejus inimicos tueri vellent; jam enim dudum de ejuſmodi fœderibus agebatur,

Sæcul. XVI. A.C.1576.

tur, ut hæresis progressus sisti, ac præpediri possent, ne religio Catholica Sectariorum molitionibus, ac violentiis succumberet: eapropter Lotharingius Cardinalis in Tridentina Synodo præsens præcipuis sacri hujus consessus Patribus, aut per eos ipsi summo Pontifici exponebat, quod ad religionem contra hæreticorum impetus conservandam nullum securius esset medium, quam armorum societas, cui omnes Principes, & Proceres fidei Catholicæ addicti, ac præcipue Hispaniæ Rex nomen darent. His quoque addidit, necesse esse, ut Papa hujus fœderis Protectorem sese declararet, illiusque Ducem seligeret, cui ceteri omnes Catholici morem gerere tenerentur. Placuit hoc consilium, atque in fœderis Principem Guisius Dux Lotharingii Cardinalis Frater destinabatur, eo tempore, quo illum ab hæreticis trucidatum fuisse nuntiabatur: nec tamen propterea Cardinalis a suo proposito destitit, sed undecim, aut duodecim annis supersedit, usquedum juvenis Guisius Dux Henricus ejus Nepos consilium exequendo par evaderet. Tum eandem rem summo Pontifici, atque Hispaniarum Regi exposuit, qui unaomnes variis licet rationibus permoti huic fœderi accesserunt; quippe Papa religionem

Sæcul. XVI. A.C. 1576. Catholicam tuendi, hæreſesque extirpandi deſiderio, Hiſpaniæ vero Rex belli tumultus, qui ex hoc fœdere in Galliis orirentur, in rem ſuam vertendi ſtudio ad amplectendum hoc conſilium adigebatur: interea vero Lotharingius Cardinalis vivis eripiebatur.

§. LXIII.

Pariſienſes præ ceteris primi huic fœderi adhærentes.

Thu. l. 63. Hoc conſilium executurus juvenis Guiſius Dux factionem ſibi conciliare nitebatur, cujus potentia fretus potiſſimam Galliarum partem ſubjicere poſſet, porro cum nuperum edictum a Rege promulgatum ad inchoandum hoc fœdus opportunam occaſionem ſuppeditare crederet, ſeque illius caput nominandum ſperaret, hinc per ſuos emiſſarios populis exponebat, quod poſtrema hæc concordiæ pacta nequaquam ferenda ſint, ac proin adverſus ea conqueri debeant, eorumque querelas virium potentia, atque auctoritatis pondere ſuffultum iri ſciant. Eadem hæc rationum momenta præprimis Pariſienſibus proponebantur in quodam ferventi colloquio, quod quidam Unguentarius nomine Petrus Bruyerus habebat, ipſe enim, ejusque Filius Matthæus Curiæ criminalis Conſiliarius præ ceteris primi

mi hoc fœdus promulgabant: poſtea vero præter quamplurimos licentioris vitæ homines, etiam plures, iique prædivites cives, minus puro veræ religionis ſtudio accenſi ſeſe hiſce ſeditioſis adjungebant, cumque ex illis unus, qui ceteris magis teneræ erat conſcientiæ, priusquam huic ſocietati nomen daret, tempus deliberandi peteret, ac Thuanum primarium Præſidem in conſilium vocaret, hic ejuſmodi rem damnabat, civesque, ut reſilirent, hortabatur: quapropter illius executio aliquamdiu differebatur. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LXIV.

Fœdus in Picardia amplo ſucceſſu glorioſum.

Guiſius Dux juncta Cenomanenſis Ducis, & Guiſii Cardinalis Fratrum ſuorum opera in Provinciis rem urgere ſatagebat, atque inter ceteras præcipue in Picardia hæc armorum ſocietas ampliores fecerat progreſſus, quorum autem cauſſas huc recenſere lubet; quippe inter ſecretos nuperæ pacificationis articulos Rex Condæo Principi promiſerat, ut non modo Picardiæ regimine integre frueretur, ſed inſuper Peronam urbem præſidio regiis ſumptibus alendo firmatam tanquam ſecuritatis aſylum teneret, ut ergo hic Princeps hanc *Thuan. & Avila l. c. Memb. l. 2.*

Sæcul. XVI A.C 1576.

Præfecturam obtinere præpediretur, neceſſe erat, quatenus Pricardina Provincia huic fœderi adjungeretur, ſimulque Peronnæ Gubernator, qui urbem nondum ceſſerat, ad fœderatorum ſtudia pertraheretur. Tunc temporis huic urbi præerat jacobus Humerius, qui tribus urbibus Peronnenſi, Rauganæ, & Monti-Deſiderii imperabat, aliunde vero Vir erat in tota Provincia non modo divitiarum abundantia, ſed etiam auctoritate præ ceteris omnibus longe celeberrimus, ac præterea Montmorentiorum, proin etiam Condæi Principis inimicus. Hic ſua liberali munificentia, ac populari prorſus morum comitate civium animos ſibi facile conciliabat, ac cum ingenti rationum efficacia eisdem exponebat, quod merito de religione timendum eſſet, niſi Condæus Princeps huic Provinciæ dominaretur, qua ratione expugnati cuncti Nobiles, omnesque Picardiæ urbes armorum ſocietati ſubſcripſerunt. Poſtea cuidam juveni Nobili nomine Haplincurtio datum eſt negotium, ut etiam Peronnenſes ad acceptandum fœdus induceret, Rege hanc unionem haud ægre ferente, eoquod hac ratione ſeſe ad ea, quæ Principi temere promiſerat, ſervanda haud amplius obſtrictum fore crederet: nihilominus Rex, ut Condæum pla-

placaret, eidem Peronnæ loco oppidum Sancti Joannis Engeriaci, & Cognacum attribuit. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LXV.

Unionis pacta a fœderatis subscripta.

Ceterum fœderis pacta, quæ fœderatis erant subscribenda, duodecim complectebantur articulos, quos tamen, cum quandoque nimis aperte Regis conniventiam redarguere viderentur, Humerius ad formam magis moderatam redigebat, quam huc adducere lubet, prout eam Historici referunt. *Maimb. p. 529. Daniel hist. de France t. 6. de l'edit. 1723. p.571.*

„In nomine Sanctissimæ Trinitatis „post participationem pretiosi Corporis „Christi Domini promisimus, & juravimus per Sancta Evangelia, vitam, „honorem, & bona nostra, quod ea, „quæ hic conventa, & a nobis subscripta sunt, sequi, ac fide nunquam violanda servare velimus, constituta pæna, vi cujus tanquam perjuri, infames, ac perpetuo tanquam viri omni „nobilitatis, & honoris prærogativa „indigni haberi, ac declarari volumus.

„I. Cum singulis probe perspecta „sint nefanda molimina, & conjurationes contra Dei honorem, sanctam „Ecclesiam Catholicam, & contra statum, atque hujus Francici Regni Mo-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„narchiam tam ab ejus subditis, quam „exteris conflatæ, notumque sit omni„bus, quod diuturnis, ac continuis bel„lis, civilibusque dissidiis Regum no„strorum potentia adeo debilitata, ipsi„que ad tam fatalem redacti sint neces„sitatem, ut ex propriis viribus sumptus „ad conservandam nostram Religionem „necessarios ferre haud amplius possint, „proin nec nosmetipsos suo præsidio, „aut nostras personas, familias, & bo„na, quorum hucusque tantam jactu„ram, & damnum passi sumus, in se„curitate conservare valeant: eapro„pter summopere necessarium juxta, ac „opportunum censuimus, ut præprimis „honorem, quem conservandæ nostræ „Religioni debemus, eidem reddamus, „nosque illius tuendæ longe ferventius „studium exeramus, ac reipsa illi a ve„ra Religione devii pro novarum, fal„sarumque opinionum suarum incre„mento exhibent.„

„Hanc ob rem unaomnes juramus, „ac spondemus, quod cunctas vires no„stras impendere velimus, ut exerci„tium præfatæ nostræ Religionis Ca„tholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, in „qua nos, nostrique Majores enutriti „sumus, nosque vivere, ac mori cupi„mus, salvum, sartumque maneat, ac „redintegretur.„

„Præ-

„Præterea omnem obedientiam, ho- Sæcul. XVI.
„norem, ac pecdemiſſum obſequium A.C.1576.
„promittimus, & juramus Henrico
„Regi nunc feliciter regnanti, quem
„Deus nobis ſupremum Regem, ac Prin-
cipem noſtrum ex Regni legibus ad ſce-
„ptrum vocatum conſtituit.„

„Igitur juxta ſubmiſſionem, quam
„omni jure præfato Regi noſtro Henri-
„co deferre obſtringimur, inſuper polli-
„cemur, quod omnes vias, ac media
„impendere velimus pro conſervanda
„ejus auctoritate, necnon pro exequen-
„dis ejus mandatis, quæ nobis vel ab
„ipſo, vel ejus Vicariis generalibus,
„aliisque ea poteſtate munitis tam pro
„Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, &
„Romanæ exercitio in Galliis conſer-
„vando, quam pro ſubditis rebellibus ad
„ejus obſequium, & officium redigendis
„imponentur, quin alium quemcunque
„præter ipſum Henricum, vel eos, qui ejus
„juſſu nobis præcipiunt, tanquam Prin-
„cipem noſtrum agnoſcere velimus, eo
„potiori jure, quia præfato noſtro Regi,
„ac Principi juxta innatam bonitatem,
„& prudentiam placuit omnes ſuos, ſui-
„que Regni ſubditos tam amplis bene-
„ficiis cumulare, eosque ad generalia
„omnium Regni Ordinum, & ſtatuum
„comitia advocare, ut ſuorum ſubdito-
„rum querelas excipere, piamque, ac
„falu-

Sæcul. XVI
A.C. 1576.

„ſalutarem incipere queat reformatio-
„nem abuſuum, & corruptelarum, quæ
„jamjam a longo tempore in hoc regno
„invaluere: ſperamus itaque, fore, ut
„in tam copioſo conventu ſalutaria pror-
„ſus conſilia adjuvante Deo concipia-
„mus: eapropter promittimus, ac ju-
„ramus, quod bona, vitamque no-
„ſtram profundere velimus, ut integre
„effectui dentur ea omnia, quæ in hiſ-
„ce comitiis decernenda ſunt, præci-
„pue, ac ſpeciatim ea, a quibus Reli-
„gionis Catholicæ, Apoſtolico-Roma-
„næ ſalus, & conſervatio, necnon re-
„giæ auctoritatis, ac Majeſtatis incre-
„mentum, noſtræque patriæ bonum, ac
„tranquillitas dependent, ita tamen, ut
„cuncta ſalvis avitis noſtris privilegiis,
„& libertatibus fiant: in illis enim ſem-
„per integra fide conſervari petimus.„

„Propterea nunc etiam, ut ſupra,
„unaomnes ſubſcripti promittimus, quod
„ſemper parati, ac valide armati, nec-
„non juxta ſtatus noſtri conditionem ſti-
„pati eſſe velimus, ut quamprimum re-
„quiſiti fuerimus, exequi valeamus illa
„omnia, quæ vel Rex ſupremus Prin-
„ceps noſter, vel ejus Vicarii, vel alii
„illius auctoritate, & poteſtate muniti
„injunxerint, ut noſtram Provinciam
„ſartam ſervemus, atque etiam alior-
„ſum, ſi opus foret, contendamus pro
„con-

„conſervanda præſata Religione noſtra, Sæcul. XVI.
„& regiæ Majeſtatis ſuæ obſequio, quin A.C. 1576.
„in Nobilium arbitrio, aut poteſtate
„relictum ſit aliorum ſtudiis ſeſe ad-
„dicere, vel ſub aliorum vexillis ſti-
„pendia mereri, quam ſub Ducis ſui,
„vel Prætoris, in cujus Præfectura e-
„runt, ſignis militare, niſi ad id
„veniam, & licentiam daret Rex, vel
„ejus Vicarius, aut præfatæ ſocietatis
„noſtræ Dux nomine Humerius, cui
„nos omnem honorem, atque obedien-
„tiam præſtare pollicemur, ad ejus ta-
„men Senatum ſex ex præcipuis Pro-
„vinciæ Proceribus, aliique viri de-
„bitis dotibus, ac integra fide conſpi-
„cui vocantur, ut juxta eorum conſi-
„lia præfatorum articulorum execu-
„tioni, ſumptibus, alimento, atque
„hanc in rem neceſſariis ſumptibus jux-
„ta patriæ facultates proſpici valeat,
„quam in rem quatuor militum vexilla,
„equites valide armatos, equisque pro-
„be inſtructos, necnon undecim pedi-
„tum ſigna nequidem numeratis cata-
„phractorum legionibus pro præfatæ
„Provinciæ conſervatiooe offerimus,
„quæ etiam copiæ, ad alias expedi-
„tionos impendi poterunt, ſi earum
„ſervitia aliorſum neceſſaria forent,
„denique cuilibet centuriæ tam e-
„queſtri, quam pedeſtri tres no-

„bilis

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„nobiles illius patriæ Viri animo, atque „experientia clari præerunt, qui ta„men a regio Vicario, vel ab eo, cui „unum ex his seligendi, ac designandi „potestatem Rex concesserit, nomina„buntur. „

„Porro cum ejusmodi delectus abs„que magnis expensis, ac sumptibus „fieri nequeant, æquitas vero maxima „postulat, ut in ejusmodi necessitate „quivis omnes, quas poterit, vires im„pendat, hinc necessariæ, ac congruæ „pecuniarum summæ ab hujus patriæ „subditis colligentur, eisque imperen„tur, consentiente tamen Regio Vica„rio, vel alio, cui hæc potestas a Rege „commissa est: præterea Regi supplice„tur, ut is hoc auctoritate sua confir„mare, legitimumque reddere velit, „cum pro tam utili, ac necessaria caus„sa, qualis reipsa est ipsum Dei, ac „regiæ Majestatis obsequium, ejusmodi „exactio fiat, interim in hac pecunia„rum exactione nequaquam Nobiles „comprehendantur, eoquod hi vel mi„litum, equorum, aut armorum sup„petiis, prout unicuique per fœderis „Ducem, vel alium ab ipso Deputatum „fuerit injunctum, personale obsequium „præstare cogantur: ut autem horum „sumptuum executio magis expedita „reddatur, in qualibet Præfectura, vel „præ-

„præfatæ regionis prædio unus, aut „duo Nobiles, vel alii dexteritate, & „probata fide conſpicui deputentur, qui „de mediis conſulant, ac ſpeciatim „quid neceſſario requiratur, ſtatim mo- „neant, ut poſtea referri, necnon ſignifi- „cari valeat iis, quibus hæc cura, vel „a Gubernatore, vel præfatæ regionis „Vicario nomine Regis, aut alterius „ab eo oteſtatem habentis demandata „eſt. „ Sæcul. XVI. A.C.1576

„Si vero ex præfatis Provinciæ „Catholicis quisquam, poſtquam huic „ſocietati accedere requiſitus fuerit, „cunctari, ac tergiverſari præſumeret, „cum hoc fœdus nonniſi ad Dei hono- „rem, Regis obſequium, ac patriæ bo- „num, & tranquillitatem ſit erectum, „ejusmodi Catholici in quavis Regione „tanquam Dei hoſtes, Religionis ſuæ „deſertores, Regi ſuo rebelles, ac pa- „triæ proditores habebuntur, atque „communi omnium conſenſu, & om- „nium proborum opera a cunctis de- „ſerti, omnibusque injuriis, & oppreſ- „ſionibus, quæ ipſis inferri poterunt, „expoſiti remanebunt, quin unquam „ad fœdus, amicitiam, & fœderatorum „ſocietatem admitti valeant, cum in- „terim omnes fœderati, atque aſſociati „mutuam inter ſe amicitiam, & con- „cordiam pro conſervanda Religione,

„patria

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„patria, ſuis perſonis, bonis, ac fa„miliis ſpondeant.„

„Inſuper promittimus, quod mu„tuo nosmetipſos ſub regiæ Majeſta„tis ſuæ obedientia, & auctoritate in „omni ſecuritate, ac quiete fovere ve„limus, nosque præmunire, ac defen„dere adverſus quasvis alterius vexa„tiones: ſiquod vero diſſidium, vel „querela inter nos oriatur, ejusmodi „cauſſa a generali Regis Vicario, vel „ab eo, quem Rex nominaverit, de„cidatur, hic vero juxta ſuum arbitrium „ex regiæ Majeſtatis auctoritate id om„ne executioni dari curabit, quidquid „bonum, & æquum ad utriusque par„tis reconciliationem ipſi videbitur: ſi „vero ad exequenda noſtra conſilia pro „Regis obſequio, & patriæ bono, ac „quiete neceſſarium erit cum vicinis „Provinciis commercium fovere, pro„mittimus, quod illis omnem opem præ„ſtare, easque pro viribus noſtris ad„juvare velimus, quamprimum id a „præfato Regis Vicario, vel alio ejus„dem facultate munito nobis deman„datum fuerit.„

„Spondemus etiam, quod omnes „noſtras vires, ac facultates impende„re velimus, ut ſtatus Eccleſiaſticus „ab omni vexatione, atque injuria im„munis ſervetur, ac protegatur: ſi ve„ro

„ro vel via facti, vel alio modo quispiam „Clericis vel in eorum bonis, aut per- „sonis damnum inferre præsumeret, „pollicemur, quod ei nos opponere, „illosque veluti nobiscum ad divini ho- „noris defensionem, ac Religionis no- „stræ conservationem unitos, ac fœde- „ratos defendere studeamus: cum ergo „vicissim nequaquam nostra consilia eo „abeant, ut quovis pacto vexare inten- „damus illos, qui novæ sectæ adhæ- „rent, ac se ita gerere cupiunt, ut ni- „hil divino honori, Regis obsequio, „ac subditorum bono, & quieti adver- „sum moliantur, hinc illos quoque tue- „ri spondemus, ita, ut nullo modo eo- „rum conscientiis vis inferatur, aut „iidem in suis personis, bonis, honori- „bus, & familiis molestentur, dum- „modo nulla ratione iis, quæ juxta „generalium Ordinum decreta a Rege „sancita fuerint, sese opponant, aut „nulli rei præfatam Religionem Catho- „licam concernenti adversentur.„ Sæcul. XVI. A. C. 576.

„Adhæc cum hæc causa promi- „scue omnibus cujuscunque conditio- „nis hominibus, qui Religionem Ca- „tholicam profitentur, communis sit, „hinc nos subscripti ad præsentem hanc „unionem admittimus, & recipimus „omnes quavis dignitate conspicuos, „vel judiciario munere, aut judicandi

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„poteſtate præditos, atque univerſali„ter omnes ceteros plebæi Ordinis Vi„ros, ſi, ut ſupra memoravimus, Ca„tholicæ Religioni addicti ſunt: præ„terea promittimus, quod illos ab om„ni violentia, ac vexatione eorum „perſonis, ac bonis inferenda juxta „cujuslibet ſtatum, & conditionem „tueri, præſervare, atque protegere „conemur: inſuper pollicemur, ac ju„ramus, quod præfatos articulos ac„ceptare, & ſingulos obſervare, nul„lumque eorum transgredi velimus, „poſtpoſita etiam cujuscunque amicitiæ, „affinitatis, vel propinquitatis ratione, „quamvis ita conjuncti cuidam eſſemus „cujuscunque conditionis vel religionis „foret, ſi talis Regis mandata, atque edi„cta, violare, necnon hujus Regni quie„tem, ac tranquillitatem turbare atten„taret: pariter ſpondemus, quod præſen„tis fœderis articulos ſecretos tenere, ac „nemini, quiscunque demum foret, „revelare velimus, exceptis iis, qui „huic ſocietati nomen dabunt. Id de„nique jurabimus, atque affirmabimus „obſtringentes conſcientiam, & hono„rem noſtrum, ſub pœnis ſupra memo„ratis: porro cuncta geſſimus ſub Regis „auctoritate, nuntiumque mittimus quibuscunque aliis fœderibus hucus„que quovis pacto initis.„

Huic

Huic formulæ ducenti ferme Nobiles ſubſcripſerant, atque inter illos prior Jacobus Humerius, & poſtea urbium Magiſtratus, & Peronnenſes Miniſtri: juramentum autem in Urbis Prætorio die decima tertia Februarii anno ſequenti præſtitum eſt, ſingulis in ſacra Evangelia jurantibus, quod ſingulos hoſce articulos mox relatos exacte obſervare velint. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LXVI.

Fœdus recens auctum.

Hæc fuit origo celebris illius fœderis, quod ob Henrici III. ſocordiam plurimum potentia invaleſcebat, atque ſummi Pontificis, & Hiſpaniæ Regis ſtudio propagatum nova indies incrementa cæperat: Hiſpaniarum enim Rex, cum Franciæ Calviniſtas cum Belgii rebellibus armorum ſocietate conjunctos noſſet, verebatur, ne Alenſonii Dux nova potentia auctus haſce Provincias ſibi ſubigeret, aut forte Navarræ Rex, aliunde intrepidi animi juvenis, regnum ſuum, quod Hiſpani uſurpaverant, recuperare moliretur, hinc Philippus II. hoc fœdus fovere ſtudebat; ſummus vero Pontifex illud promovebat, eoquod Calviniſtarum potentiam eo usque excreſcere reformidaret, ut etiam Regem ad nationale conciliabulum adi- *Thuan. l. 63. Mezer. abregé chron. t. 5. pag. 326.*

Sæcul XVI. A C 1576.

gerent: aliunde vero spe fretus erat Pontifex, quod hæreticis in Francia exterminatis facile in reliquis regnis hæc pestis eliminari posset. Porro Henricus III. Franciæ Rex, cum unice intentus esset, ut se a nupero edicto, quod Calvinistæ ab ipso prorsus invito extorserant, extricare posset, rem ab initio dissimulabat, quinimo hoc ipsum fœdus suo nomine ratum habebat: postea vero seniora edoctus illius progressibus aliquamdiu resistere nitebatur: cum autem nunquam hæc societas penitus extingui posset, resumptis novis viribus tandem in apertas flammas erupit, ac infaustam sortem arripuit, quæ etiam sui exitii causa extitit.

§. LXVII.

Plures Provinciæ huic fœderi adscriptæ.

Avila l. 6.

Picardorum exemplum brevi aliæ sequebantur Provinciæ, & quidem Tremolius Thoarsii Dux, ac Pictonicæ Nobilitatis facile princeps Guisiorum sollicitationibus cessit: is enim capitali odio insectabatur Protestantes, eoquod hi omni, qua poterant, occasione eidem indignum in modum insultarent, ejusque ditiones fœde devastarent, cumque Tremolius aliunde Regis partibus apprime addictus cum Ludens

Comite

Comite Provinciæ Gubernatore diſſidia foveret, hinc nullo negotio unacum ſexaginta circiter Provinciæ Nobilibus, qui intra breve tempus potiſſimas urbes ſibi conciliabant, huic armorum ſocietati ſubſcripſit. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LXVIII.

Proteſtantes firmato hoc fœdere territi.

Idem quoque fœderatorum fervor ſeſe Turoniam usque extendebat, cum interea Guiſius, ac Cenomanenſis Duces ad eandem ſocietatem Campaniæ, & Burgundiæ Provincias ſollicitarent: enimvero crebreſcente hujus fœderis, ejusque progreſſuum fama pene innumeri ſeditioſi libelli adverſus Proteſtantes divulgabantur, hinc iidem, cum præcipue e ſuis conventiculis domum reverterentur, cum majori audacia excipiebantur: eo autem tempore, quo Aula Rothomagi hærebat, Borbonius Cardinalis hujus urbis Archiepiſcopus aliis Epiſcopis ſtipatus ad locum, ubi hæretici convenerant, acceſſit, ac Miniſtello inde ejecto, conſcenſoque ſuggeſtu Auditoribus ſignificabat, quod ipſum ſolum tanquam verum Paſtorem agnoſcerent, illis vero, qui id renuerent, omnem ſuæ authoritatis vim intentabat. Hanc agendi rationem ſpu- *Journal de Henric. III. an. 1720. t. 1. pag. 15.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

rii Reformati interpretabantur, perinde acsi ceteri quoque Præsules eis conveniendi libertatem pariter adempturi essent, nec exiguum eorum ingenio suspicionibus assueto scrupulum injecit Petri Gondii Episcopi Parisiensis ad Pontificem legatio; eidem enim injungebatur, ut quinquaginta aureorum millia annui reditus ex Cleri Gallicani bonis alienandi facultatem Regis nomine impetraret: hinc existimabant Protestantes, quod Rex in sumptus belli contra ipsos gerendi pecuniam inde corradere velit: his de cautis admoniti sunt, ut propius ad res suas respicerent, & Navarræ Rex inprimis, qui Niortii Calvini doctrinam nuper publice professus fuerat, postea autem cum Catharinam Sororem suam, quæ eum Pictavii convenerat, excepisset, Rupellas contendit, ubi tamen civibus diu contradicentibus tandem nonnisi pactis quibusdam conditionibus, quæ ipsius potestatem valde restringebant, exceptus, & die vigesima octava Junii urbem ingressus est.

§. LXIX.

Bona Ecclesiastica in Galliis alienata.

Spond. ad hunc ann. num. 5.

Ceterum iter illud, quod Parisiensis Episcopus Romam versus suscepe-
rat, præter exspectationem feliciori secun-

Sæcul. XVI. A. C. 1576

ſecundabatur ſucceſſu; quippe idem Præſul die decima octava Julii a Gregorio XIII. Papa diploma obtinuit, vi cujus pecunia, quam Rex petiit, ex Clericorum proventibus exigi poſſet: porro hoc diploma mittebatur ad Cardinales Carolum Borbonium, Ludovicum Guiſium, & Ludovicum Eſtenſem tunc in Gallia agentem, necnon ad Antonium - Mariam Epiſcopum S. Papuli Nuntium Apoſtolicum, Petrum Gondium Epiſcopum Pariſienſem, Florentinum Renardum Carnotenſem, & Bonum Broé ſanctæ Capellæ regalis Canonicos: igitur hoc diploma promulgatum fuit in Senatu Pariſienſi ſeptima Septembris die, hoc tamen tribunal Clauſulam diplomati inſertam, vi cujus diſtractio bonorum etiam invitis, & contradicentibus poſſeſſoribus fieri permittebatur, approbare renuebat. (*)

§. LXX.

(*) Hæc omnia Continuator ex Spondano deſcripſit, omiſit tamen ex eo, quod in hac extrema neceſſitate recurſus habitus fuerit *DE MORE ad ſacros Eccleſiæ Gallicanæ proventus:* item idem ſilentio præteriit, quod *aliæ quædam additæ fuerint conditiones in FAVOREM CLERI*, quibus tamen conditionibus ſeſe oppoſuere Pſeudo - Politici, quibus de Eccleſiaſticis nil niſi pecuniæ placent.

Sæcul. XVI. A. C. 76

§. LXX.

Papa pro approbando fœdere a societatis Principibus sollicitatus.

Sub idem tempus hujus fœderis Principes Davidi regii senatus Advocato negotium dabant, ut Pontificem porrecto libello supplici ad protegendum hoc fœdus sollicitaret. (*) Erat hic Advo-

(*) Mirabitur Lector, quod Continuator hujus fabulæ nullum alleget testem, magis tamen mirabitur, quod eandem, licet jamjam a Spondano confutatam sciret, nihilominus suæ Historiæ inserere voluerit: percipiamus igitur ejusdem Apaminensis Episcopi verba: *Quod vero*, inquit ille, *hæretici jactarunt, Gregorium Pontificem consensisse huic primo fœderi, & scriptum quoddam promulgarunt Davidis cujusdam Advocati Parisiensis nomine confectum, de tractatu super eo habito, seu habendo cum Pontifice in gratiam Guisii, & restitutionem antiquæ lineæ Carlovingiorum, ex qua se ortum Guisius profitebatur, merum fuit hoc otiosorum nugatorum, & calumniatorum inventum, adeo inepte concinnatum, ut vel sola lectione manifestissime impostura appareat. Et quod ad Pontificem attinet, etiamsi daremus, apud Davidem, hominem (ut Thuanus de his agens eum vocat) prostituti pudoris, ac fidei, ejusmodi argumenti scriptum, seu quod ipsemet conflasset*

Advocatus proſtituti pudoris, ac honoris homo, qui bellorum civilium tempore a Proteſtantibus male habitus, cum ob edicta nuper promulgata damnum,

Sæcul. XVI. A.C.1576.

flaſſet, ſeu ab aliis conflatum Romam detuliſſet, repertum fuiſſe, Gregorium tamen ei ſuffragatum eſſe, neque eo ſcripto proditum fuit, neque ullo alio argumento probari poteſt: quinimo ne tunc quidem cum Guiſius aperte ſe detexit, nedum hoc tempore, Pontificem fœderi faviſſe, ſed ſemper Patrem ſe amantiſſimum, & fidum Henrici Regis amicum exhibuiſſe, vel ipſo teſte Serrano, ſeu ejus continuatore, utroque hæretico, ac proinde Pontificum hoſte, aperte intelligitur, dum ad finem anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi quarti ſcribit, oblatum tunc fuiſſe fœdus Gregorio, ut illud approbaret, tanquam pro ornamento, & propugnatione Eccleſiæ Romanæ conditum, verum Gregorium annuiſſe quidem, ut contra hæreticos ageretur, ac nequaquam motus illos populares comprobare voluiſſe, quibus cerneret involvi Regem Chriſtianiſſimum, & Catholicum; ſicque nuntios inanes dimiſiſſe. Ceterum ſi Catholici hoc tempore fœdera inierunt pro defenſione fidei Catholicæ (quod tamen nullo modo inſcio Rege fieri debuiſſe certum eſt, ideoque damnandos eſſe eorum auctores, quantumvis illud

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

num, injuriamque ſibi illatam reſarcire præpediretur, hac ſaltem occaſione ultionem exerere gaudebat: igitur Romam proficiſcitur, eodem, ut mox retulimus, libello munitus, cujus ſumma hæc erat: „Omnibus conſtat, quod „nequaquam Hugonis Capeti poſteri „benedictionis Apoſtolicæ, quæ Caro„lovingis ſolis conceſſa eſt, legitimi „hæredes extiterint: quinimo Hugo „uſurpato temeraria audacia regno non „ſolum Caroli benedictionem violavit, „ſed diras in caput ſuum, & ſuorum „accerſivit, unde ipſius Succeſſores „ſemper ſe Eccleſiæ refractarios, & in„obedientes reddiderunt, cum in ejus „perniciem abominandum errorem, „quem Franci *libertatem Eccleſiæ Galli„canæ* appellant, invexerint, & Albi„georum, ac pauperum Lugdunenſium „olim unicum perfugium, dein Luthe„ranorum, ac nunc Calviniſtarum fue„rint: quo minus quis miretur, ſi vi„ctoriæ

lud ſolius duntaxat Religionis, & regiæ auctoritatis intuitu, nullo alio admixto pravo conſilio præſtitiſſent) qua fronte id eis hæretici objectare potuerunt, qui iis tot exempla præbuerunt coitionibus ſuis, & fœderibus non ſolum intra Regnum, ſed maxime cum omni exterorum genere, tam contra Regem apertiſſime, quam contra Religionem initis.

„ctoriæ ſexdecim abhinc annis contra „Proteſtantes partæ exitu caruerint, & „porro carituræ ſint, quamdiu in Cape- „vingorum familia regnum fuerit: ve- „rum enimvero occulta Dei proviſen- „tia effectum videtur, ut infelici ulti- „mæ pacificationis partu legitimi Prin- „cipes, ac veri Caroli Magni Succeſſo- „res quaſi poſtliminio reſtituti ſint, qui „omnes ad minimum usque ſemper „ſumma conſtantia in ſacræ Sedis ob- „ſequio perſeverarunt, & ſe reipſa le- „gitimos benedictionis Apoſtolicæ hæ- „redes approbarunt: ut ergo hiſce ma- „lis obvietur, neceſſario Principes le- „gitimos, ac veram Caroli Magni pro- „geniem regno reſtituere oportet.,

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

Attamen hic Auctor veri Caroli Magni nomine Guiſios Principes ex Lotharingica ſtirpe deſcendentes deſigna- bat, poſtea vero ita proſequebatur: „de cetero hoc fœdus optimum eſt me- „dium, quo præpediri poteſt, ne Re- „gnum in hæreticorum manus devol- „vatur: ut vero huic conſilio optatus „adſpiret ſucceſſus, hinc inter eos, qui „ſacro huic fœderi nomen dederunt, „convenit, ut plebs in variis Regni „Urbibus per Concionatores ad ſeditio- „nem concitetur, hocque pacto liber- „tas conveniendi ſectariis nupero edicto „conceſſa adimatur.„ His prolatis Au-

ctor

Sæc. XVI. A.C. 1576.

ctor articulatim enumerat omnia, quæ fœderatis agenda sint; ut Regem omni sua auctoritate spolient, eamque ad Guisium Ducem, quem societatis Caput elegerant, transferant: postea hæc addidit: „interim generalia indicentur „comitia, ut Protestantes in foveam, „quam ipsimet foderunt, primi se præci„pitent, porro Rex per Provincias man„dabit, ut viri Majorum Religioni addicti „cum plenis ea de re mandatis ad hæc „comitia delegentur, ad quæ etiam vo„cabitur Alensonius Dux, datisque lite„ris Rex dabit operam, ut Navarræ Rex, „& Condæus Princeps ad eadem a Rege „invitati veniant; nisi vero pareant, tan„quam rebelles, & contumaces ordi„num decreto pronuntiandi: ut vero „omne dubium, & anxietas iis adima„tur, ex compacto Guisius Dux, & „fratres ejus quasi indigne a Rege ha„biti, aula abstinebunt, & Rex iis „Lutetiæ relictis Blæsas tanquam in „tuti accessus locum proficiscetur: de „cetero ante omnia jurejurando tam „caput, quam singula membra adi„gentur, ut spondeant, quod ea re„ligiose servare velint, quæ ab Ordini„bus decernentur.

Præterea in hoc libello a summo Pontifice diploma petebatur Apostolicum, quo omnia hac de re decernenda con-

confirmentur, atque Hugonis Capeti stirps eradicetur: insuper ibidem hæc inserebantur: „hisce confectis Ordines „obsequii, & fidei jusjurandum, quod „B. Petri Successori debent, renovabunt, „ac publice profitebuntur, quod in do„ctrina a Concilio Tridentino stabilita „vivere, & mori parati sint, hinc ei„dem subscribent, revocatis, ac rescis„sis quibuscunque edictis Concilio con„trariis, & confirmatis, ac in posterum „servari jussis iis, quæ a Regis Majori„bus ad extirpandum Sectariorum vi„rus promulgata sunt: hac etiam ratio„ne Rex Protestantibus præfiget tem„pus, intra quod a Magistratu Eccle„siastico absolutionem petere, & a Prin„cipe delictorum veniam impetrare te„nebuntur: quia vero ob quarumdam „Provinciarum rebellionem armis opus „erit, supplicabunt Regi Ordines, ut „eum virum bello præficiat, qui usu „rerum insignis, & corpore, & ingenio „validus tantæ moli par sit, atque ex „se ipso consilium capere possit, nec un„quam, aut ulla in re amicitia, societa„te, aut alia voluntatum communicatio„ne cum Sectariis participaverit: roga„bitur insuper Rex, ut ea præfectura „Guisium Ducem decorare dignetur, „tantæ dignitati, & curæ parem; præ„terea Alensonii Dux erroris, & crimi-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„nis

Sæcul. XVI. A.C 1576.

„nis a se admissi admonebitur, cum re-
„licto fratre se ad Sectariorum partes
„applicuit, & bello illato edictum in per-
„duellium favorem ab ipso vi extorsit,
„quod crimen, cum non solum Regem, sed
„Deum ipsum respiciat, cujusque pro-
„inde gratiam Rex facere non possit,
„auctoritatem suam interponent Ordi-
„nes, ut Rex det Judices, qui de cri-
„mine cognoscant: porro eodem,
„quo hæc decernentur, die copiæ illæ
„clam conscriptæ in armis apparebunt,
„& aliæ etiam externæ, ut per illas de-
„creta executioni demandari, & Regis
„frater cum complicibus suis in carce-
„rem trudi possit: Guisius vero tam
„potenti exercitu subnixus provincias
„rebelles vi, aut occultis consiliis, &
„astu subjugabit, & vastatis circum a-
„gris, extructisque ad loca idonea pro-
„pugnaculis urbes munitas ad deditio-
„nem compellet, non consumpto inuti-
„liter tempore, quo errore in Rupellæ
„obsidione peccatum fuit. Tandem idem
„Guisius plena victoria potitus, & con-
„ciliata sibi populorum, & nobilitatis
„gratia, & per eam aperto libero ad ur-
„bes accessu in Regis fratrem, & com-
„plices ejus animadverti mandabit, &
„ad extremum ex sententia, & permissu
„Pontificis suum Regem, sicuti Pipinus
„olim Childericum, in Monasterium in-
„tru-

„cludet, unitoque cum benedictione „Apostolica sceptro efficiet, ut Ordines „se Sacræ Sedi subjiciant, abolitis sine „conditione, & modo *Ecclesiæ Gallica-„næ privilegiis, ac libertatibus*, quod se „ante omnia facturum fide Sacramento „adacta pollicebitur.„ Sæcul. XVI. A.C. 1576.

Hunc libellum David Pelleveo Cardinali studiosissimo Guisiorum factori, qui rem in secreto tenebat, tradidit: cum autem David in Franciam reversurus in itinere moreretur, hujus libelli exemplar penes ipsum reperiebatur, quod in Protestantium manus incidens ab iis paulo post typis vulgatum est (*).

§. LXXI.

Generalia Regni comitia Blesis a Rege indicta.

Rex cum in nupero pacificationis decreto comitia habere promisisset, & Calviniſtæ libellis supplicibus, quos iterato porrigebant, ejusmodi conventum importunius exigerent, hinc idem Gallia-rum Rex generalia comitia, de quibus in præfato libello mentio facta est, Blesis indixit, datis hanc in rem regiis literis die decima sexta Mensis Augusti, ita tamen, ut huic congressui nonnisi Mense *Thuan. & Avila l. c.*

(*) Verius dixisset: *ab iis paulo post nequiter confictum est.*

Sæcul. XVI. A. C. 1576.

Menſe Novembri ad medium vergente initium daretur: die autem quarta ejuſdem Menſis Rex ad omnes Provinciarum Gubernatores perſcribens eisdem ſuum ad pacem animum omnino propenſum teſtificabatur, declarans, quod propterea unacum Regina Matre ſua, & Alenſonio Duce Fratre ſuo Bleſas contenderet

§. LXXII.

Initia generalium comitiorum.

Bodin journ. des etas de Blois. Thuan. & Avila l. c.

Quamprimum Rex Bleſas venerat, ex Regni Ordinibus quivis ad Oratorum ſuorum, qui ibidem verba facerent, electionem procedebat, ac quidem Ordini Eccleſiaſtico, qui Petrum Spinacum Lugdunenſem Archiepiſcopum ſelegerat, Eccleſia ſancti Salvatoris aſſignabatur: Nobilium vero Ordo in Palatio congregatus nominabat Nicolaum Bauſremontium Senecaji Baronem, denique plebæjus Ordo in urbis prætorio convenerat, Præſidem conſtituens Petrum Verſorium celebrem Pariſienſis Senatus Advocatum. Poſtea, ut Dei auxilium pro hoc conventu imploraretur, jejunium, ſolemnisque ſupplicatio decernebatur, ac demum die ſexta Decembris in arcis aula comitiis dabatur initium, ubi Rex in ſublimi ſolio ſedens univerſa aula, ac trium Ordinum Deputatis

stipatus comparuit: cunctis vero suo ordine considentibus Rex comitia inchoans orationem habuit, cujus summa hæc est: Sæcul. XVI. A.C 1576.

„Qua de caussa vos unaomnes conve„neritis, cunctis ex regiis mandatis con„stat, & ita existimo, vos plene a pro„vinciis vestris instructos huc accessisse; „nam scitis omnes, quem in statum ex „florentissimo, & potentissimo totius or„bis regno res per bella civilia devene„rint, serpente vitiorum contagio, qui„bus totum corpus ita exulceratum est, „ut nullum ipsius membrum integrum, „aut sanum superfit, & pristinæ pieta„tis in Deum, justitiæ, subditorum con„cordiæ, amoris, & observantiæ in „suum Principem vix umbra extet, aut „vix ullum uspiam appareat vestigium, „de quo eo magis dolere vicem meam „cogor, si contulero tempora Regis pa„rentis, & avi mei, sub quibus hæ vir„tutes Gallorum propriæ viguerunt, „quæ nunc prorsus in animis hominum „extinctæ, ac penitus abolitæ sunt: eo„que id gravius mihi accidit, quod vul„gus parum res perspiciens calami„tatum caussas fere omnes in Prin„cipes rejiciat, & veluti in jus quasi „Sponsores, eos perinique vocare soleat: „verum, mihi solatii loco est bona con„scientia nam, quod omnes norunt,

Sæcul. XVI. A.C.1576.

„imbecilla Caroli fratris ætas his per „Regnum turbis cauſſam dedit, quas „prudentia, ſolertia, patientia, quan„tum in ea fuerit, optima parens diſ„cuſſit, coercuit, ac compoſuit, non „ita tamen, nam qui fieri aliter potuit, „ut non teterrima eorum ſemina reman„ſerint, quibus & ego ipſe quamprimum „ad idoneam ætatem perveni, pro ra„tione officii, & obſequii remedia, quæ „potui, conſilio, & manu attuli, Regi „in bellis, quæ geſſit, maximis inſer„viens, nec periculum ullum defugiens, „aut labori, moleſtiæ, ac ſollicitudini „parcens, ut res, ſi fieri poſſet, ami„ce, quod ſemper exoptavi, tranſige„rentur. Id ego tentavi ſæpius, an„tequam in Poloniam proficiſcerer, „poſtquam vero Franciæ regnum ade„ptus ſum, tranquillitatem rediens in „regnum patrium ibidem ſtabilire „totis viribus conabar: ſed contra vo„tum accidit; nam ad extrema coactus „deveni, & toties funeſtum bellorum „civilium exitum expertus, arma rur„ſus ſumpſi, bellique ſumptibus ut ſa„tisfacerem, populis ditioni meæ ſub„ditis, quos oneribus levatos male„bam, nova vectigalia impoſui: id ve„ro longe acerbiſſimum mihi fuit, ac „perſæpe optavi, ut vel in flore ætatis „mihi vita præcideretur, quam ut eaſ-

„dem

„dem, quas puer ſub fratre puero va- Sæcul. XVI.
„ſtitates videram, Rex aſpicere coge- A.C.1576.
„rer: verum ea fiducia ſuſtentor, non
„me ad regnum vocatum, aut capi-
„ti regiam a Deo coronam impoſi-
„tam in populi perniciem, aut tanquam
„iræ virgam mihi ſceptrum in manum
„traditum, ſed id factum ſpero, ut Dei
„præpotentis ad ipſius gloriam benefi-
„ciorum diſpenſator, ac miniſtrator po-
„pulis ditioni meæ ſubditis eſſem: pro-
„inde teſtor, nihil aliud mihi propoſi-
„tum, quam ſalutem publicam, & regni
„tranquillitatem quærere: eapropter le-
„nitatis, & pacis inter alienatos cives con-
„ciliandæ viam ut optimam, & tutiſſi-
„mam delegi, qua ſublata nihil firmum,
„nihil ſtabile, aut fructuoſum in his co-
„mitiis decerni poterit, prout id præ-
„teritorum malorum experimento ſatis
„conſtat, quibus nihil aliud actum eſt,
„quam ut per bella civilia religio Ma-
„jorum pene amiſſa ſit, & regni ſtatus
„a fundamentis omnino convulſus: ita-
„que per fidem, & obſequium, quo ſin-
„guli, & univerſi Principi ſuo juxta
„Dei præceptum obſtricti ſunt, omnes
„oro, & per charitatem erga patriam
„obſecro, ut omni depoſita cupiditate,
„alieno affectu, & privatæ injuriæ ſen-
„ſu, in id omnes ſincera animorum
„conjunctione, & voluntatum conſen-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„sione incumbant, quatenus in remediis „adinveniendis Regi suo mutuas operas „præstent, quibus pax æque salutaris, „ac necessaria firmari, bellorum civi„lium, & dissensionum semina stirpi„tus evelli, mores corrupti emendari, „vitia expurgari, leges in pristinam in„tegritatem, ac dignitatem restitui pos„sint: quippe hoc cupio, hoc peto, idem „etiam volo, sic autem affectus sum, „ut tunc, cum regium fastigium Deo „acceptum feram, potentia mihi cumu„latissime divina benignitate concessa „minime abuti velim: scio enim, com„missi muneris mihi aliquando redden„dam rationem: porro sic apud ani„mum meum constitui, & voce regia „nunc coram universo cœtu spondeo, „quod ea omnia, quæ a me statuta, de„creta, ac perscripta ex comitiorum „sententia fuerint, inviolate serventur, „nec privilegia iis derogantia, aut con„traria in posterum concedantur. „

§. LXXIII.

Biragi Cancellarii oratio ad eosdem Ordines.

Avila l. 6. Thu. l. 63.

Perorantem Regem exceperat Biragus Cancellarius, qui breviter ea, quæ Rex protulerat, repetens hæc subjunxit: „Cum hucusque rara Reginæ „Matris prudentia, Regisque fortitudo, „&

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

„& magnanimitas inter tot tumultus, „ac pericula Franciæ regnum ab exitio „præservarint, necesse est, ut omnes „Ordinum Deputati piæ Majestatum „suarum voluntati junctis viribus sedu„lo suam operam adjiciant, & quidem „in tanto negotio, ubi præcipue de uti„litate publica agitur: eapropter spe„ciatim ea proponere satagant, quæ „non minus ad regnum ex præteritis „calamitatibus sublevandum, quam ad „illud a futuris malis præservandum „utilia, ac proficua erunt.„ His dictis a trium Ordinum Delegatis actæ sunt Regi gratiæ, & fidam pro se quisque operam eidem pollicitus est, simulque se, ut Regis voto juxta suas vires responderent, curaturos spondebant: verum quamvis Rex omnes tres Ordines suis consiliis conspirare putaret, diversam tamen sentiendi rationem in illis deprehenderat; quippe potissimi illorum, qui a Provinciis fuerant deputati, sese illis, qui fœderi subscripserant, adjungebant, & nilnisi ex speciali jussu, ac Guisii Ducis, quem tanquam Caput suum venerabantur, consilio aggrediebantur.

§. LXXIV.

Ordinum petitio de judicibus a Rege non impediendis.

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

Altera die post incheata comitia Deputati edito decreto sanxerunt, ut Rex ad negotia juxta cujuslibet votum eo citius expediенda quosdam Judices daret Ordinibus minime suspectos, hisque duodecim Delegatos adjungeret, qui de omnibus, quæ tribus Ordinibus vel conjunctim, vel separatim proponerentur, cognoscerent, ac decidendi facultatem haberent, ea tamen lege, ut quicquid illi judices unacum ordinum delegatis decernerent, firmum, ratumque esset, & legis vim obtineret, necnon imposterum integra fide servaretur, quin ullus repugnare, vel eorum decisiones revocare valeret.

§. LXXV.

Regis responsum ad hæc Ordinum postulata.

Avila l. c.

Attamen Rex, quamvis hæc petitio parum condecens esset, nihilominus moderate hæc respondit: „quoties„cunque Ordines quicquam proponent, „vel petituri sunt, simul etiam duode„cim Deputati, quos nominare vobis in„tegrum erit, confestim excipientur, ac „demum rebus omnibus in meo Senatu „discussis respondere haud cunctabor, „omnibusque, quæ ad cujuslibet sen„tentiam conferre poterunt, prospectu„rus sum: ut autem omnibus satisfiat, „ad

„ad comitia illos etiam vocabo, ex qui- Sæcul. XVI.
„bus meus Senatus conſtat, quatenus A.C. 1576.
„& hi de Miniſtrorum dotibus cogno-
„ſcere poſſint: ego vero juxta eorum
„conſilia deciſiones feram, illud tamen,
„quod alii præter me decernunt, tan-
„quam firmam legem acceptare ne-
„queo.„ Ex hoc Regis reſponſo Ordi-
nes haud obſcure intellexerant, quod
detecto petitionis ſuæ conſilio nunquam
finem intentum aſſecuturi eſſent, qua-
propter opem in alio molimine quære-
bant, proponentes, præprimis deci-
dendum eſſe, an alia Religio præter Ca-
tholicam in Regno toleranda foret.

§. LXXVI.

Rex fœderis caput ſeſe declarans.

Sub idem tempus Proteſtantes Davi- *Thuan. l. 63.*
dis Advocati libellum ad Papam de- *Mezeray*
latum, cujus ſupra meminimus, publici *abreg. t. 5.*
juris fecerant, illoque perlecto Rex tan- *pag. 353.*
dem clandeſtina novi fœderis conſilia *Spond. n. 8.*
ſubolere cæperat, ratus, quod fœde-
rati ſub ſpecioſo Religionis bonum pro-
curandi obtentu reipſa legitimam auc-
toritatem ſenſim deprimere, ac ſupremam
poteſtatem in alium transferre medita-
rentur: quapropter ex illo temporis
articulo hanc factionem, quam penitus
eliminare, ejusque conſilia evertere
haud poterat, ſaltem labefactare de-

Sæcul XVI A. C. 1576

creverat: ut vero ejus molimini secundus adspiraret successus, ac speciatim Guisii Ducis, quem fœderati tanquam Ductorem suum colebant, auctoritatem imminueret, ipsemet sacri hujus fœderis principatum sibi sumpsit, ac per Carolum Meduanæ Ducem cum Ordinibus egit, ut tanquam fœderatorum Dux ab omnibus reciperetur: quinimo ipsus unacum omnibus Aulæ Proceribus sese hujus societatis legibus subscripsit, & quantocius Parisios, necnon in Burgundiam hosce articulos transmisit, ibidemque eos ab omnibus recipi jussit.

§. LXXVII.

Ordinum deliberatio circa Religionis articulos

Thuan. l. 63. Avila l. 6. Journal de Bodin.

Interea Ordines assidue de Religionis rebus deliberare pergebant, ac præprimis decernebant, quod præter Religionem Catholicam nulla alia in regno toleretur: sibi enim persuasum habebant, quod nec Rex, nec Deputati sese tam pio consilio opponere auderent, quamvis plures animo suo dissentirent; inde vero inferebant Ordines, quod acceptato hoc articulo de pace actum, ac bellum Calvinistis denuntiandum esset: eapropter Clericorum Ordo, ac præprimis Lugdunensis Archiepi-

chiepiſcopus unanimi omnium voce ſtatuebant, Regem eſſe ſollicitandum, ut quamcunque aliam ſectam profitendi libertatem interdicat, præcipiatque, quatenus omnes ejus ſubditi unice Religioni Catholicæ ſeſe ſubmitterent: eadem quoque ſententia Nobilibus inſederat, exceptis duntaxat quibusdam, qui ſeſe huic articulo opponebant, ac Religionis puritatem quidem conſervari optabant, aliis tamen viis, quam armorum violentia rebelles ad obſequium revocandos eſſe cenſebant. Horum etiam ſententiæ ſubſcribebat plebæjus Ordo; cum enim populus, ſcilicet cives, Mercatores, opifices, ac ruſtici vectigalibus, atque ſubſidiariis exactionibus durante bello gravati eſſent, hanc clauſulam: *quamdiu id citra bellum, & per publicæ quietis tranquillitatem fieri poterit*, adjici petebant: aſt contraria prævaluit opinio, cum ceteri omnes hanc clauſulam omitti poſtularent, quapropter hic articulus nulla adjecta conditione acceptabatur. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LXXVIII.

Joannes Bodinus Clericorum ſententiæ oblectatus.

Hoc percepto Joannes Bodinus Andegavenſis, qui pro plebejo Ordine Veromanduorum præfecturæ nomine *Avila l. 6. Journal des etas de Blois*

Sæcul. XVI. A.C. 1576

mine delegatus, ac regius in Præsidiali Curia Laudanensi Advocatus erat, tum populi causſam acriter propugnabat, quamvis intempestivo suo studio postea sibi magnam Aulicorum invidiam conflasſet, & libellorum supplicum magisterio, ut fertur, privatus esſet: porro is in oratione sua expósuit mala, quibus Regnum sese exponeret, si rursus ad arma convolaret, insuper sigillatim calamitates jamjam exantlatas enarrabat, suoque sermone plebejorum animos tam intimo sensu afficiebat, ut ejus sententia absdubio fuisſet acceptata, si plena fuisſet libertas, ac sincerus animorum affectus: cum vero ageretur cum Viris Guisio Duci, ejusque parti addictis, qui sub vano conservandæ Religionis obtentu bellum desiderabant, hinc prævalentibus plurimorum suffragiis sancitum, Regem esſe rogandum, ut solam Religionem Catholicam in suo Regno esſe tuendam, edito diplomate declararet, omneque cum Calviniſtis commercium interdiceret: præterea altera die quidam, qui a Rhemensi, Catelaunensi, atque Augustana Suessionum civitatibus Veromanduanæ Præfecturæ subjectis erant deputati, a fœderatis subornati ad Regis Senatum pervenere, ut harum civitatum nomine Bodi-

Bodinum falſi arguerent, ac quererentur, quod ſui mandati limites exceſſerit. Sæcul XVI. A.C. 1576.

§. LXXIX.

Rex omnem aliam præter Religionem Catholicam interdicere rogatus.

Die decima ſexta Decembris primus hic articulus in Ordinum comitiis agitatus concipiebatur his verbis: Regi ſupplicandum, ut omnes ſuos ſubditos ad Religionis Catholicæ, Apoſtolico-Romanæ unitatem meliori, ac ſanctiori, qua poſſet, via revocet, Religionis vero, quæ ſe reformatam jactitat, uſum tam publice, quam privatim per univerſum Regnum ſuum interdicat, hujusque ſectæ Paſtorculos intra tempus, quod præſcribat, e Regno ejiciat, quem in finem revocentur edicta in eorum favorem conceſſa, & huic ſanctioni contraria: inſuper Rex rogetur, ut interim cunctos privatos hujus ſpuriæ ſectæ aſſeclas, excluſis tamen ab hac gratia eorum Miniſtris, Diaconis, & Superintendentibus, regio patrocinio foveat, donec in Catholicæ Religionis ſinum rediiſſent. Hic articulus ſubſcribebatur conſentientibus cunctis præfecturarum Inſulæ Francicæ, Normaniæ, Campaniæ, Septimaniæ, Aurelianenſis, Picardiæ, & Pro-

Sæcul. XVI. A.C.1576.

Provinciæ Deputatis, atque Oratoribus, ac quædam duntaxat Provinciæ hunc articulum reſtringi, hancque conditionem apponi petebant: *dummodo hæc unio citra bellum, & pacata via fieret.*

§. LXXX.

Navarræ Regis, & Condæi Principis Deputati ad comitia.

Thuan. l. 63.

Sub idem tempus Navarræ Regis, & Condæi Principis Deputati unacum quibusdam Calviniſtarum Miniſtellis Bleſas venerant, qui tamen non fuere auditi: nihilominus tamen ipſi decretis antea ſancitis ſeſe opponere audebant, cauſſantes, ea privilegiis, quæ ipſis in nupero edicto conceſſa fuiſſent, contraria eſſe, quapropter adverſus hæc comitia, perinde acſi nec legitime convocata, nec celebrata eſſent, reclamare, ſuamque oppoſitionem divulgare attentabant: interceſſit etiam Mirambellus Baro a Santonica Nobilitate delegatus: aſt adverſa fœderatorum pars ejus clamoribus prævalebat.

§. LXXXI.

Quidam ab Ordinibus ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem deputati.

Bodin. Thu. & Avil. l. c.

Ceterum quamvis Rex omni, quo poſſet, modo fidem ſuam obſtringeret,

geret, quod ſolam Religionem Catholicam in Galliis tolerare vellet, proſpexerat tamen, quod per ejusmodi declarationem regnum ſuum civili bello implicaret: cum vero huic ſtatuto aperte ſeſe opponere non auderet, ſaltem Ordinum petitionem eluſurus eisdem expoſuit, priusquam res decideretur, deputatos eſſe decernendos ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem, ut hi quoque ad approbanda in hiſce comitiis ſancita inducerentur: porro hac tergiverſatione fretus Rex ſperabat, quod firmum Deputatorum conſilium evertendi medium nanciſci poſſet: igitur mandata, quæ Petro Villario Viennenſi Archiepiſcopo, Andreæ Borbonio Rubemprato, & Menagero Francici ærarii quæſtori ad Navarræ Regem deputatis exponenda dabantur, confecerat Arnaldus Pontanus Vaſatenſis Epiſcopus: ad Condæum vero Principem ablegabatur Carolus Allibutus Auguſtodunenſis Epiſcopus, quem comitari jubebantur Montmorinus, & Joannes Bodinus: cum autem hic poſtremus grave ſenium obtenderet, ac ſeſe ob ſententiam nuper latam pluribus eſſe ſuſpectum cauſſaretur, in ejus locum Petrus Ratus Pictavii Prætor ſuffectus eſt. Denique ad Damvillæ Ducem delegati

Sæcul. XVI. A.C 1576.

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

legati fuere Nectarius Anicienſis Epiſcopus, ex Senectaria familia oriundus, Renatus Rupifortius, & Toleus Advocatus. Ceterum quis hujus Legationis ſucceſſus fuerit, in hiſtoriæ progreſſu perſpicietur.

§. LXXXII.

Confalonis Societas a Gregorio XIII. confirmata.

Spond. hoc ann. n. 16.

Hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Gregorius XIII. Papa confirmabat ſodalitatem, quæ vulgo *Confalonis* appellatur: porro ea jam Romæ circa annum Salutis noſtræ milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quartum erecta Sodales habuit quosdam Romanos Patritios, Pœnitentes nuncupatos, quibus ſanctus Bonaventura ſingularem precandi formam præſcripſerat. Datum erat hanc in rem diploma die duodecima Octobris, pluraque privilegia, ac indulgentiæ fuere conceſſæ huic ſodalitati, cui etiam aggregata eſt Lugduni Confalonis fraternitas, cum vero Henricus III. Franciæ Rex, qui ejusmodi pietatis exercitiis mire delectabatur, non raro cujusdam Sodalis habitu indutus ibidem compareret, Regia Sodalitas appellabatur.

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. LXXXIII.

Regis Coccini Legatio ad Papam.

Insuper Coccini Rex in peninsula citra Gangem commorans hoc anno ad summum Pontificem literas dedit, quibus ejus benevolentiam exorans sacræ Sedi suum obsequium testatum reddebat. Hic Princeps, quamvis infidelis, legatum tamen destinabat, qui hasce literas deferret, cum autem hic morbo Ulyssipone corriperetur, ac iter suum prosequi haud amplius posset, alia usus occasione Regis sui epistolam transmisit ad Pontificem, qui huic Principi respondens eundem ad abjiciendos paganæ superstitionis errores, atque ad veritatem evangelicam amplectendam hortabatur, eidemque in memoriam revocabat veteres suos subditos, qui olim a sancto Thoma Apostolo ad fidem Catholicam conversi fuerant: præterea illum rogabat Pontifex, ut Catholicos, qui in ejus Regno degunt, suo patrocinio fovere velit. *Ciacon. p. 13. Spond. n. 17.*

§. LXXXIV.

Cervantes Cardinalis mortuus.

Mense Novembri ejusdem anni Gregorius XIII. Romana purpura decorabat Andream Ferdinandi Austriæ Archiducis Filium, Ferdinandi Cæsaris, *Ciacon. vit. Pontif. t 3. pag. 1040. Aubery hist. des Cardin.*

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

ris, qui Caroli V. frater erat, Nepotem, nonnisi octodecim circiter annos natum, isque in sacro Purpuratorum Collegio subrogabatur Casparo Cervantes Hispano ex Placentina Diæcesi, quæ Compostellano Archiepiscopatui subjecta est. Casparus cum tam sacræ, quam profanæ jurisprudentiæ, ac Theologiæ scientia sese celebrem redderet, atque sua eruditione, & eloquentia in Concilio Tridentino ingens sibi nomen compararet, ex generali Hispalensis Archiepiscopi Vicario sub Pio IV. ad supremi Inquisitoris munus, & dein ad Massanensem in Sicilia Archiepiscopatum, atque ad Salernitanam, & Tarraconensem Sedem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octavo evectus est: postea Romam venit coram Pio V. Papa Bartholomæi Carranzæ Toletani Archiepiscopi caussam defensurus, ubi ab eodem Pontifice, dum Cardinales creabat, ad Philippi II. Hispaniæ Regis preces Mense Majo anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo Purpuratorum Collegio adscriptus, nuncupatusque fuit Cardinalis titulo sancti Martini ad Montes, quo tamen dimisso titulum sanctæ Balbinæ optabat. Biennio post Legatus in Hispaniam ad eundem Philippum decretus cum eo de maxi-

Miræus de Script. Eccl. Sæcul. XVI.

maximi momenti negotiis egit, cumque tribus omnino annis in hoc regno commoratus esset, Taraconæ feria secunda die decima quarta Mensis Augusti anno ætatis suæ sexagesimo quarto obiit, sepultusque jacet in Ecclesia Cathedrali. Hic idem ante mortem suam Tarraconensi Universitati potissimam suorum bonorum partem legabat, ut exinde ampliora Professoribus stipendia assignarentur, ac scientiæ cum majori solertia foverentur: insuper ibidem seminarium erexit, cumque Jesuitis plurimum addictus esset, eisdem quoque pro Novitiis Domum construi fecit: de cetero dum Salernitanus eligebatur Archiepiscopus, ibidem pro confirmandis Tridentini Concilii decretis Synodum celebravit, cujus acta paulopost Romanis literis excusa prodiere: præterea pro juvenibus Clericis, qui in Ecclesia Cathedrali Altaris ministerio deputarentur, novum Seminarium erexit.

Sæcul. XVI. A.C. 1576

§. LXXXV.

Bartholomæi Caranzæ Toletani Archiepiscopi obitus.

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto obiere, primus occurrit Bartholomæus Caranza

Nicol. Ant. Bibl. Script. Petr. Salaz. de Mendoza in vita Caranz. Barth.

Sæcul. XVI. A. C. 1576.

ex Ordine Fratrum Prædicatorum Toletanus Archiepiſcopus, qui ex quadam Neapolitani regni urbe mutuato nomine alias Miranda vocabatur. Hic apud ſuos Fratres ſcientia Theologica, quam tradidit, tam ingens ſibi nomem comparabat, ut ad Tridentinam Synodum ſelectus ibidem prima Verni jejunii Dominica anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto præſentibus Concilii Patribus perorare mereretur, ubi etiam illorum, qui Reſidentiæ legem de jure Divino præceptam cenſebant, ſententiæ adhæſit, ac tanquam Theologus Philippum Hiſpaniæ Regem, cum Reginam Mariam ſibi deſponſaturus in Angliam contenderet, comitabatur, ibique ad reſtaurandam Religionem Catholicam præcipue in Oxonienſi Univerſitate egregiam navabat operam, tamque fervens ſtudium, adeoque miram in pio hoc opere dexteritatem exhibebat, ut Reginæ a confeſſionibus eſſe ſeligeretur, poſtea autem a Philippo II. Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo ad Toletanum Archiepiſcopatum in tota Hiſpania celeberrimum nominabatur, cui Eccleſiæ cum ingenti animarum Zelo tamdiu præfuit, donec a Carolo V. Imperatore, dum abdicato Imperio ſeſe ad Monaſterium ſancti Juſti recepe-

Dupin. Bibl. aut. Eccl. t. 16. p. 115.

receperat, evocaretur, atque eundem in sancto proposito firmare jussus, illi inter Christianæ pietatis signa animam exhalanti assisteret, ubi etiam animæ noxas ab hoc Cæsare contractas in sacro Tribunali eluebat, sanctisque Sacramentis ei administratis illum in extrema hac lucta adjuvabat usque ad ejus obitus diem, quæ erat vigesima prima Septembris Anni a Christi Nativitate millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

Porro hujus Principis morte etiam Caranzæ tranquillitas desiit; cum enim Carolus V. in suspicionem traheretur, quod in Religione vacillans opiniones non admodum orthodoxas foviisset, (*) hujus criminis culpa in Caranzam ejus con-

(*) Hanc fabulam, summamque injuriam jamjam explosit Maximil. Rasllerus *in vind. diplom. Ludov.* eam autem pessimæ notæ Scriptores ex leviissimis, ac mendacibus conjecturis adinvenerunt, ac postea Schardius, Thrasybulus Lepta, Landorpius, Abbas de S. Real & noviissime celebris calumniator Godefridus Ludwig Coburgensis Professor in sua Universali historia tom. I. fol. 457. adoptarunt, imo Joannes Fridericus Mayer etiam dissertationem Lipsiæ anno 1682, *de morte Caroli V. Evangelica* vulgare non erubuit, cum tamen Caroli V.

Sæcul. XVI A.C 1576.

conſcientiæ Moderatorem rejiciebatur, quapropter obtenta prius a Pontifice venia Ferdinandus de Valdez Hiſpalenſis Archiepiſcopus eundem anno a partu Virgi-

geſta, & mortem ex probatis omnibus hiſtoricis perlegenti nil magis obvium ſit, quam illius immotum Religionis ſtudium: ejusmodi veroProteſtantium commentum, quo glorioſiſſimum Cæſarem ſuæ ſectæ Proſelytum ſibi conciliare nitebantur, Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus quodammodo ignoſci poſſet, deſperatæ enim cauſſæ iniquo etiam modo patrocinium quæritur; attamen vix tolerari poteſt, quod Continuator, qui tamen ſeſe Romano-Catholicum jactitat, adeo aſſeveranter, & temere ex ſuſpectis Auctoribus divulgare audeat, quod Bartholomæus Caranza *ob Caroli V. fidem de Lutheri hæreſi ſuſpectam* carceri datus fuerit, cum tamen ex omnium probatiorum hiſtoricorum teſtimoniis conſtet, hunc Archiepiſcopum ideo comprehenſum fuiſſe, quia *ex quorumdam incarceratorum proceſſu in eum gravis ſuſpicio* de hæreticis propoſitionibus, *aut etiam hæreſis culpa reſiliiſſet*, ut teſtatur præter alios P. Quetif. t. 2. de Script. Ord. Præd. fol. 238. eique objectum fuerit, quod ſuſpectos legiſſet libros, cum hæreticis communicaſſet, & eorum dicendi modos ſecutus fuiſſet, quamvis poſtmodum teſte Odorico Raynald. in Annal

Virginis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono die vigeſima ſecunda Auguſti comprehendi juſſit, unde Caranza Valliſoleti capitur, atque in eum judicii acta inſtruuntur: cum vero judices ſuos tanquam ſuſpectos rejiceret, atque ab eorum ſententia ad Papam provocaret, Rex conſentiente Papa alios nominabat, qui in reum inquirerent, actaque in juris ordinem redacta Romam transmitterent, ut ibidem per ſententiam cauſſa decideretur: cum autem hoc negotium adeo protraheretur, ut nonniſi Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto cauſſa plene inſtructa eſſet, atque etiamnum novæ emergerent difficultates ob repugnantiam Inquiſitorum, qui ſuam exiſtimationem, ſi hoc negotium alibi, quam in Hiſpania, dijudicaretur, imminui cenſebant, & ideo nullum non movebant lapidem, ne hæc cauſſa ad Romanum tribunal devolveretur, Sæcul. XVI. A.C. 1576.

nal. ad ann. 1560. n. 23. *cauſſa ejus expenſa fuerit a Romana Inquiſitione, nihilque ſolidi repertum fuerit, ut manifeſtæ noxæ damnaretur,* imo ipſus ſuam innocentiam in mortis articulo jurata fide teſtatam reddiderit, uti ejus verba ab eodem Patre Quetif l. cit. integra fide recitantur, quæ etiam proxime ſubjiciemus.

Sæcul. XVI. A C 1576.

retur, hinc Rex approbatis eorum rationibus a Pio IV. Pontifice Deputatos obtinuit, qui litem in Hiſpania diſcuterent: igitur a Papa Cardinalis Boncompagnus, Joannes Baptiſta Caſtanea Roſſanenſis Epiſcopus, & Joannes Aldobrandinus Rotæ Auditor hanc in rem delecti Menſe Novembri Anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo quinto in Hiſpaniam veniunt, ubi cum Inquiſitionis Senatus unacum hiſce Roma deputatis Judicibus pronuntiare vellet, hi vero obſiſterent, hinc acris oriebatur contentio, qua adhuc fervente, & Pio IV. mortuo Boncompagnus feceſſit Romam reverſurus, ubi ſacris interfuit comitiis, in quibus Pius V. in Romanum Pontificem ſalutabatur, qui percepta totius negotii ſerie cauſſam ad ſuum tribunal evocavit: igitur Caranza eo abductus die vigeſima octava Maji Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo advenit, mox in arce ſancti Angeli incluſus, ubi tamen adhuc mitius, quam in Hiſpania, habebatur. Poſtea ſummus Pontifex quantocius alios nominabat Judices, qui rurſus hanc cauſſam examini ſubjicerent: verum Hiſpanicæ Inquiſitionis Procurator tot novas ſuſcitabat tricas, ut Pius V. re nondum deciſa interim fatis

fatis fungeretur: nec magis expeditum erat negotium regnante Gregorio XIII. qui nonnisi die decima quarta Aprilis anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo sexto sententiam pronuntiare poterat, qua quidem Caranza nequaquam de hæresi convictus declarabatur, ob vehementes tamen præsumptiones adversus eum pugnantes quasdam propositiones ejurare jubebatur, quamvis ipse palam profiteretur, quod illas nequaquam reprobo sensu accepisset: insuper eidem quædam preces injungebantur, atque a suo Archiepiscopatu Toletano per quinquennium suspensus Romæ in conventu sanctæ Mariæ supra Minervam persistere cogebatur, ita tamen, ut mille aureos pro sua sustentatione in singulos Menses reciperet: aſtpoſt hanc sententiam valde ignominiosam nonnisi septendecim diebus supervixit, mortuus die secunda Maji anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, ætatis vero suæ septuagesimo secundo. Hic idem, dum sanctis Ecclesiæ Sacramentis muniebatur, publice professus est, quod nec unquam sententiis sibi imputatis inhæserit, nec ullam opinionem hæreticam propugnaverit: insuper etiam læsus ipsius honor debita reparatione fuit vindicatus, atque us-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

Sæcul. XVI A.C.1576

que ad hodiernam diem ejus memoria apud omnes Viros probos, doctosque in magna veneratione, & honore celebratur (*).

Ce-

(*) Publica hujus insignis Archiepiscopi professio sibi in historia Ecclesiastica merito locum vendicare videtur, quapropter illam ex P. Quetif, qui se illam ad literam retuliſſe testatur, adjicio: *Testes appello*, inquiebat Caranza, *Curiæ cœlestis incolas, judicem accipio supremum hunc Dominum huic sanctissimo præsentem Sacramento, ipsique astantes sanctos Angelos, quos ut patronos semper colui: juro per hunc eundem Dominum, & per proximi transitus mei præsentem statum, perquirationem, quam divinæ suæ Majestati statim a me reddendam certo scio, & expecto, me toto illo tempore, quo in Religione legi, aut postmodum scripsi, prædicavi, docui, disputavi in Hispania, Germania, Anglia, ad id semper, & maxime attendisse, ut fidem Domini nostri Jesu pro virili extollerem, hæreticosque impugnarem. Placuit divinæ suæ Majestati sic me in hoc suo iuvare negotio, ut sua desuper accedente gratia hæreticos plurimos ad fidem Catholicam revocarim in Anglia, dum nostrum Regem eo fum comitatus, cujus accedente mandato præcipuorum illius temporis hæreticorum cadavera exhumari, ac cum summa sanctæ Inquisitionis*

Ceterum hic Archipræsul quædam opera, quæ eruditionis suæ, necnon Orthodoxiæ luculenta sunt monumenta, posteris reliquit, ex quibus celeber- Sæcul XVI. A.C.1576.

auctoritate cremari curavi. Catholici, & hæretici me primum fidei defensorem dixere, licet id de me asserere, vel sentire non præsumam, me tamen inter primos semper extitisse, qui sancto huic allaborarunt negotio, possum affirmare, plurimaque circa id a me peracta jussu, ac nutu Domini nostri Regis plurimorum, quæ hic refero, testis optimi: quem colui, & dilexi, colo, ac ex corde singulariter diligo, quem nec ullus e filiis suis tam firmo, tamque sincero, quo ego Majestatem suam, prosequitur, aut prosequetur amore. Præterea non modo toto vitæ meæ decursu aliquam hæresim, vel quodlibet vero, ac genuino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensui contrarium nec prædicavi, nec in ullum, de quibus me suspectum habuerunt, dicta, propositionesque meas in absonum, alienumque ab eo, quo a me prolatæ fuerant, sensum interpretantes, errorem prolapsus sum, sed juro per supradicta, perque eundem Dominum, quem mox accipiam, judicem, ne vel leviori quidem hactenus cogitatione similium, aut eorum, quæ mihi sunt in processu objecta, fuisse me contaminatum, nec circa id ullatenus a me dubitatum, aut imaginatum: sed contra legisse semper, scripsisse, docuisse,

Sæcul. XVI A. C. 1576.

berrimum est Conciliorum summa variis in urbibus iterato prælo subjecta: hoc autem opus latino sermone conscriptum succincte amplissimas complectitur res, atque in præliminaribus ejus quæstionibus quædam ultramontana reperiuntur

---

cuisse, prædicasseque firmiter, & sincere fidem hanc veram, quam modo credo, quam & moriens profiteor: nihilominus sententiam in mea caussa a Sanctitate sua datam ut justam, suscipio, & agnosco, quippe datam a Jesu Christi Vicario, quem ut talem accepi, utque talem habeo, cum judex in ea caussa, præterquam quod Jesu Christi Vicarius est, prudentissimus, rectissimus, doctissimusque sit: insuper per agonem, & transitus angustias, quas patior, non solum omnibus, qui in hac caussa adversum me partis vices sustinuere, vel quolibet modo in ea adversum me egere, libenter modo condono, & ignosco: verum & ipsis semper ignovi, quicquid in me tentaverint, ac quodcunque mihi gravamen inferre voluerint. Nunquam in Dominum nostrum peccavi, odium in eorum aliquem retinendo, quin semper pro eis Divinam Majestatem suam exoravi, & nunc ipsos omnes in corde gero ad locum, quo divino nutu divina, & superveniente misericordia migraturum me spero: coram hoc tribunali supremo adversus illorum quempiam proferam nihil, sed pro omnibus Dominum nostrum supplex orabo.

tur principia, quæ tamen in Galliis non vigent: porro ejus Catechiſmus Hiſpanice pro ſuorum Diæceſanorum inſtructione editus ſacræ Inquiſitioni minus probabatur, unde ab ea etiam cenſuris notatus fuerat: aſt cum is ad Tridentinæ Synodi Patres, qui ad examinandos libros erant deſtinati, deferretur, illi eundem anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio approbarunt, injuncto etiam mandato, ut præclaro huic Auctori honorificum daretur teſtimonium, qua tamen re Hiſpani Inquiſitores tantopere irritabantur, ut Lermenſis Comes coram Concilii Patribus queſtum veniret, atque illos ad hanc approbationem revocandam compellere niteretur: iis autem renuentibus Ilerdenſis Epiſcopus contumelioſe in hujus Congregationis Deputatos invehebatur, pluraque ex hoc libro loca producebat, quæ in eo ſenſu, quem hic Præſul eis affingebat, cenſura quidem merito notanda videbantur, mox tamen Congregationis Præſes hujus Epiſcopi invidiam indignatus coram Legatis profitebatur, ſe nunquam publico congreſſui interfuturum, niſi læſus honor congrue ſarciretur: igitur Moronus Cardinalis rem componere ſategit, præſcriptis hiſce conditionibus, ut

Sæcul XVI. A.C.1576.

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

ut nullum præfati teſtimonii exemplar publici juris fieret, Herdenſis vero Antiſtes Deputatis publica deprecatione ſatisfaceret: hac igitur ratione cenſorii judicii archetypum ei, cui antea fuit traditum, eripiebatur, totumque diſſidium plene ſopitum eſt. De cetero reliqua Caranzæ opuſcula erant inſtructio pro audiendo Miſſæ ſacrificio, & tractatus de Epiſcoporum reſidentia, quam juris divini eſſe propugnabat.

§ LXXXVI.

Cornelii Janſenii Gandavenſis Epiſcopi obitus.

Miraus de ſcript. ſæcul. XVI. elog. Val. And. in Bibl. Belg. San Marth. Gallia Chr. tom. 2. Dupin. tom. 16. p. 116.

Alter ex Scriptoribus Eccleſiaſticis hoc anno defunctis erat Cornelius Janſenius natus Hulſtæ, quæ ditionis Waes Metropolis in Flandriæ Comitatu ſita eſt. Hic Lovanii confecto literarum ſtudio pro intelligendis ſacræ Scripturæ myſteriis neceſſariam linguæ græcæ, ac hebraicæ ſcientiam ſibi comparabat, atque in Tungerloenſi Præmonſtratenſium Abbatia Theologiam tradebat, quo munere per duodecim annos functus interea ſuum commentarium de concordia Evangeliorum elucubrabat, quod opus inter cetera primum Anno reſtauratæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono prima vice imprimebatur, ac poſtea editiones quam-

quamplurimæ variis in regionibus sequebantur: in eo autem præter literalem textuum explanationem non paucæ reperiuntur adnotationes in sensum moralem, & mysticum, necnon controversæ quæstiones exactissime discussæ, quinimo haud immerito affirmari potest, quod ex omnibus commentariis, quos respublica literaria circa Evangelii historiam possidet, Jansenianus sit omnium celeberrimus, rerum copia uberrimus, ac utilitate præstantissimus: præterea eodem tempore Jansenius alium concinnabat commentarium in Salomonis proverbia, Ecclesiasticum, Cantica Canticorum, & librum Sapientiæ, quod opus primo Lugduni circa annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum, ac postea sæpius Antwerpiæ excusum prodiit: denique ex ejusdem Authoris calamo profluxit Paraphrasis in Psalmos unacum ampliſſimis notis, in quibus literalem, historicum, & Propheticum Psalmorum sensum explicans eundem textum in quolibet sensu intelligi posse demonstravit: porro textum hebraicum ferme ubique sequitur, quin tamen ad dilucidanda quædam sacræ doctrinæ loca versionem græcam negligat. Sæcul. XVI. A C. 1576.

Ceterum Jansenius, postquam in Tongerloensi Abbatia Professoris munus

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

nus cum eximia nominis sui laude obierat, apud Cortracenos Parochus ad Sanctum Martinum nominabatur, quo Pastorali munere per duodecim annos functus, atque ab omnibus suis parochianis æstimatus summopere diligebatur; nam eos solidis doctrinis, piisque exemplis ad virtutum exercitia animabat: cum autem disponente Divino Numine ad ampliores Ecclesiæ dignitates natus videretur, relicto suo Beneficio Lovanium reversus est, ubi doctoratus laurea insignitus ad Sanctum Jacobum Decanus creabatur, retento Doctoris, ac Theologiæ Professoris munere: demum præter alios a Philippo II. Universitatis Lovanienſis Deputatus ad Concilium Tridentinum mittebatur, ubi ob suam modestiam, ac sapientiam non minus, ac suam eruditionem ab omnibus maximi habitus est: inde vero reversus, ab Hispaniæ Rege in meriti sui præmium, cum a Paulo IV. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono novi Episcopatus in Flandria erigerentur, Gandavensem Sedem obtinuit, cujus tamen possessionem ob tumultus in Belgio, ex nova horum Episcopatuum erectione ortos, nonnisi Anno Christi milleſimo quingenteſimo sexageſimo octavo accepit, ac primus Gandavensis hujus Ecclesiæ Episcopus, anno post Christum na-

natum milleſimo quingenteſimo ſeptua- Sæcul XVI.
geſimo ibidem Synodum celebravit, tan- A C.1576.
dem vero huic Eccleſiæ per octo annos digne inſerviens die decima Aprilis hoc anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto in ſua Epiſcopali urbe obiit, annos ſexaginta ſex natus: porro ea, quæ in Michaelis Baji cauſſa geſſerat, jam alibi memoravimus.

§. LXXXVII.

Fata Jacobi Paiva de Andrada.

Hoc item anno Jacobus Paiva de An- *Nicol. Ant. Bibl. ſcript. Hiſp.* drada Luſitanus Theologus deceſ- *Oſorius in Præf. lib. orth. explic.* ſit, qui ex nobili Luſitanorum familia *Duvin. l. c.* ortus, illuſtrius adhuc ob ſuam erudi- *p.* 153. tionem, quam generis nobilitatem inclaruit, ac poſtquam ſacræ militiæ unice, ut ſepoſita omni dignitatum cupiditate utilius Eccleſiæ inſerviret, adſcriptus erat, præcipue ſacræ doctrinæ, & Patrum ſtudio ſeſe dicabat, ſuoque erga Religionem zelo animatus Apoſtolicas expeditiones in ſe ſuſceperat, ex quibus uberes animarum fructus reportabat, tandem vero eruditionis, ac pietatis ejus fama ad Sebaſtianum Luſitaniæ Regem delata ab eodem Principe ad Synodum Tridentinam decernebatur, ut ibidem Regis Theologum ageret, ubi etiam orationem latinam poſtea typis im-

Sæcul. XVI. A.C. 1576.

impreſſam ſecunda Dominica poſt Paſcha coram Concilii Patribus Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo habuit, ibidemque orthodoxas elucubravit explicationes, quæ ad nos transmiſſæ, decemque libris comprehenſæ Anno poſt Virginis partum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Colonienſibus literis excuſæ prodierunt: edidit quoque apologiam Concilii Tridentini adverſus Proteſtantis Chemnitii librum, cui titulus: *examen Concilii Tridentini*: præterea idem ſcripſit tria ſermonum volumina in Luſitano idiomate edita: obſervandum tamen venit, quod Paiva in ſuis orationibus potius declamatorem, quam dogmaticum egerit, nec ſemper in ſuis argumentis exactum criterium adhibuerit: interim præ omnibus ab eo ſcriptis ſolidior eſt confutatio Chemnitii. Denique hic Scriptor anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſeptimo humanis rebus valedixit.

§. LXXXVIII.

Univerſitatis Pariſienſis ſollicitudo.

Argentre collect. Jud. t. 3. p. 448.

Die decima Novembris hoc anno Artium liberalium Facultas Pariſiis habito conventu apud Sanctum Julianum de Pauperibus habito deliberabat circa duos articulos, quorum primus Bleſ-

Sæcul. XVI. A. C. 1576.

Bleſſenſia concernebat comitia, alter vero tangebat quorundam ſupplicationes, ubi Hugo Burlatus Rector volebat virum gravem deligi, qui adeat Regem, & comitiis trium Ordinum interſit: inſuper petiit, ut Bibliopolæ jurejurando adſtringantur, & coram Deputatis convocati jurent, ne amplius præbeant ſuppetias Jeſuitis: ſi vero hoc juramentum præſtare noluerint, tunc hujus ſuæ repulſæ rationes afferant: Feria autemquarta die decima tertia Decembris anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto habitis apud Mathurinos Comitiis decretum fuit, ut nonnulli eligerentur ex Academia viri, qui de illius Privilegiis, atque immunitatibus, & reliquis ad inſtituendæ Academiæ rationem, priſtinumque illius ſplendorem, ac dignitatem pertinentibus in publico trium Ordinum conventu fideliter agant apud Regem: hanc in rem nominati ſunt quatuor Theologi Doctores, fidei integritate, vitæ innocentia, & auctoritate præſtantes, necnon acri judicio, & ſingulari Doctrina præditi, iique erant Pelleterius ſummus Regis Navarræ Moderator, Faber, San-Germanus, & de la Bigne, quorum fidei res tota fuit demandata: actum præterea eſt de ratione, & modo cogendi Priorem, & Cœ-

Sæcul. XVI. A. C. 1576

nobium Mathurinenſium ad celebrandum quotannis obitum Magiſtri Roberti de Sorbona: quandoquidem Mathurinenſes id Doctoribus Theologis nuper denegarunt, hinc ſancitum, ut totum hoc, quidquid eſt negotii, ad Senatus auctoritatem referretur: decretum eſt inſuper, ut Bibliopolæ prohiberentur typis mandare, aut venditioni exponere ullos depravatæ doctrinæ libros, ejuſque rei fidem Rectori Academiæ jurato darent. Denique die decima ſeptima Menſis Novembris anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto habita ſunt privata comitia Univerſitatis apud Sorbonam, ubi ſelecti ſunt ab Univerſitate Magiſtri in Theologia, qui ipſius nomine conficerent codicillos ad regiam ſuam Majeſtatem deferendos, ut hac ratione a regia Majeſtate precibus impetraretur, quatenus unica, vera, & ſincera, Catholica nimirum, Apoſtolica, & Romana Religio paſſim in tota Gallia ſarta, tecta, atque inviolata ſervetur, adeo, ut præter illam nulla alia in Franciæ regno toleraretur: inſuper petebant, ut beneficia, Magiſtratus, atque officia nullatenus ſint venalia, ſed ea viris vitæ innocentia, morumque probitate integerrimis, & ſingulari, eximiaque doctrina conſpicuis pro ſuis meritis, honeſtæque virtutis, & laborum præ-

præmio conferantur: ad hæc cum Antonius Vivierus Parisiensis Ecclesiæ Canonicus, atque Universitatis Cancellarius quereretur, quod quidam Parisinæ Facultatis Theologicæ Licentiati honorarium, quod sibi deberi ajebat, solvere renuerent, hinc Senatus die vigesima quarta Mensis Novembris hanc in rem edito decreto Rectoris jura tuebatur, eique præfata asserebat honoraria, simulque præcipiebat, ut pro cuiuslibet Facultatis licentia media unius aurei pars eidem solveretur, ipsis nequidem Religiosis Mendicantibus exceptis. Idem quoque Cancellarius alio libello supplici die tertia ejusdem Mensis porrecto petebat, ut in omnibus congressibus, supplicationibus, publicisque functionibus in præfata Universitate celebrandis ipse ceteros præcedat, ac honoratiorem a Rectore locum obtineat; postremum tamen hunc articulum Senatus indecisum reliquit. Sæcul. XVI. A.C. 1576.

§. LXXXIX.

Torgaviense Lutheranorum conventiculum.

Interea assiduæ dissensiones inter Germaniæ Lutheranos fervebant, quapropter Saxoniæ Elector rursus ad componenda eorum dissidia hoc an- *Hospin. ad hunc annum.*

Sæcul. XVI. A.C.1576. anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Torgavii conventum celebrare cogebatur: equidem hoc conventiculum confluentium numero erat celebre, cum Germaniæ Proteſtantes ex quolibet Germaniæ angulo concurrerent, exceptis tamen Zwinglianis, & Calviniſtis, qui ab hoc congreſſu excludebantur. Ceterum hæretici ibidem congregati tanquam fidei ſuæ normam reſpiciebant Confeſſionem Auguſtanam, ejuſdemque apologiam, atque articulos Smalcaldicos, necnon majorem, & minorem Lutheri catechiſmum, novamque concordiæ formulam: porro locos communes Melanchtonis, aliosque libros rejiciebant: ex illis vero novam conſarcinabant fidei confeſſionem, quam ad Ludovicum Electorem Palatinum, ejusque Fratres, necnon Haſſiæ Landgravium illius, qui tanto tempore Lutheranos cum Zwinglianis componere irrito conatu laboraverat, Filium tranſmittebant: aſt hæc ipſa fidei forma ſuadentibus eorum Theologis ab hiſce Principibus, imo ab ipſis Holſteiniis, & Brunſwici Ducibus fuit rejecta, etiam eorumdem Theologorum cenſuris ad Saxoniæ Electorem tranſmiſſis, quapropter Schmidelinus, Chytræus, Kemnitius, aliique Torgavienſem hanc formu-

mulam rursus corrigere cogebantur (*), aliamque Bergæ procudebant, in qua declararunt, quod Corpus, & Sanguis Christi vere, ac substantialiter præsens sit, atque in Cœna unacum pane, & vino distribuatur, & æque ab impiis, quam probis recipiatur. Sæcul. XVI. A.C.1576.

§. XC.

Ubiquitas humanitatis Christi Domini a Lutheranis explicata.

In eadem hac formula dogma humanitatis Christi Domini ubiquitatem concernens explicatur, atque propugnatur in eo tamen sensu, ut nunc, cum natura humana post suam resurrectionem exaltata sit, & Christus Dominus formam servi exuens formam Dei rursus induerit, ubique nonmodo tanquam Deus, sed etiam quatenus homo præsens existat, non quidem reipsa modo terrestri, sed quatenus ex eo, quod virtus Dei totum orbem replens realiter humanitati Christi Domini communicata sit, realiter etiam & vere in Cœna præsens adesse possit, cum tamen id a nul- *Bossuet var. tom. 1. p. 483. & 491. & t. 2. passim.*

(*) Ita nempe ad varium Principum genium Protestantica fides singulis annis novam induit faciem, uti Bacchanaliorum tempore variis larvis nova spectacula hominibus exhiberi solent.

Sæcul XVI A.C.1577.

lo alio fieri valeret. Hæc formula hoc pacto die duodecima Maji anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo recuſa ad Saxoniæ Electorem, Principes, & Proteſtantes Imperii Ordines poſtea tranſmittebatur, ut eandem a ſuis Theologis (*) diſcuti, atque approbari juberent: verum Haſſiæ Landgravii, Bipontini, Anhaltini, & Magdeburgici Ducum Theologi rurſus hanc novam formam rejiciebant.

§. XCI.

Francofordienſis conventus pro concinnanda communi fidei confeſſione.

Boſſuet t. 2. p. 327.

Equidem Joannes Caſimirus Palatinus Comes Electoris frater horum Ubiquiſtarum molimina evertere intentus Menſe Septembri Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo generalem Proteſtantium Synodum Francofordiam ad Mœnum convocabat, cui omnes, qui figuratum ſenſum tuebantur, quorumve præcipuus fautor hic Prin-

(*) Ergone major fidei certitudo, firmitas, cognitio, atque infallibilitas in Principum Theologis, quam Torgavienſibus Doctoribus inerat? unde autem pauperi Lutherano certum eſſe poterat, non hos, ſed illos erraſſe, hisque Spiritum Sanctum adſtitiſſe præter privatum ſpiritum omnibus communem?

Princeps erat, exceptis Helvetiis, & Bohemis interfuere: hi tamen ſubmiſerunt ſuam declarationem, qua iis, quæ ibidem decernerentur, ſe ſubſcripturos (*) promittebant, Helvetiis vero Caſimirus per ſuum Legatum declarari juſſit, quod de illorum ſubjectione perſuaſus eſſet: porro hujus conventus intentio erat, communem fidei confeſſionem, in quam omnes convenirent, in omnibus Proteſtantium Eccleſiis ſtatuendi: id enim declarat ſermo a Comitis Palatini Deputato in hujus conſeſſus initio declamatus, necnon unanimis conſenſus omnium ceterorum, qui ex Anglia, Francia, Polonia, Hungaria, & Belgio deputati erant, quam in rem præprimis proponebantur media, quibus Ubiquiſtæ prohiberentur, ne ſuæ opinionis adverſarios publice damnarent, poſtea vero deliberatum, qua ratione hæc concordiæ formula conciperetur, & quinam Theologi ad eam confuendam eſſent ſeligendi, quibusve tandem mediis ceteræ omnes Eccleſiæ ad eam ſubſcribendam induci poſſent. Ad primum

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

(*) Seu quod idem eſt, ſe fidem acceptaturos, qualem gratioſis hiſce Dominis placuerit, was vor einen euer Excellenz befelchen: hanc autem fidem potiori jure einen Kohler-Glauben dixero.

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

igitur caput, opportunum fore censebatur, ut Philippus Sidnejus Angliæ Reginæ Legatus unacum quodam conventus hujus Deputato ad Saxonem, Palatinum, & Brandeburgicum Electores ablegaretur, unacum libello supplici, in quo eis injustitia, qua tot Ecclesiæ nondum auditæ damnarentur, ob oculos poneretur, eo potissimum nomine, cum omnes hæ fidei confessiones in doctrina consonarent, & nonnisi in modo, ac sese explicandi methodo differrent, uti ajebat Palatinus Deputatus, quamvis ipsemet satis sibi persuasum haberet, quod id falsissimum esset, atque hæ diversitates omnino in ipsa fidei summa versarentur.

Ad alterum caput, quod hujus formulæ voces ibidem adhibendas concernebat, sancitum est, *concipiendam esse fidei confessionem claram, plenam, & solidam, cum clara, ac brevi refutatione omnium hæresum hujus temporis, ita tamen temperandum esse stylum, ut Augustanæ Confessionis assecla non exacerbentur, sed potius attrahantur, quantum veritas permittit.*

Denique Zacharias Ursinus hanc formulam concipere jussus erat, sancitumque, ut illa postmodum ad Rudolphum Gaultierum, & Theodorum Bezam, quorum hic Genevensis, ille Tigurinus

rinus Miniſter erat, mitteretur, cum hi Theologi eſſent, quibus Eccleſiæ mala, ſeu reformationis ſpuriæ diſſidia, & fidei confeſſiones, quæ illam in varias ſectas ſcindunt, magis perſpectæ forent: hi ergo Miniſtelli huic formulæ poſtremam manum admovere jubebantur, poſtquam illam Theologo ab Angliæ Regina nominando exhibuerint: inſuper decretum, quod Caſimiri Principis Conſiliarii hanc concordiam ad omnes Eccleſias mitterent, ut ea ibidem legeretur, corrigeretur, atque augeretur, prout eis bene viſum fuerit: inſuper deciſum eſt, ut fidei confeſſioni ita confectæ nomine Oratoris, quem Angliæ Regina ablegaret, ad Confeſſionis Auguſtanæ Electores declaratio quædam adjungeretur, præter libellum ſupplicem nomine Conventus editum, quo condemnatio a Lutheranis intentata prohiberetur, porro in eo libello congregati jactanter hæc exponebant: „hic „Conventus ex pluribus orbis Chriſtia„ni partibus convocatus eſt, ut Papæ „auſibus obſiſtatur; nobis enim relatum „eſt, quod hic adverſus nos mo„liatur excitare potentiſſimos Chriſtia„næ Reipublicæ Principes, intelligebant „autem Cæſarem, Galliarum, & Hi„ſpaniæ Reges: aſt maxime exinde af„fligimur, quod Principes aliqui Ger-

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

Sæcul. XVI A.C. 1577.

„maniæ, eundem colentes Deum, prout „inquiebant illi, & nobiscum deteſtantes „Antichriſti Romani tyrannidem, præ„paraverint ſe ad damnandam Eccleſia„rum noſtrarum doctrinam, adeo, ut „nos inter tot mala, quibus obruimur, „ab iis etiam oppugnemur: in quorum „tamen virtute, & ſapientia meliorem „ſpei noſtræ partem repoſuimus.„

Poſtea cunctis Confeſſioni Auguſtanæ addictis, iſta exponebant, „Papa „aliis Eccleſiis dejectis non mitius aget „vobiscum Lutheranis, qua enim ra„tione vos benignius habebit, *a quibus „tamen primam plagam lethalem accepit?*„ hæc igitur verba cum Lutheranos indigitent, eos proin totius rebellionis primos Authores exſtitiſſe declarant: porro his præmiſſis propoſuere Concilium liberum, in quo ſe contra communem hoſtem unire, eique opponere poſſent; denique gementes, ſe damnari haud prius auditos, ſubdunt, quod ſola, qua disjungerentur ab Auguſtana Confeſſione, controverſia de Cœna, & præſentia reali non habeat tantum difficultatis, ut aliqui putarent, hinc injuriam ſibi fieri ajebant, dum eis objicitur, quod rejiciant Confeſſionem Auguſtanam, cum tamen eam tantum in quibuſdam locis indigere explanatione, & Lutherum ipſum, & Melanchtonem, ubi opus

pus erat, aliqua correxiſſe aſſererent. Verum omnes hæ quærelæ, ſcripta, & declarationes rurſus ſuo ſucceſſu deſtituebantur, quamvis Haſſiæ Landgravius ad procurandam hanc unionem vehementiſſimas epiſtolas ad Imperii Electores dediſſet, pariterque Ludovicus Palatinus Elector, licet ſecta Lutheranus eſſet, ad Saxoniæ, & Brandenburgi Septemviros rationes, ob quas Bergenſem formulam rejiceret, perſcripſiſſet. Sæcul. XVI. A.C.1577.

§. XCII.

Comitiorum Bleſenſium continuatio, Clerique petitum de recipienda Tridentina Synodo.

Interim Bleſis Comitia continuato fervore protrahebantur, ubi Lotharingii Principes, quos Catholici gregis quodammodo animam appellare licet, Religionis ardorem ſemper novo motu accendebant, & denuo Concilium Tridentinum promulgari per Epiſcopos petebant: verum Cathedralium Collegiorum Decani reluctabantur, veriti, ne ſuis exemptionibus ſpoliarentur, quapropter ſe haud aliter aſſenſuros ajebant, niſi prius eorum privilegiis ſat idonee cautum eſſet. Nec hanc conditionem rejecerunt Epiſcopi: unde de promulgando Concilio communis omnium concurrit aſſenſus: verum poſtquam res jam *Thu. l. 63. Avila l. 6.*

Sæcul. XVI. A. C. 1577.

jam pene confecta videbatur, omnino repente in irritum cecidit, eoquod plurium Provinciarum Deputati solemniter hujus Concilii promulgationi sese opponerent, interjecta protestatione, qua in uno momento totius consilii cursus sistebatur: insuper iidem Deputati a Cleri Secretario hujus protestationis tabulas erigi petebant, quas publici etiam juris fecerunt, qua audacia Ecclesiasticus ordo, magisque adhuc Pontifex offendebatur.

§. XCIII.

Trium Ordinum postulata Regi exposita circa Religionem.

Thu. l. 63. Spond. ad hunc annum 1577. n. 3.

In secunda Blesensium comitiorum sessione, quæ hoc anno die decima septima Januarii habebatur, trium Ordinum Deputati, & quidem Cleri nomine Viennensis Archiepiscopus, pro Nobilibus Senecajus Baro, & pro Ordine plebejo Versorius Advocatus orationem ad Regem habebant, atque eundem unaomnes hortabantur, ut in suo regno solam Religionem Catholicam conservet: præcipue vero Archiepiscopus Regem impense rogabat, ut omnes errores a sana doctrina alienos perpetuo exulare juberet, atque corruptelis in Divinum cultum irrepentibus remedium opponeret: his autem Rex paucis verbis

bis hæc repoſuit: „Placet mihi unio, „quam circa Religionis negotium, cul- „tumque Deo debitum vigere compe- „rio; unde & ego veſtris poſtulatis, ac „querelis ſatisfacere curabo:„ His ita geſtis nil niſi de ærariis, ac pecunias corradendi mediis agebatur, hancque in rem Regi ſupplex porrigebatur libellus, quo ejus Senatum reformari, & Conſiliariorum numerum ad viginti quatuor reſtringi petebant, ita tamen, ut Regiæ ſtirpis Principes, ac primi coronæ Miniſtri non comprehendantur: hujus conſilii Regi admodum moleſti auctor exſtitit Lugdunenſis Archiepiſcopus: poſtea Rex a Regni Ordinibus vigeſies centies librarum millia ſibi dari poſtulabat; aſt repulſam tulit, ubi quoque Petrus Daneſius, cum Vaurenſem Epiſcopatum Genebrardo regio linguæ hebraicæ Profeſſori cedere vellet, ſuis precibus fruſtratus eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1577.

§. XCIV.

Novum pacificationis edictum.

Exeunte Menſe Septembri novum pacificationis edictum Pictavii promulgatum eſt ſexaginta tribus articulis comprehenſum, quibus ea, quæ in prioribus edictis nimium aſpera Proteſtantibus videbantur, temperata, ac lenioribus conditionibus explanata fuere, *Avil. l. 8. Thuan. l. 64.*

Sæcul. XVI. A C 1577.

re, eo fine, ut inter utriusque Religionis ſubditos æqualitas introduceretur. (*) Hoc ergo dictum inſtante Procuratore Generali die octava Octobris in Senatu ad tabulas referebatur, plures tamen illius articuli nequaquam prælegebantur, eoquod nonniſi quasdam regni Provincias hujus Curiæ jurisdictioni haud obnoxias concernerent. Ceterum hoc edicto Politicum, ac moderatum ſtabiliebatur regimen utrique parti acceptum, ſimulque ſpuriæ, quæ ſe reformatam dicit, reformationi libertatem in Nobilium majori jurisdictione pollentium ædibus indulgebat, ita, ut ad earum domos liber unicuique pateret acceſſus: inſuper ſtatuebatur, ut eadem libertas in qualibet Præfectura, ſeu tribunitiæ poteſtatis loco vigeret, dummodo ea decem leucis a Pariſina urbe, duabus vero a loco, ubi Aula moratur, diſtaret: præterea deciſum, ut loca Veſcantini Comitatus, qui ſummi Pontificis imperio obnoxius, atque a Pro-

(*) En quomodo temporis ſucceſſu, ac nimia, quorum intereſt, indulgentia filii ancillæ cum filiis liberæ hæredes eſſe obtendant, quæ tamen æqualitas illis, qui contra ſuos legitimos Principes ſeditionem movent, nullatenus indulgenda eſſet, etſi graviſſimis rationibus ejusmodi rebellio ſuffulta videretur.

a Proteſtantibus uſurpatus erat, quantocius Sedi Apoſtolicæ reddantur, atque Naſſovienſis Domus in Arauſionenſis Principatus poſſeſſionem introducatur, præcipue vero Religio Catholica hoc edicto in illis locis, ubi nuperrimis bellis proſcripta erat, reſtaurari jubebatur, ſimulque ſancitum, ut bona Eccleſiaſtica quantocius reſtituantur. (*) Sæcul. XVI. A.C 1577.

§. XCV.

Articulus de matrimonio Sacerdotum, & Religioſorum.

Præterea alio articulo ſancitum erat, ut impoſterum nullus ob Clericorum matrimonia jam antea contracta moleſtari, aut in eum inquiri poſſet, ſimulque Magiſtratibus prohiberetur, ne in ejusmodi ſacrilegos indagarent, atque liberi ex incæſtis ejusmodi nuptiis *procreati in bona mobilia, & adventitia tam ante, quam poſt matrimonium quæſita, & in immobilia a Patre, & Matre parta ſuccedant, ita, ut Monachi, Monachæque profeſſæ ad nullam ſucceſſionem ſeu directam, ſeu collateralem admitti poſſint.*

Inſuper ſtatuebatur, ne Calviniſtis Proteſtantibus, qui jam ante in tertio, aut

(*) Quam manca ſit hujus belli hiſtoria, cuivis Thuanum, aliosque hiſtoricos perlegenti, cum faſtidio notum erit.

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

aut quarto cognationis gradu matrimonium contraxerunt, ejus rei causa molestia fiat, aut matrimonia hujusmodi in dubium revocentur, vel successione priventur, aut controversia moveatur liberis inde natis, aut nascituris: dein sancitum, ut tunc, si de matrimoniis Protestantium, quasi ea invalida, & illicita sint, lis oriatur, de iis regius judex, si reus Protestantium doctrinæ addictus sit, cognoscat: si vero non sit Calvinista, tunc res ad judicem Ecclesiasticum remittatur: quantum autem ad conjugia jam inter Protestantes in secundo, aut de secundo ad tertium gradum contracta attinet, Rex de iis, dum rogabitur, auctoritatem suam interponat, ita, ut nec ipsis, ipsorumve liberis molestia ob id in posterum inferatur, quod idem in subsequentibus edictis semper repetitum fuit

Præterea eodem edicto Parisinæ, Rothomagensi, Divionensi, aliisque Curiis, quibus permissum erat, ut ex Senatoribus partim Catholicis, partim Protestantibus constarent, hæc facultas adimebatur, aliis vero Curiis id permissum erat, ea tamen lege, ut minor esset Ministrorum Calvinistarum numerus: insuper hisce hæreticis quatuor securitatis urbes concedebantur per quatuor duntaxat annos, quibus evolutis, si ta-

si tamen cuncta in hoc edicto contenta servaverint, se hasce civitates Regi redditurus integra fide pollicerentur: porro hæ urbes erant sequentes, Monspessulanus, & Aquæmortuæ in Occidania, Niortium, & Serresium in Delphinatu, Sennæ in Provincia, Petrocorium, Regula, & Massum Virodunense in Aquitania. Denique cuncta adeo provide in hoc edicto fuere disposita, ut ad tollenda dissidia, evitandaque scandala, necnon firmandos fluctuantium animos, atque ad legum, & Magistratuum auctoritatem pristino suo vigori, ac severitati reddendam nihil prætermissum videretur: ad hæc etiam Rex, Regina ejus Mater, & Alensonii Dux hoc edictum omnino servandum, die quinta Octobris jurato spoponderunt, Rexque sui juramenti fidem conscriptis tabulis testatam reddi voluit, easque Bergeracum ad Navarræ Regem transmisit, ubi etiam cum omnium applausu receptæ fuerunt, quinimo idem Rex de hac concordia tam ingens concepit gaudium, ut illud, cum se ejus Auctorem reputaret, nonnisi proprium suum edictum nominare solitus esset, cumque ad Condæum Principem concubia nocte illius articuli deferrentur, is tam insana adeo felix nuntium ubique divulgandi cupiditate abripiebatur,

Sæcul XVI. A.C. 1577.

Sæcul. XVI. A C. 1567.

ut idem edictum eodem noctis momento accensis facibus promulgari juberet, quatenus sic solatium, quod exinde in suæ factionis socios redundabat, accelleraret. (*)

§. XCVI.

Joannis Morvillerii obitus.

Thuan. l. 64.

Absolutis hisce comitiis, ac Rege Parisios reduce non sine illius mœrore nuntiatum est, obiisse Joannem Morvillerium, qui a regio Senatu non minus, ac Lemovicensis Episcopus excludebatur, tantum ex hac caussa, quod iidem cum Guisio Duce consensisse dicerentur, quamvis hæc facti indignitas hunc Virum tantopere afflixerat, ut relicta etiam aula Blesas in patriam suam secedens, ibidem paulo post Regis discef-

(*) Profecto, si novæ hujus sectæ Patroni sibi, suæque doctrinæ adhuc novitiæ consulere voluissent, adeo tarde natalitia hujus prolis festa celebrare non debuissent, cum ab Apostolorum tempore usque ad annum 1522. sane sufficiens spatium habuissent, si prius hujus sectæ Parentes lucem aspexissent; nova autem hac lætitia sat testatum fecerant, quod eorum Religio duntaxat Catholicorum socordia, vel nimia indulgentia, ac imbecillitate, vel ad Turcarum exemplum a rebellium armorum potentia adoleverit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sceſſum moreretur. Hic quamvis tam probitate, quam prudentia clarus eſſet, nativa tamen timiditate ſua ſemper ad capeſſenda heroica conſilia minus aptus reddebatur: porro morienti adſtitit Pomponius Belleureus Cancellarius, ſuus in paucis carus amicus, qui eundem quoque in Fratrum Franciſcanorum templo Bleſis terræ mandari curavit, prout ipſe caverat teſtamenti tabulis, quas idem Belleureus exequi rogabatur. Sæcul. XVI. A C. 77.

§. XCVII.

Catholici ab Angliæ Regina Eliſabetha dire vexati.

Hucusque Eliſabetha Angliæ Regina Catholicos non adeo ſevere habebat, cum vero omnino ſibi perſuaderet, quod Guiſii inſcio Hiſpaniæ Rege connubium inter Joannem Auſtriacum, & Mariam Scotiæ Reginam conciliare, ac conjurati præprimis Manniam Scotiæ Inſulam occidentem verſus ſitam occupare niterentur, poſtea autem per Cumbriæ, Lancaſtriæ, Ciceſtriæ, & Novæ-Valliæ Comitatus exſcenſione facta in Angliam irrupturi, atque per univerſum Regnum ſeditionis vexillum erecturi eſſent, hinc ſuarum partium eſſe arbitrabatur, ut horum molitionibus obviaret, legesque, quas eidem carnalis

Thuan. l. 64. Sand. de Schism. Angl. l. 3. Cambden in vita Eliſ. Spond. hoc ann. n. 11.

Sæcul. XVI. A. C. 1577.

lis prudentia adversus Catholicos dictabat, omni severitate executioni mandari juberet: eapropter, cum antea Magistratus sacra Mysteria in Catholicorum ædibus celebrari tolerarent, nunc hi omni crudelitate Catholicos discrucare præcipiebantur, atque inter hosce innoxios primus martyrium subire cogebatur quidam Sacerdos, nomine Cuthbertus Magneus, qui capite damnatus mortis supplicio Corisopoti in sancti Stephani pago affectus est, ubi alius etiam quidam Nobilis nomine Trugionus, apud quem hic Sacerdos habitabat, proscriptis omnibus suis bonis ad perpetuos carceres damnabatur.

§. XCVIII.

Isemburgo Comiti Colonienſem Archiepiſcopatum cedenti Gebhardus Truchſeſius ſubrogatus.

Thuan. l. 65. Sanmarth. de Arch. p. Col. Michael Isselt. hist. belli Colon.

Hoc anno Colonienſis Archiepiſcopatus vacabat; Salentinus enim Isemburgicus Comes, & Paderbornenſis Episcopus, non ita pridem erat præfatæ urbis Archiepiſcopus electus, ubi ampliſſimas ditiones, & arces quasdam, atque oppida, quæ ab Antiſtitibus deceſſoribus ejus alienatæ, & oppignoratæ fuerant, pretiò perſoluto redimebat, atque ſic optime de collegio illo

se meritum exhibebat, cum vero ultimus ex illa Comitum Isenburgensium familia supereſſet, utroque Episcopatu se abdicavit, & Guilielmam Antoniam Joannis Lignei Arenbergii Comitis ante novennium in Frisia occisi filiam forma ejus captus sibi sacrilegis nuptiis copulavit: unde Paderbornensem Episcopatum, necnon Archiepiscopatum Colonienſem ultronee dimisit, statumque Ecclesiasticum exuit, ut libere uxorem ducere valeret, dum dein Ecclesiæ Paderbonensi suffectus est Henricus Saxo Archiepiscopus Bremensis, & Osnabrugensis Episcopus, ea lege, ut quotannis per trimestre in Paderbornensi, atque aliud trimestre in Osnabrugensi, reliquis vero sex Mersibus in Bremensi Diæceſi aulæ sedem haberet: porro Colonienſem Archiepiscopatum adeptus est Gebhardus Truchsesius Valburgii in Suevia Baro Wilelmi, & Joannæ Fürstenbergiæ Filius, atque Othonis Cardinalis Augustani Frater, qui anno Domini milleſimo quingenteſimo septuageſimo tertio ob ingens Catholicæ Religionis studium non sine maximo proborum luctu obiit: dum jam antea Gebhardus erat Argentinensis Decanus nominatus. Sæcul. XVI. A C. 1577.

Sæcul. XVI. A. C. 1577.

§. XCIX.

Albertus Auſtriæ Archidux Cardinalium Collegio adſcriptus.

Miræ. in elog. Ciac. vit. Pontif. t. 1. p. 51.

Interea ſummus Pontifex hoc anno Purpuratorum Collegio adſcripſit Albertum Auſtriæ Archiducem ſextum Maximiliani II. Cæſaris, & Mariæ Auſtriacæ, quæ Caroli V. Soror erat, filium viginti annos natum, cujus præclara merita Gregorius XIII. in pleno Patrum Senatu deprædicavit, atque eidem rubrum galerum ad Madritenſem urbem transmiſit, miniſterio uſus Bononienſis Senatoris Cardinali ſancti Sixti ſanguine juncti, cui pariter in mandatis datum, ut Pontificis nomine roſam ſacratam Hiſpaniæ Reginæ offerret. Porro Ormanettus Patavinus Epiſcopus, atque apud Philippum II. Sedis Apoſtolicæ Nuntius novo huic Cardinali tonſuram contulit, eique in Fratrum Hieronymianorum Eccleſia præſente Rege, totaque Aula conſuetis ſolemnitatibus galerum impoſuit. Hic idem Archidux Cardinalibus Diaconis ſub titulo ſanctæ Crucis in Jeruſalem adſcriptus vigeſimo poſt anno Cardinalitiam dignitatem dimiſit, atque Eliſabetham, Claram, Eugeniam de Auſtria, Philippi II. Regis, ac Eliſabethæ de Francia Filiam duxit, dotisque

tisque nomine Belgium Catholicæ Religioni addictum, necnon Burgundiæ Comitatum accepit. Sæcul XVI. A.C. 1577

§. C.

Pauli Aretii Cardinalis obitus.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo tres Cardinales e vivis exceſſerunt, quorum primus erat Paulus Aretius, ſeu Arezzo natione Italus in Cajetana Diæceſi ex honeſta familia natus, qui a primis infantiæ ſuæ annis jamjam præclara ſuæ probitatis ſpecimina edebat, ac ſemper modeſtia, verecundia, & eximia erga pauperes charitate conſpicuus erat: poſtquam vero juvenis Salerni, ac Bononiæ literis non ſegniter incubuerat, ac humanioribus literis, Philoſophiæ, & Theologiæ, linguarum quoque peregrinarum, Græcæ præſertim notitia imbutus erat, legum quoque ſcientiæ operam dabat, in utroque jure Doctoris Lauream conſecutus: ſubinde vero patronum cauſſarum egit tanta cum integritate, ac nominis celebritate, ut paſſim Doctor veritatis diceretur, præcipue enim non minus animo a quæſtus aviditate alieno, quam morum probitate ſua clarus erat: nihilominus hoc vitæ genus oppido pertæſus, ac ſua erga pietatem propen-

Ciacon. t. 3. pag. 1049. in Victorel. addit. Ciac.

Sæcul. XVI A.C 1577

sione incitatus anno ætatis suæ quadragesimo Neapoli Clericorum Regularium instituto nomen dedit, ac Scipionis cum Pauli nomine commutavit, posuitque tyrocinium cum Beato Andrea Avellino, quocum a Senatu Neapolitano in maximi momenti negotiis ad Philippum II. Hispaniæ Regem decernebatur, qua legatione adeo prospere fungebatur, ut Rex Catholicus illum Infula Episcopali honorare pararet. verum ille hanc dignitatem constanter recusans tandem Pii V. jussu post Scotti Cardinalis mortem Placentinum Episcopatum acceptare cogebatur, ubi etiam coacta Synodo Tridentini Concilii decreta recipi præcepit: interfuit quoque tertiæ Mediolanensi Synodo a sancto Carolo celebratæ, simulque in supplicationibus eo, quo pestis ejus Diæcesin depopulabatur, tempore decretis sanctum hunc Cardinalem nudis pedibus comitabatur: denique anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo a Pio V. quamvis absens purpura Romana decoratus titulum sanctæ Pudentianæ obtinuit, die autem septima Julii anno [illegible]ntimo Neapoli

Aubery vie de Cardin. Attichii in hist. Card.

§. CI.

§. CI.

Scipionis Rebibæ fata.

Sæcul.XVI. A.C.1577.

Alter erat Scipio Rebiba Siculus in vico inter Meſſanenſes montes ſito, cui ſancti Marci nomen eſt, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quarto natus. Hic cum Panormi literarum notitia animum inſtruxiſſet, Sacerdotio Eccleſiæ B. Mariæ, quæ de Miraculis nomen habet, relicto, Romam venit, atque a Joanne Petro Caraffa Cardinale inter domeſticos receptus eſt, ubi ejusdem opera Protonotarius Apoſtolicus primo, & mox Epiſcopus Mutilenſis in Apullia renuntiatus, Neapolim ſe contulit, ut Joannis Petri Cardinalis Caraffæ Archiepiſcopi nomine ſacras functiones obiret, & moderaretur. Is erat vir doctus, & in rebus Eccleſiaſticis apprime verſatus: propterea a Cardinale Caraffa, cum in Papam ſub nomine Pauli IV. eligeretur, Romam accerſebatur, ac primo urbanus Prætor, moxque anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Cardinalis, ac demum Piſanus Archiepiſcopus renuntiabatur: anno autem ſequenti ab eodem ſummo Pontifice Legatus a Latere in Belgium ad Philippum II. decernebatur, attamen in itinere adhuc conſtitutus ob bellum, quo Cæſarei Italiam

Ciacon. t. 3. pag. 894. Aubery l. c. Onuphr. in Paul. IV. Summont. in hiſt. Neap.

Sæcul. XVI. A. C. 1575. liam invadebant, revocatus Pisanum Archiepiscopatum Florentiæ Ducis Filio cessit, Trojensem Ecclesiam in Apulia adeptus, simulque ad Constantinopolitanum Patriarchatum nominatus: ubi autem Imperator Pontifici reconciliatus erat, ad Cæsaream suam Majestatem, & postea ad Poloniæ Regem Legatus decernebatur, ante cujus reditum Paulus IV. obierat, quo Pontifice fatis functo Scipio a Pio IV. ejusdem Successore comprehendi, atque in arce sancti Angeli includi jubebatur, eoquod criminum, quæ Caraffis imputabantur, conscius crederetur: verum comperta ejus innocentia ab eodem Papa libertati redditus alium impetravit tutum. Ceterum sedentibus Pio V. & Gregorio XIII. Pontificibus Scipio hæreticæ pravitatis Inquisitor, necnon Sabinensis Episcopus creabatur, tandem vero obtenta vix a Patrum Senatibus se subducendi facultate feria tertia die vigesima tertia Julii anno ætatis suæ septuagesimo tertio e vivis excessit, sepultusque fuit in Ecclesia Theatinorum S. Sylvestri in monte Quirinali.

§. CII.

Innocentii de Monte Cardinalis extrema.

Deni-

Denique tertius erat Innocentius de Monte, qui ignobili licet genere ortus, a Balduino tamen Julii III. Pontificis fratre, ut sanctitati suæ gratificaretur, adoptatus est; quippe huic Papæ percarus erat, cumque in illius domo simiæ cujusdam curam haberet, per ludibrium ob vile hoc munus Cardinalis *Simia* nuncupabatur: Julio autem III. ad Pontificatum evecto Innocentius licentiosæ vitæ apprime deditus sese in omnium vitiorum cœno volutabat, quapropter Cardinales hujus juvenis electionem summo Pontifici acribus verbis exprobabant, eoquod purpuræ splendor tam indigno membro obfuscaretur, unde a Pio IV. omnibus suis beneficiis exutus in sancti Angeli arcem captus abstrahitur, a Pio V. autem ejus successore in Cænobio Cassini includitur: postea vero a Gregorio XIII. libertati redditus, Romamque venire jussus ibidem S. R Ecclesiæ Diaconorum primas tulit: reliqui tamen Cardinales semper ab ejus consuetudine abhorrebant: denique hoc anno die tertia Novembris mortuus, noctuque in Ecclesia sancti Petri in Monte aureo sepultus est. Fuit Innocentius ultimus Abbas Commendatarius Cœnobii Morimundensis, nam Pius IV. Romanus Pontifex Abbatialem illum titulum, quo Innocentium

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

Ciacon. t. 3. pag. 759. Duchesne in hist. Pontif.

Sæcul. XVI A.C. 1577.

centium anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo ſpoliaverat, Monachis Ciſtercienſibus Congregationis Hetruſcæ reſtituit eodem anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo.

§. CIII.

Petri Daneſii Vaurenſis Epiſcopi mors.

Thuan. l. 64. Sanmarth. l. c. & t. 3. Galli Chriſt.

Hoc item anno pariter Petrus Daneſius Vaurenſis Epiſcopus Vir ævo ſuo celeberrimus obiit. Hic patria Parisinus ex clara familia, quæ adhucdum Pariſiis floret, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo natus hebraicæ, græcæ, & latinæ linguæ peritia inclaruit, unde a Franciſco I. Rege anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo in Collegio regio primus græci idiomatis Profeſſor nominatus hoc munus quinque circiter annis obibat, cum tanto profectu, ut ex ejus ſchola intra exiguum hoc temporis ſpatium Viri inter illius temporis Doctores longe clariſſimi prodirent: ipſe vero poſtea in Italiam ſeceſſit, ibidemque præcipue Venetiis, ubi diutius hæſit, ingens ſibi nomen comparavit, atque adhucdum in Italia commorans latino ſermone pro Franciſco I. Galliarum Rege apologeticam vulgabat epiſtolam,

ſtolam, qua diluere nitebatur probra, quæ in hunc Regem Carolus V. Cæſar Romæ coram ſummo Pontifice, & Cardinalibus in pleno Senatu congregatis effundebat. Ceterum jam alibi celebravimus gloriam, quam ſibi in Concilio Tridentino comparabat, hinc a Delphino in conſcientiæ ſuæ Moderatorem ſeligebatur, ad ipſius etiam Pariſinæ Univerſitatis emendationem eodem anno vocatus. Poſtea anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo ad Vaurenſem Epiſcopatum poſt Georgii Salvæ Diſcipuli ſui obitum nominatus vix Diæceſin ſuam ingrediebatur, cum illico nonniſi Paſtoralis ſuæ curæ officiis totus inſudaret, ac non modo ſuis ſermonibus, ſed etiam Catholicæ doctrinæ explicatione celebris aſſidue Altaris miniſteria obibat, atque ampliſſimis eleemoſynis, omnique data occaſione ſuum a quæſtu animum prorſus alienum demonſtrabat: demum ſenio gravis ſuum Epiſcopatum dimittere cogitabat, ſibique Gilbertum Genebrardum, qui cunctas veri Epiſcopi partes ſibi ſoli vendicaſſe videbatur, ſucceſſorem ſubrogari ab Henrico III. petebat, a quo etiam ultro hunc favorem obtinuit, reluctantibus licet ſecretioris Senatus Conſiliariis, quorum nullus Genebrardum admit-

Sæcul XVI. A.C.1577.

Sæcul XVI. A.C.1577.

admittere volebat: nihilominus Daneſius in Bleſenſibus comitiis porrecto libello ſupplici ſuas preces Regi exponi rogabat, imo Clerici æque, ac Nobiles ſe ejusdem votis pro viribus ſuffragaturos pollicebantur, verum plebejus Ordo ceteris duobus Ordinibus accedere renuebat, quæſito obtentu, quod Daneſii preces electionum reſtaurationi in comitiis petitæ adverſarentur: genuina tamen hujus repulſæ ratio erat, quod cauſſidicorum factio Pibraco, cui hic Epiſcopatus erat promiſſus, tanta precum efficacia faveret, ut reipſa etiam hanc Eccleſiam obtineret. Hæc ceſſio erat poſtrema Petri Daneſii actio notatu digna: poſtmodum enim nonniſi ægre animam inter diuturnos languores trahebat, tandem vero variis morbis conſumptus die vigeſima tertia Aprilis anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo mortalitatem exuit, ſepultusque fuit in Abbatia ſancti Germani de Prato, quo poſtremis vitæ ſuæ diebus ſeceſſerat. Defuncto Genebrardus fidus illius Diſcipulus oratione funebri eodem anno typis editæ parentabat. Daneſius pauca admodum ingenii ſui monumenta poſteris reliquit, nonnulli tamen eidem tractatum latinum de ritibus

tibus Ecclesiæ adscribunt, qui tamen verius Durantio Præsidi attribuitur. Sæcul. XVI. A.C 1577

§. CIV.

Ludovici Andreæ Resendii Dominicani decessus.

Ad eundem annum refertur obitus Ludovici Andreæ Resendii Doctoris Lusitani, quem alii jam Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo tertio decessisse memorant. Is Eboræ natus, adolescens adhuc sancti Dominici sodalibus se sociabat, ubi brevi magnam scientiæ famam sibi conciliabat, artis poeticæ, eloquentiæ, Theologiæ, necnon veteris historiæ notitia oppido clarus, ac postea Parisiis, & Lovanii aliquamdiu literis operam navans in hac postrema urbe arctissimum amicitiæ fœdus cum Damiano de Goes ejusdem patriæ sodali contraxit: postquam vero in Lusitaniam reversus erat, Joannes III. Rex eidem ambos suos fratres Alphonsum, & Henricum instituendos commiserat, quorum primus jam anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo primo, alter vero postea Cardinalium numero adscriptus fuerat; Henricus tamen obeunte Sebastiano juvene Rege sceptrum obtinuit. Porro Joannes III. eodem tempore a Papa facultatem impetrabat, ut

Thuan. l. c. Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Echard de Script. Ord. Præd. t. 2. p. 221.

Sæcul. XVI A C. 1577.

ut Reſendius dimiſſo Ordinis habitu beneficia poſſidere valeret, ubi mox in Eborenſi Eccleſia Canonicatum adeptus eſt: ceterum ab Henrico Regis Filio tanti habebatur, ut abſque ejus conſortio eſſe nollet, illiusque mortem non ſine maximo animi ſui luctu percipere: obierat enim paulo poſt gravi ſenio confectus: nihilominus Eboræ apud Dominicanos, quos ſemper tanquam fratres ſuos venerabatur, terræ mandari voluit. Porro inter ejus libros reperitur tractatus de Eboræ antiquitatibus ab Andrea Schotto latine redditus, præter diverſa poemata, hiſtoricas epiſtolas, & ſermones. Scripſit etiam *narrationem rerum geſtarum in India a Luſitanis anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo:* præterea vulgavit tractatum de *pace Julia*, duos libros de *Aquæductibus*, & vitam Beati Ægidii Sanctarenſis: inſuper circa annum a Chriſti nativitate milleſimum quingenteſimum ſexageſimum quintum edidit Breviarium Eborenſe recognitum, anno autem ſequenti cujusdam Provincialis Synodi Ulyſſipone celebratæ decreta in ordinem redegit. Hujus Scriptoris vitam Jacobus Meneſius Vaſconullus deſcriptam ad nos transmiſit.

§. CV.

§. CV.

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

Didacus Covarruvias mortuus.

Die vigesima septima Septembris ejusdem anni Didacus Covarruvias Madriti animam Deo reddidit. Hic Toleti natus unacum Fratre suo Antonio Toletano Canonico Salmanticæ confecto studiorum curriculo inter Hispanos tam canonicæ, quam civilis jurisprudentiæ peritia ingens sibi nomen comparabat; exiguo enim temporis spatio in decretorum studio tam uberes fecerat profectus, ut in eadem Salmanticensi Universitate juvenis adhuc jus Pontificium tradere juberetur, ac progressu temporis Burgis Prætor urbanus, necnon Granatensis Curiæ Consiliarius nominaretur, ubi etiam ob prudentiæ, ac probitatis eminentiam maximi habebatur: Anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo nono a Carolo V. Cæsare in America Episcopus in Insula Sancti Dominici nominatus hanc quidem dignitatem acceptare recusabat: ast anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono haud amplius resistere poterat Philippo II. Regi, a quo Rodericopolitanum Episcopatum acceptare compulsus, die vigesima octava Aprilis sequenti anno inauguratus est, eo-

Thu. l. 64. Morales l. antiq. Hisp. Miræus de Script. sæc. XVI. Nicol. Ant. l. c.

Sæcul. XVI. A C. 1577.

dem autem adhuc anno ad emendandam Salmanticenſem Univerſitatem deputatus decreta oppido ſalutaria condiderat: quo munere egregie functus, ad Concilium Tridentinum mittebatur, ubi ſuæ integritatis, probitatisque adeo præclara edebat ſpecimina, ut reformationis decreta inſtruendi provincia eidem demandaretur: porro ob profundam juris cognitionem vulgo nominabatur *Bartolus Hiſpanus*. Demum anno reſtauratæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto in Hiſpaniam reverſus a Philippo II. ad Segovienſem Epiſcopatum nominatus Paſtoralis curæ officia digniſſime obibat, hinc mortuo Spinoſa Cardinale ab eodem Rege ſelectus præfato Cardinali in munere Præſidis apud Caſtellæ Senatum ſucceſſerat, paulo poſt vero a Pio IV. Papa Complutum contendere jubebatur, ut in vitam, & miracula Beati Didaci, quem Philippus Rex Beatorum albo inſeri cupiebat, inquireret: denique ad Conchanum Epiſcopatum vix nominatus hujus Eccleſiæ poſſeſſionem accipere, mortis invidia præpediebatur; quippe expletis vitæ ſuæ ſexaginta quinque annis, ac duobus Menſibus mortalitatem exuit, locupletiſſimam vero Bibliothecam ſuam Collegio Sancti Salvatoris teſtamento legabat: porro corpus

pus ejus Segobiam translatum est, ibidem terræ mandandum. Ceterum omnia hujus Scriptoris opera in duobus voluminibus typis excusa prodiere. Sæcul. XVI. A.C. 1577.

§. CVI.

Continuatum Sancti Caroli studium durante pestilentia,

Interea Sanctus Carolus identidem nova suæ pietatis, charitatisque specimina edebat; cum enim grassantis pestilentiæ violentia continuo illius Diæcesin ingenti strage devastaret, non modo cuncta bona sua, sed ipsam etiam vitam pro gregis sui salute impendere paratus erat, ac ferme semper insomnis, vel si somnum capere necessitas suaderet, nonnisi in quadam sella, vel nudo assere fessis membris quietem indulgebat, atque in publica etiam platea equo insidens, ne tempus suæ sollicitudini præriperet, cibum sumebat: cum vero singulis ferme momentis sese mortis periculo exponeret, incertus rumor eum decessisse spargebat, imo hæc fama adeo late sese per universam Provinciam diffundebat, ut nonnulli Antistites jamjam pro illius anima exequias celebrarent, ac ipsemet Mediolanensis populus hisce rumoribus fidem adhibens tam acerbo cruciaretur dolore, ut sanctus

Giussano vie de S. Charles l. 4. c. 10.

Sæcul. XVI A.C. 1577.

ctus hic Præsul re comperta ad solandas prædilectas oves suas quantocius e visitationibus suis reverteretur, ubi non sine ingenti animi sui jubilo populum suum adeo obsequentem experiebatur, ut omnes eo etiam absente pietatis exercitia, quæ eis præscripserat, fideliter exercerent: cum autem idem sanctus Præsul anni sacri festivitatem a Gregorio XIII. Papa pro universa Italia concessam ad initium hujus anni post Christum natum millesimi quingentesimi septuagesimi septimi distulisset, nunc sacrum hoc tempus veræ pœnitentiæ affectu celebrabat, ac communibus, publicisque supplicationibus, quæ instituebantur, ipsemet interfuit, nudisque pedibus incedens eodem habitu vestitus erat, quo in aliis supplicationibus tempore pestis antea habitis utebatur: cum vero contagionis vehementia non nihil flaccescere inciperet, Sanctus Archipræsul universam urbem, ac Diœcesin lustrare, cunctasque ædes solemni precatione sacrare statuit, hancque in rem Pastoralem epistolam zelo vere Apostolico plenam divulgans cunctis suis Diœcesanis testatum reddidit, quod pro gregis sui salute, perinde acsi pro suis ovibus hucusque nihil laborasset, sese totum mancipare, ac totis suis viribus conari vellet, ut peccati regnum de-

deſtruatur, ac charitatis ſolium in illis ſtabiliatur. Sæcul. XVI. A.C.1577.

Denique peſte omnino ceſſante Deo publicas gratiarum laudes exſolvi præcepit, tresque jejunii dies, totidemque publicas variis in Eccleſiis ſupplicationes indicens omnes Mediolanenſes hortabatur, ut in ſacro tribuuali expiatis noxis ſuis ſacram Synaxin ea reciperent devotione, quæ ad dignam ejusmodi gratiarum actionem Deo exſolvendam neceſſaria videretur: inſuper in Eccleſia Cathedrali pro iis, qui calamitoſo hoc tempore e vivis exceſſerant, ac pro quibus hucuſque ſigillatim preces effundi haud poterant, tria exequiarum officia peragi juſſit, eademque pietatis obſequia defunctis poſtea in Parochiis, & Regularium Eccleſiis cum inſolita prorſus devotione deferebantur.

Ceterum cum Mediolanenſis Eccleſia juxta Divi Ambroſii ritum nonniſi prima Dominica jejunio verno initium dare ſoleret, atque per corruptelam vix tolerandam eadem dominica dies adeo non ſacris exercitiis dicaretur, ut potius voluptatibus, & ſpectaculis paſſim profanaretur, proin re ipſa jejunium nonniſi ſequenti feria ſecunda inchoaretur, hinc Sanctus Carolus hanc profanationem abolere ſtatuens præprimis Clerum ſuum eo inducebat, ut is quadra-

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

gesimalem abstinentiam ipsa hac prima Dominica die inciperet, tam prospero successu, ut mox Laici pium hoc Clericorum exemplum sequerentur, utque Sanctus Carolus sacrum hunc usum omnino stabilem, ac perennem redderet, hac de re edictum promulgaret postea in quodam provinciali Concilio confirmatum. Ab illo temporis articulo jam prima die dominica quadragesimale jejunium Mediolani inchoatur, atque ad triginta sex dies protrahitur: verum quantumvis Sanctus hic Archiepiscopus sua agendi ratione, quam universa Europa non sine summa admiratione deprædicabat, ingentem sanctitatis famam sibi conciliasset, nihilominus Deo illum adhuc exercitare placuit novis vexationibus, quas huic sancto Viro iidem inferebant, qui tamen ob maxima beneficia eidem plurimis titulis obstricti erant.

§. CVII.

Lites circa jurisdictionem Ecclesiasticam rursus contra Sanctum Carolum motæ.

Giuss. l. 5. c. 5 Carol. Bassap. & Ripamont. in vita S. Car.

Vix pestis violentia penitus erat extincta, cum illico novus Mediolanensium Gubernator, qui Ludovico Requesenio successerat, pristinam controversiam a duobus illius Prædecessoribus agi-

agitatam circa Jurisdictionem Ecclesiasticam denuo innovaret; jam enim primo sui regiminis anno in sanctum hunc Virum indignationem concipiebat, tum ob anathematis pœnam contra suum prædecessorem vibratam, tum propter exprobationem, quam subire cogebatur, eoquod grassante lue populum deseruisset, cum tamen eo tempore Gubernatoris præsentia oppido necessaria fuisset: huic quoque accesserant duo præcipui Senatores, quos Sanctus Borromæus ob vitæ suæ licentiam acrius increpabat: ergo hi tres unaomnes Romam quemdam Doctorem Carolo pessime affectum ablegant, ut eorum querelas contra Sanctum Archiepiscopum ad Sacram Sedem deferret: præcipua vero accusationum capita erant sequentia: I. Carolus Archiepiscopus Ecclesiasticos ab obedientia, quam Magistratus decretis circa politicum regimen, urbisque tranquillitatem latis debent, tempore pestis eximere attentabat. II. Periculosas novitates introduxit. III. Publicos ludos, choreas, & spectacula abrogavit. IV. Veterem prima quadragesimæ Dominica carnibus vescendi consuetudinem abolevit, quamvis Mediolanensi urbi diuturna hujus usus possessio suffragaretur, vi cujus eadem dies adhuc inter bachanalitia festa semper re-

Sæcul.XVI. A.C.1577.

Sæcul. XVI A. C. 1577

censebatur, ita, ut jejunii verni tempus a sequenti feria secunda inchoaretur. Insuper Gubernator nullum non movebat lapidem, ut etiam Religiosos adversus sanctum Præsulem concitaret, eoquod in sua urbe, ac Diæcesi in variis Conventibus pristinum vitæ rigorem revocasset, ac propterea quorumdam regularium odium sibi accersivisset.

Pariter nonnulli Magistratus, quos Gubernator ad sua pertraxerat studia, suas quoque querelas adversus sanctum Carolum ad Hispaniæ Regem deferebant, illumque traducebant, veluti Virum ambitiosum, ac temerarium, qui omni data occasione regiam jurisdictionem labefactare, atque regiæ auctoritati insidiari moliretur. Enimvero horum fraudibus ipsa etiam Regis Catholici religio circumveniebatur, eoquod Rex jamjam in mandatis dedisset, ut quidam sancti hujus Præsulis Ministri caperentur, atque Episcopalis jurisdictionis munia exercere prohiberentur, quinimo contra ipsum Archipræsulem famosi divulgabantur libelli injuriis, ac calumniis scatentes, quibus etiam sancti Caroli Parentes, amici, pluresque Viri alias pietatis studiosi præprimis ira concitati erant ob sparsum rumorem, quod Regis indignationem incurrisset, hinc

hinc eidem timorem injicere tentabant: verum Sanctus Carolus inter medias sævæ hujus tempestatis procellas semper animi sui serenitatem conservabat, unice contentus, quod rectæ mentis suæ testem haberet Deum, a quo sibi hanc calamitatem immitti credebat: quapropter calumniis, suorumque hostium insultibus nilnisi faustas precationes opponere statuit: cum vero hominum nequitiam Christiana hac patientia abusuram intelligeret, quemdam probatæ fidei Virum, qui Papam, & Regem de tota rei serie edoceret, Romam, necnon in Hispaniam decernere, suarum partium esse censuit. Hac provincia Carolus Basgapus ejus vitæ Historicus, ac postea Novarriensis Episcopus integra fide fungebatur; quippe summus Pontifex hasce querelas adeo flocci pendebat, ut cuncta accusationum capita ad ipsum Sanctum Archipræsulem remitteret; hic vero de his nequidem mentionem fecit, minus ullum indignationis signum edidit, unice ad Pontificem rescribens, quod summas rependeret grates pro paterna illius sollicitudine, qua ipsius famam tueri, suumque affectum erga ipsum novo specimine testatum reddere voluit. Sæcul.XVI. A.C.1577.

Sæcul. XVI. A.C. 1577.

§. CVIII.

Initia Fulienſis Congregationis a Joanne Barriero erectæ.

Threſ. chron. & hiſt. de D. Pierre de S. Romuald Feuillant t. 3. p. 679.

Hoc anno die ſecunda Maji Ordinis ſancti Bernardi reformatio ſub nomine Fulienſis Congregationis Beatiſſimæ Virginis, & Sancti Bernardi de Pœnitentia ſuum initium habuit, optulante Joanne Barriero, qui Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto in Turrenenſis Vice-Comitatus oppido Sancti Seri natus, Fulienſis Abbas in Rivienſi Diæceſi erat. Hic anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto accepta hujus beneficii poſſeſſione, ut ibidem ſtudiorum, quæ Burdegalæ, & Tholoſæ inceperat, curriculum emetiretur, Lutetiam Pariſiorum contendit, ad quam urbem adſpirantis fortunæ beneficio comitabatur percelebrem Arnaldum Oſſatum, qui ibidem Paulo Fuxienſi Toloſano Archiepiſcopo, ac poſtea Cardinali a ſecretis erat: porro cum pio ſuam Abbatiam emendandi, ſeque novæ reformationis primum executorem exhibendi propoſito unice intentus eſſet, hinc jam a longo tempore nonniſi quædam legumina modico ſale, atque aceto condita comedere, ab ipſo etiam pane, & vino abſtinere, humique cubare aſſueverat,

verat, ac primo quidem plurimos ex senioribus hujus Abbatiæ Religiosis experiebatur, qui huic reformandi desiderio obsistebant, illumque unaomnes deferebant, quinimo quatuor omnino præterlapsi sunt anni, quin vel ullum, qui vitam austeram ab eo adoptatam amplecteretur, discipulum sibi conciliare posset: nec hic stetere adversantium molimina; quippe etiam apud generalia Cistercienſium comitia accusabatur, ubi tamen cum tanta animi demissione sese purgabat, ut divini auxilii ubertas novo ejus Instituto aperte favere inciperet, quamvis illud nonnisi nono post anno confirmatum esset: interea Arnaldus Ossatus Joannem in suo hanc reformationem urgendi proposito confirmabat, eidem dissuadens, ut in cujusdam sylvæ speluncis delitescceret, prout jam dudum animo constituerat. Sæcul. XVI. A.C. 1577.

§. CIX.

Libellus supplex a Facultate Regi porrectus contra Calvinistas.

Cum Calvinistæ libertatem conscientiæ sibi indulgeri, ac suam sectam publice profitendi licentiam concedi, audacter postularent, horum temeritas Parisinam Universitatem animabat, ut die septima Septembris conventu apud Mathurinos habito deliberaret, an libello *Argentre Collect Jud. t. 2. p. 449.*

Sæcul. XVI A.C 1578.

bello ſupplici porrecto tandem Regi ſupplicaret, ut tunc, ſi cum ſpuriæ reformationis ſectatoribus, prout fama ſpargebat, pacta inire neceſſe foret, ſaltem hæc clauſula adjiceretur, quod ejusmodi pacta minime firmarentur, niſi adjuncta hac conditione, vi cujus Rex in Pariſina urbe, totaque Franciæ Inſula proſcripta omni alia ſecta unice tam publicum, quam privatum Religionis Catholicæ exercitium ſtabiliret, hacque in re vicinarum Picardiæ, & Normaniæ Provinciarum exemplum ſequeretur, quibus Rex eandem gratiam conceſſerat. Ergo communi conſenſu id a Rege eſſe petendum decernitur, hocque tenore ſupplex libellus conficitur, ut vero is benevola mente excipiretur, ſequenti feria tertia in Eccleſia Sancti Martini de campis ſolemnis decernebatur ſupplicatio, qua neceſſarium Dei auxilium imploraretur.

§. CX.

Henricus olim Cardinalis in Luſitaniæ Regem proclamatus.

Cum Sebaſtianus Luſitaniæ Rex ineunte anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo in Africano prælio occumberet, mox quatuor Gubernatores. quibus eo abſente totius regni cura fuerat demandata, mortis num-

nuntio Ulyſſipone accepto, de funeſto hoc caſu Henricum Cardinalem certiorem reddebant. Hic Aulæ tumultus pertæſus ad Alcobatienſe Monaſterium ſeceſſit, quamvis Emanuelis Luſitani Regis, & Mariæ Caſtellanæ Filius proin defuncti Regis Patruus, ac legitimus regni hæres eſſet: quamprimum vero Sebaſtiani obitum compererat, ad Luſitaniæ Metropolin contendit, ubi omnes ingenti mærore pene conſumpti videbantur: mox tamen Henricus ſolemni ritu in Regem inaugurabatur; cum vero Eccleſiaſticum ſtatum profiteretur, ac Eborenſis Archiepiſcopus, & Cardinalis, atque aliunde jamjam ſexaginta ſex annos natus eſſet, hinc ejuſdem regni Competitores quiſque pro ſe factiones conciliare incæperant: adſpirabant autem ad idem diadema præprimis Philippus II. Hiſpaniæ Rex, Philibertus Emanuel Sabaudiæ Dux, Rainutius Farneſius Dux Parmenſis, Catharina Bragantiæ Ducis conjux, Antonius Cratenſis Prior, ſpurius ejusdem Ducis Filius, Ludovicus Pax-Julienſis Dux Henrici Frater, qui licet Cardinali oppido exoſus, dextre tamen populi affectum ſibi conciliabat: inſuper de eodem regno contendebat Catharina Medicæa Henrici III. Franciæ Regis Mater, quæ tamen jus ſuum altius re-

Sæcul. XVI. A C. 1578.

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

repetens, illud ab ipsis etiam Sancii II. Lusitaniæ Regis temporibus deducere nitebatur: denique Gregorius XIII. Papa ad Lusitaniæ sceptrum adspirabat, cum hoc regnum Sedis Apostolicæ feudum esset, ac Cardinalium spolia Ecclesiæ Romanæ relinquere oporteret.

§. CXI.

Continuatum Belgii bellum ac Diploma ad Joannem Austriacum a Papa transmissum.

Thu. l. 66. Spond. hoc ann. n. 1.

Philippus II, cum interea regnum suum Lusitano diademate augendi spe detineretur, haud parum terrebatur ob ingentes armorum progressus, quibus fœderati singulis annis novas eidem urbes eripiebant: quapropter ineunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo utrinque maximi armorum apparatus instruebantur, ac præprimis Joannes Austriacus collectis omnibus viribus suis copias in aciem educere parabat: hæc cum interim gererentur, idem a summo Pontifice diploma recepit, quo tam ipse, quam omnes, qui ejus castra sequerentur, plenam suorum peccatorum condonationem a Papa receperunt, adjectis tamen quibusdam conditionibus. Sub idem tempus Alexander Farnesius Octavii Parmensis Ducis, & Margaritæ,

tæ, quæ ejusdem Joannis Soror erat, Filius plura Hiſpanorum vexilla, quæ ex Longobardia contrahebantur, ad eundem Joannem Auſtriacum adducebat; hic ergo hiſce ſuppetiis fretus fœderatos data quacunque occaſione invadere decreverat, cum ergo illos Gemblaci, quo ſua impedimenta jamjam præmiſerant, ſubſtituros intelligeret, eo deſtinabat Mansfeldium Comitem, & Octavium Gonzagam unacum duobus equitum millibus, quorum ſubſidio Namurcum caperetur, hoſtisque in itinere interceptus ad pugnam provocari poſſet. Hujus concilii executioni ſuffragabatur etiam Parmenſis Dux, unde victoriam de hoſtibus reportabat Joannes Auſtriacus, dum fœderatorum copias ſtrenue profligavit, cæſis eorum tribus millibus, captisque quamplurimis. Sæcul. XVI. A C. 1578.

§. CXII.

Proteſtantes Amſtellodami recepti, eorumque crudelitates.

Proſper hic armorum ſucceſſus nonnihil Amſtellodamenſis urbis jacturam imminuebat; quippe hæc urbs die ſecunda Februarii Arauſionenſi Principi ſeſe dederat, pactis hiſce conditionibus 1. Proteſtantibus extra urbem convenire, & intra urbem in loco profano *Thu. l. 66. Strada l. 10.*

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

fano ſuorum cadavera humo mandare liceat. II. Sex præſidiariorum cohortes a civibus dimittantur. III. Aliæ ad quadringentos, aut quingentos a Præfectis civitatis conſcribantur. IV. Sagittariorum collegia inſtaurentur. His conditionibus Amſtellodamum admiſſi quidem fuere Proteſtantes: verum vix urbem ingrediuutur, cum illico in Franciſcanos, ac Sacerdotes urbis arma capiunt, eosque urbe excedere compellunt: tum effuſo furore per templa graſſantur, ſtatuis paſſim, & ſacris imaginibus dejectis omnem priſcum cultum, quamdiu bellum duraret, abolent, ac Sanctiſſimum Sacramentum pedibus conculcant, & penitus Religionis Catholicæ ritus eliminant, falſo jactitantes, quod ad conſervandam tranquillitatem publicam ejusmodi ſacrilega agendi ratio neceſſaria eſſet. Verum hac immanitate Arauſionenſis Princeps pene innumeros hoſtes ſibi accerſebat, ſibique poſtea maximum nocumentum attrahebat.

§. CXIII.

Alenſonii Dux per Deputatos a ſe miſſos Belgii Ordinibus auxilia promittens.

Poſtea

Sæcul.XVI. A.C.1578.

Thuan. l. c. Spond. n. 2.

Postea cum victoriæ a Joanne Austriaco reportatæ fama undique diffunderetur, mox Franciscus Alensonii Dux unicus Regis Frater, qui jam pridem Belgio inhiabat, protinus ad Ordines Fugerum mittit cum mandatis, quibus se, suamque operam, & opes prolixe deferebat: equidem hoc obsequium Ordines grato animo excipientes, Ducis Deputato injungebant, ut Alensonio Duci referret, eundem rem gratam ipsis facturum, si legatos, quibuscum juncta opera consulerent, mitteret. Itaque missi protinus Antonius Sillius Rupipotii Comes, & Rochus Sorbeus Pruneus, qui cum Belgii Ordinibus circa quosdam articulos convenere. Demum Dux ad illos octo peditum millia præter mille Nobiles voluntariam militiam professos submittebat, qui tamen sæva ubique grassabantur licentia. Denique diploma edidit Alensonius, quo rationes, quibus ad arma in Belgarum favorem sumenda permotus fuerat, commentus exponebat: verum ob improbam hanc agendi rationem Philippus Hispaniæ Rex vehementer querebatur apud Henricum III. Franciæ Regem, qui tamen eidem rescripsit, quod ejus Frater sui juris esset, nec sibi integrum foret, illum comprehendere.

Sæcul XVI. A.C. 1578

§. CXIV.

Belgii Ordines ſuam rebellionem edito diplomate circa religionem excuſantes.

Imperator cum hoc bellum non minus diuturnum, quam forte Hiſpanicæ Monarchiæ funeſtum fore prævideret, inter contendentes pacem conciliare nitebatur, quam in rem Swarzemburgico Comiti injunxit, ut in Flandriam contendens totam rei conditionem ſedulo diſcuteret: hic vero præprimis duo urgebat, ut nimirum reſtaurandæ Religionis Catholicæ, atque obſequii regiæ auctoritati debiti rationem haberent: inde ergo captata occaſione Ordinum Proceres ſe purgare nitebantur, edito prolixo quodam ſcripto, cujus ſumma hæc erat: „Ad utrumque caput „abunde ſatisfecimus juxta articulos „pacificationis Gandavenſis, quæ in reli„gionis bonum facta fuit, eamque nihil „in ſe pietati veræ contrarium contine„re, ſed ſumme orthodoxam eſſe doctiſ„ſimi quique Lovanienſis Univerſitatis „Theologi affirmarunt: illam quoque „Joannes Auſtriacus ratam habuit, ac „ipſemet Hiſpaniæ Rex nuperrime con„firmavit: nihilominus ambitione Au„ſtriaci Belgium in miſeram ſervitutem „redigere ſatagentis, & improbitate Hi„ſpa-

„ſpanorum, qui penes ipſum ſunt, ef- Sæcul. XVI.
„fectum eſt, ut remedium optimum in A. C. 1578.
„tempore tum gravi malo adhibitum
„nihil profuerit: interim tamen nos
„officio noſtro defuncti ſumus: eapro-
„pter Mathiam Archiducem evocavi-
„mus, ac per ſupplices libellos deinde
„a Rege poſtulavimus, ut eum Religio-
„nis antiquæ perſtudioſum auctoritate
„ſua Gubernatorem creare, aliumve Or-
„dinibus gratum in ipſius locum ſubſti-
„tuere dignaretur: ſed ſurdas, & ad
„tam juſtas ſupplicationes ab immani-
„bus Belgii hoſtibus aures ejus obſtru-
„ctas reperimus, quamquam amicorum
„Principum, & Luſitaniæ Regis inpri-
„mis commendationem imploraverimus:
„nunc autem novo commento noſtris
„ſupplicationibus illuſum cernimus,
„nam cum datis ſubmiſſis obſequii ſupe-
„riore anno ad Regem literis juxta pa-
„cta Gandavenſia quieti publicæ conſuli
„peteremus, Sellius cum regiis literis
„vix tandem poſt ſemeſtre ex Hiſpania
„rediit, quibus tamen ad noſtrorum Or-
„dinum poſtulata reſpondebatur, acſi
„illi ſuis literis promiſerint, ipſos Ca-
„tholicam Romanam Religionem in eo
„ſtatu per Belgium reſtituturos, quo
„Caroli V. tempore fuit: id tamen pe-
„nitus cum pacificatione a Rege confir-
„mata pugnat.„ Eodem tempore Or-

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

dines Antverpiæ, ut dictis fidem facerent, suamque sinceritatem testatam redderent, novam constitutionem promulgabant die vigesimo primo Aprilis, qua denuo Gandavensis pacificationis observatio sancitur, singulis in eam jurejurando adactis, prohibeturque, ne quis cum hoste commercia habeat, nec in concionibus, sermonibusve offensionis plenas voces, aut convitia in Mathiam, Araustionensem, Ordinumque Proceres jaciat: mandabatur insuper juris Præfectis, ut in eos, qui extra Hollandiam, ac Zelandiam aliquid contra Religionem Catholicam & Apostolico-Romanam attentaverint, aut in ejus offensionem quidquam moliti fuerint, juris rigore, & executione utantur: verum hoc decretum haud quaquam prosperum successum sortiri poterat, eoquod Protestantium numerus longe prævaleret.

§. CXV.

Religiosi quibusdam Ordinum edictis obluctantes.

Thuan. l. c.

His ita peractis Ordines quantocius Clericos convocabant, eosque Sacramento adigere nitebantur, ut nuperum Gandavensis pacificationis edictum in usum deducerent: equidem omnes Belgii Præsules haud cunctan-

tur

ter hoc juramentum præſtitere: Jeſuitæ tamen, cum fidem ſuam ita obſtringere omnino renuerent, die decima octava Maji Antverpia ejecti ſunt, navigiis Mechliniam advecti, inde vero Joannis Auſtriaci juſſu Lovanium translati ſunt. Recuſabant etiam idipſum ab initio Franciſcani, ſed a ſacro Ordine perſuaſi ex iis viginti Sacramentum dicunt: novendecim vero, qui animum contra id obfirmaverunt, & in iis Cœnobii cuſtos, extra urbem relegantur: cum autem fremeret plebs, & univerſos exturbandos ſeditioſe clamaret, comprehenſis duobus ſeditioſis, qui arma quaſi in cœnobium vim facturi ſumpſerant, & iis extremo ſupplicio affectis tumultus quievit. Sæcul.XVI. A.C.1578.

Poſtea propter acres ſermones Cornelii Adriani, qui cum aliis Franciſcanis ſeſe decreto ſubjecerat, necnon ob quorumdam Fratrum, quos Laicos vocant, accuſationes rurſus in eos odium Magiſtratus adeo recruduit, ut in horum Religioſorum vitam inquiri juberet, ubi iidem multis propterea injuriis afficiebantur; quippe eorum plures de multis criminibus inſimulabantur. ac illorum tres ad ignem damnati, & totidem per urbis compita virgis cædebantur.

Sæcul.XVI. A.C.1578.

§. CXVI.

Sectæ suæ libertas Protestantibus per Ordinum edictum indulta.

Thuan. l. 66 Cum exteræ copiæ nonnisi ex Lutheranis, & Calvinistis conflatæ, propius accederent, Arausionensis Princeps inde capta occasione Ordines eo adigere statuit, ut in universo Belgio hæresin profitendi libertatem concederent: quam in rem Protestantes jam die vigesima secunda Junii supplicem porrigebant libellum, in quo causas, ob quas a Romana Ecclesia defeciissent, allegabant, multisque rationibus ostendere conabantur, duas Religiones diversas in eadem provincia citra civilis concordiæ dispendium tolerari posse: porro id primorum Christianorum, & Imperatorum quatuor in primis exemplo, qui nostro ævo in Germania eam libertatem protestantibus concesserunt, comprobare nitebantur, adducentes exemplum Franciæ, Poloniæ, Turcarum Principis, Regis Marochensis, & Pontificis ipsius, qui Judæorum Synagogas Romæ tolerare cogitur: cum vero ad hunc libellum ordines responsum ob negotii difficultatem distuliissent, illi rursus die septima Julii alterum offerunt, novisque conditionibus omnem securitatem Catholicis, & sacro Ordini polli-

pollicentur, caventque, se nihil in publicæ quietis præjudicium molituros. Sæcul.XVI. A.C.1578.

Cum ergo Ordines eorum propositionibus faciles aures præberent, edictum, quo Belgis conscientiæ libertas concedebatur, Antverpiæ die duodecima Julii fuit promulgatum, adjectis tamen hisce conditionibus. I. Hæc libertas duntaxat in illis civitatibus, quæ ea frui voluerint, locum habeat. II. Cuilibet liberum sit, hac in re facere, quicquid sibi bene visum fuerit. III Hollandi, & Zellandi contra Religionem Catholicam quicquam moliri prohibeantur. Attamen hoc edictum pacis consilia, quæ Imperator agitabat, suo successu frustrabatur, ac simul dissidia inter Belgas adeo augebat, ut tertia rebellium factio inde exurgeret.

Insuper juxta hoc edictum Antverpiæ, Bruxellis, Mechliniæ, Bergis, Bredæ, Liræ, Burgis, & Ipris, in Frisia vero passim, & in Geldria Protestantibus tam Lutheranis, quam Zwinglianis, & Calviniſtis Templa fuere attributa: equidem Campaniacus Granvellani Cardinalis Frater ab hac concessione Bruxellensem urbem, eoquod regia Principum Sedes esset, eximi petebat, tumultuante tamen plebe nihil impetrari potuit, & Campaniacus, quamvis de patria multis egregie fa-

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

ctis optime meritus in suspicionem apud seditiosos adducebatur, quod cum Granvellano Cardinale fratre suo consilia communicaret, quapropter Mense Augusto cum aliis in vincula conjicitur, & postea Gandavum captivus advehitur, prorsus indigne habitus.

§. CXVII.

Deputati pro vindicando hoc edicto ad Papam ab Ordinibus ablegati.

Thuan. l. c. Ordinum Proceres cum probe prospicerent, quod suo edicto ingens sibi Catholicorum odium accerserent, hinc ad Papam ablegabant Elbertum Leonium juris Scientia, & insigni prudentia clarum, qui causam Belgarum apud Pontificem tueretur, periculumque, quod ab obstinata Hispanorum pervicacia Belgio, & Religioni imminebat, multis verbis exponeret: verum hic Deputatus Romæ minus benigne excipiebatur, eoquod summus Pontifex constanter heroica Joannis Austriaci facta tueretur: postquam vero idem Joannes ab illis Principum Ministris, qui cum plena agendi facultate ablegati erant, eo adigeretur, ut quasdam acceptaret conditiones, per quas rerum ad Religionem spectantium decisio ad generalem conven-

ventum remittenda foret, Joannes omnino nullas conditiones admittere voluit, nisi iis legibus prius acceptatis, ut Religio nova in Belgio non reciperetur, atque Ordines præprimis arma deponerent, & Arausionensis Princeps in Hollandiam secederet. Ceterum has leges Joannes provide præscribebat, cum sciret, quod pecunia deficiente stipendia ab Ordinibus conductitio militi diu exsolvi non possent, hacque ratione eos diuturnitate belli, & affectata mora exhauriret. Sæcul. XVI. A.C. 1578.

§. CXVIII.

Dissidia inter Belgii populos.

Interea Hannonii, atque Artheſienſes, cum Lutheri, ac Calvini hæreſes ſuis Provinciis violata etiam fide ipſis data intrudi ægerrime ferrent, ſuam indignationum ſatis teſtatam reddebant, cum ſubſidia ad alendas hæreticorum copias neceſſaria ſubminiſtrare recuſarent: econtra Gandavenſes adverſus Wallonum Provincias irritati ad ſtipendia Germanis numeranda pecunias mutuo dabant, ac vi hos milites ex Hannonia, & Artheſia evocare moliebantur. Sub idem quoque tempus Hannonii, atque Artheſienſes ſumptis armis Flandriam invadebant, & occupata Menona urbe per univerſam Re- *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1578

gionem latius excurrebant, ubi poſtea aſſumpto *Male-contentorum* nomine novam conflabant factionem eorum, qui nec Joanni Auſtriaco adhærerent, nec ſe Ordinibus conjungerent: hi vero ſeſe Regi, ac Religioni fideles nominabant, palam profeſſi, quod a concepto propoſito nunquam reſilire vellent, unde haud leves oriebantur tumultus inter harum Provinciarum populos, & Gandavenſes, qui aliunde ad ſeditiones ex primævo naturæ vitio admodum propenſi erant, ſibique ſuæ factionis Ducem elegerant Joannem Imbiſium, Virum ambitione tumidum, atque avaritia non minus, quam arrogantia infamem: hi quoque Burgenſes, atque Yprenſes populos ad ſua ſtudia pellicientes, earum urbium gubernacula factionis ſuæ hominibus committebant, quod & idem in minoribus Flandriæ civitatibus præcipue Dermundæ, Aldenardæ, & Aloſti fecere: poſtea autem Clericorum bonis vel divenditis, vel ærario ſuo adjudicatis milites conſcribunt, monaſteria, Eccleſiasque evertunt, necnon Religionem Catholicam intra ditionis ſuæ fines penitus eliminant. (*) Equidem Bruxellenſes, & Ant-

(*) Ejusmodi ſeditioſæ, ac ſacrilegæ crudeli-

& Antverpienſes ad illos quantocius ſuos Oratores ablegabant, ſed eorum pertinaciam flectere haud poterant, nec majori ſucceſſu Archidux, Arauſionenſis Princeps, atque Ordinum Proceres horum rebellium audaciam compeſcere valebant; conſtanter enim Gandavenſes Catholicis tres illas Eccleſias, quas hic Sæcul. XVI. A.C. 1578.

delitates proprius ſunt Proteſtanticæ Religionis character, prout ipſemet Thuanus l. c. Scriptor Catholicis certo non favens, hiſce verbis teſtatur: *primarii cives Proteſtantium doctrinæ addicti, quo ferventius ſuum in procurando Religionis negotio ſtudium oſtentarent, nullo non contumeliæ, ac ſævitiæ genere in ſacrum ordinem, ac ceteros Catholicos conciues ſuos uſi erant, templis paſſim expilatis, imaginibus dejectis, Eccleſiaſticis urbe pulſis, ac bonis injurioſe ſpoliatis, ut nulli minus in toto Belgio pacem de nomine ſuæ urbis promulgatam ſervarent. Eorum factione ſuperiore anno effectum fuerat, ut Proceres plerique in vincula truſi eſſent, & multi etiamnum carceribus injurioſe detinerentur: ipſi ſive ut privatis cupiditatibus inſervirent, ſive ut ſe adverſus tot irritatos Proceres, & nobilitatem provinciæ imprimis, cui jam formidabiles eſſe ceperant, tuerentur, pecuniarum collationes ab Ordinibus imperatas recuſabant, & jam diu apud ſe retinuerant.*

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

hic Princeps repetebat, restituere recusabant, minus vero Nobilibus, quos captos abstraxerant, libertatem reddere volebant: inde vero innumeri pene tumultus exoriebantur.

Insuper Alensonius Dux ad illos Henricum Gussierum Bonnivetum decernebat, qui Ducis sui nomine operam suam prolixe pollicitus peteret, ut dissidia inter ipsos, ac Gallobelgicas provincias exorta arbitrio ejusdem Alensonii Andegavensis Ducis relinquerent, ac captivos in ejusdem manus traderent: praeterea eadem etiam die undecima Novembris Davidsonus Angliæ Reginæ Orator ad colloquium admissus Ecclesiarum restitutionem, & captivorum libertatem postulabat, Gandavenses hortatus, ut tandem rebus adhuc integris mature in obsequium redeant, & Ordinum decretis, ac Principis Arausionensis, qui ipsorum rebus studebat, consiliis auscultent, & bona Ecclesiasticis restituant, pacem Religionis nupero edicto in favorem Protestantium sancitam recipiant, & captivos loco neutri parti addicto, in potestate nempe suæ Majestatis, aut alterius cautione idonee accepta sistant: verum omnia hæc monita flocci habebantur, quapropter Arausionensis Princeps suarum partium esse arbitrabatur, ut ipsus hosce

sedi-

seditiosos placare tentaret: ergo die vigesima secunda Novembris Tenera-mundam venit, ubi a præcipuis Gandavensibus civibus, imo ipsis etiam Imbisianæ factionis principibus excipiebatur: postea vero idem Princeps Gandavum contendit, ubi de quibusdam articulis utrinque transactum. Sæcul. XVI. A.C. 1578.

§. CXIX.

Articuli circa Religionem inter Arausionensem Ducem, & Gandavenses initi.

Hisce articulis injungebatur, quatenus Ecclesiasticis sua bona, ac redditus reddantur, atque in urbem liber Religionis usus revocetur, ita tamen, ut I. a Catholicis supplicationes, quas per fora publica, & plateas celebrari moris erat, intra templorum limites fiant. II. Catholici sacrum Viaticum per plateas ad infirmos, citra pompam tamen, gestent. III. Festis diebus publice operarii artes suas non exerceant, nec tabernæ aperiantur, & carnes vetitis diebus in macello minime venales prostent. IV. Utrinque ab injuriis, & seditiosis vocibus, probrisque publice, & privatim, ac etiam in concionibus abstineatur. V. Utraque pars decretis Magistratus supremi intra, & extra urbem ordi- *Thuan. l. 6.*

Sæcul XVI. A. C 1578.

Ordinum Belgii juſſis obtemperet. Hiſce tumultibus ita ſedatis Ordinum ſollicitudo in flectendis nobilitatis, & Provinciarum Gallo-Belgicarum animis negotium fuit; quippe illi nullis conditionibus paci Religionis nupero edicto in favorem Proteſtantium ſtabilitæ ſubſcribere volebant, quamvis enim ad eos a Matthia Archiduce, & Ordinibus Haurecus Marchio, & Adolphus Meckerketus ablegati fuerint, nihil tamen hi ab eis impetrare potuerunt.

§. CXX.

Joannis Auſtriaci obitus.

Strad. l. 10. *Thuan. l. c. Grotius de bello Belgico.*

Speraverat equidem Joannes Auſtriacus, Hiſpaniæ Regis auctoritatem intra breve temporis ſpatium ſeſe reſtauraturum: aſt pia ejusdem vota limul, ac illius vitam invida mors ſuccidit; die enim prima Octobris hic Bellidux in ſuis caſtris prope Namurcum repentina morte ſublatus eſt, & quidem eadem die, qua olim Naupactanam, & Tunetanam victoriam reportabat. Sepeliebatur cum ingenti pompa, ac magnificentia Namurci in Eccleſia Cathedrali, inde vero poſtea corpus ejus in Hiſpaniam translatum in Eſcuriali Monaſterio prope ſepulcrum Caroli V. Patris ſui, cujus nonniſi Nothus erat Filius, deponebatur. Ceterum Joannes

nes anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo Ratisbonæ natus, cum e vivis excederet, nonnisi trigesimum secundum ætatis suæ annum attigerat. Sæcul. XVI. A C 1578.

§. CXXI.

Alexander Farnesius Parmensis Princeps Joannis Austriaci Successor.

Alexander Farnesius Parmensis Princeps Pauli III. Nepos, ac Nothæ Hispani Regis sororis Filius, cum jam antea secundas in Belgico exercitu partes obtinuisset, in Flandriæ Præfectura Joanni Austriaco nuper defuncto successerat, usquedum Catholica sua Majestas aliter decerneret: verum Philippus de hujus Principis fidelitate, rarisque animi dotibus abunde persuasus illum in eadem hac maximi momenti dignitate confirmare haud tergiversabatur; nec eum quoque ampliſſimæ spes de hoc Principe conceptæ fallebant; hic enim præprimis summa dexteritate Gallo-Belgicas Provincias sibi conciliare, atque immotum, quo hæ ad conservandam Religionem Catholicam, atque tuendum Regis obsequium flagrabant, studium in rem suam vertere satagebat, quamvis ei difficultates haud superandæ obstarent, eoquod hæ *Strad. l. 10. Tuan. l. c.*

Sæcul. XVI A.C 1578.

hæ Provinciæ Hiſpanis infenſæ haud minus in hanc Nationem odium, atque averſionem, quam ingens pro Religione, ac Regis ſui obſequio ſtudium forent: unde nullum concordiæ pactum admittere ſtatuebant, niſi prius omnes Hiſpani milites nullo excepto e Belgio exceſſiſſent: altera vero ex parte Parmenſis Dux haud obſcure prævidebat, quod dimiſſis copiis regiam auctoritatem nullatenus reſtaurare poſſet, cum Gallo-Belgicæ Provinciæ ad compeſcendos rebelles neceſſarium pecuniarum, & militum ſubſidium ſuppeditando impares eſſent.

§. CXXII.

Religionis negotia in Tranſylvania.

Hiſt. ref. Pol.

Interea ex Religionis diverſitate in Tranſylvania maximæ oriebantur diſſenſiones, quibus hoc anno ſaltem quoddam remedium opponebatur, cum hoc malum penitus ſanari haud poſſet; nam quivis ſibi pro ſuo arbitrio Religionem cudebat, ac impune inſulſiſſimis opinionibus adhærebat: inter ceteros vero Georgius Blandratus, cujus jam ſupra meminimus, ad conflanda hæc diſſidia plurimum conferebat; pernicioſus enim hic Vir, cum Geneva a Calvino ejectus eſſet, præprimis in Poloniam ſeceſſit, inde autem in Tranſylvania aſylum quæ-

quæsivit, ubi postea Franciscus Davidis ejus discipulus impiissimi Arii dogmata innovavit, & præter blasphemas doctrinas, quas ipsi Blandratus adversus Christi Divinitatem inspiraverat, insuper ad tanta deliria prorupit, ut non modo tres in Deo Personas, necnon divinitatem Christo Domino abnegaret, sed etiam Christum Dominum nec adorandum, nec ullo religioso cultu honorandum propugnaret: verum Christophorus Batthorius, qui Stephano Fratri suo in Poloniæ Regem electo successerat, ad tuendam Religionem Catholicam a Jesuitis, quos maximi habebat, plurimum excitabatur, illisque Claudiopoli, seu Colosvariæ, in qua urbe Unitarii ceteris prævalebant, Collegium erexit, hacque in occasione præclara suæ Orthodoxiæ specimina edens, nullum non movit lapidem, ut excultis subditorum suorum ingeniis quemdam ad Catholicam doctrinam amorem illis inspiraret, eosque proposita fidei veritate ab errore retraheret, sensimque præpediret, ne Davididis fraudibus deciperentur. Sæcul. XVI. A C. 1578.

§. CXXIII.

Tordense Unitariorum Ministrorum Conciliabulum.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Hunc in finem Christophorus hoc anno Provinciæ comitia celebrabat, in quibus pernicioſa hac doctrina omnino damnata Davididem illius Auctorem unacum omnibus impiæ hujus ſectæ fautoribus proſcripſit: nihilominus adeo providum hujus Principis conſilium graſſantis mali impetum ſiſtere haud poterat, quippe altercationibus exinde inter Unitarios magis adhuc terveſcentibus Tordæ anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo hi Sectarii conciliabulum habebant, ad quod centum, & viginti Unitariorum Præcones convenerant, atque inter eos Davidis Colosvarienſis Miniſtellus ibidem impia ſua dogmata cum ſumma pervicacia propugnabat, & Chriſtum Dominum eſſe adorandum, omnino pernegabat: ceteri quoque Baptiſmum parvulis eſſe neceſſarium perfricta fronte inficiabantur: equidem Blandratus nil intentatum, inauſumque reliquit, ut Davididem ad priſtinam opinionem ſuam revocaret: aſt fruſtraneus erat illius conatus, quippe Davidis ſibi ſupremi Magiſtri auctoritatem arrogans totus in eo erat, ut ſolus omnium animis dominaretur, qua quidem ſuperbia Blandratus vehementer exacerbatus omnes adulterinæ reformationis Eccleſias tam in Hungaria, & Tranſylva-

Hiſt. Ref. Pol.

sylvania, quam in Polonia adversus eum concitabat: attamen Davidis, cum ob verborum strepitus neutiquam animum despondere, minus vero a suis deliriis recedere assuetus esset, omnia probra sibi imputata elusit, ac cunctos, qui sese ei opponebant, ad disputandum provocans plurimos sibi Discipulos conciliabat: cum vero Blandratus sectæ hujus progressus sistere adlaboraret, atque ad exequendum hoc consilium præter Faustum Socinum inter Doctores nullum alium magis idoneum crederet, hinc datis ad eundem literis illum rogabat, ut ad opem ferendam accurreret. Annuit Faustus, hocque anno Tordam venit, ubi Blandratus magis secundum consilii successum sperans Faustum Socinum in ipsa Davididis domo diversari jussit, eo fine, ut ambo singulis diebus unius Mensæ, atque assiduæ societatis opportunitate uterentur, proin eo facilius Faustus hunc hæreticum revocare, atque ad ejurandos errores suos inducere posset. Verum Faustus Socinus nec ingenii sui acie, nec sua dexteritate, & astutia, nec comitate sua superbi hujus Viri pertinaciam frangere poterat, sed potius summopere mirari licuit, quod paulo post ipsemet Blandratus Davididis errores amplexatus fuerit, qua agendi ratione, cum

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

antea in Transylvania ubiquistarum caput esset, nunc illorum membrum, factus ex genuino Trinitiario sese Pauli Samosateni Discipulum professus est, ac Christum Dominum nequidem tanquam hominem eximium præ ceteris hominibus ob suas prærogativas superiorem, ac singulari veneratione dignum agnovit, sed duntaxat hominem ceteris omnino similem, ac nullo alio cultu, quam reliquis omnibus hominibus debito, & communi venerandum propugnavit, ubi non defuere sacrilegæ hujus opinionis Sectatores, ac Ministri, qui eam palam profitebantur.

§. CXXIV.

Franciscus Davidis coram Transylvaniæ Principe accusatus

Sandius Bibl. Antitrinit. p. 56. Rossius de Atheisc. Evangelist.

Verum adhuc plures alii adversus errores adeo horrendos insurgebant, eorumque Auctorem e medio tollere decernebant, quamobrem Davididem coram Christophoro Battorio accusabant, quod in regno seditionem conflare, novasque, atque impias in Ecclesia doctrinas spargere moliretur: igitur perceptis accusationum articulis hic Princeps Davididem Decidavanæ arci includi jussit, ubi infelix hic homo mœrore, ac reæ conscientiæ stimulis excruciatus in phrænesin, & caninam rabiem

rabiem incidit, omnique momento mil- Sæcul. XVI.
le, ac teterrima ſpectra, quæ ad ipſum A.C 1578.
torquendum præſto eſſent, ſe conſpicere arbitrabatur: porro cum eum ſuorum amicorum nonnulli hortarentur, ut ad Chriſti Domini Mediatoris ſui auxilium confugeret, ipſiusque opem apud Deum Patrem ſuum imploraret, hic in furorem actus eisdem repoſuit: „nunquam invocabo hominem, cujus „poteſtas adeo infirma eſt, ut ſeſe ab „hoſtium ſuorum manibus nec præſer„vare, nec liberare potuerit: ſi enim hic „invocandus eſſet, non minus etiam „ſancti forent implorandi, adeo, ut ſic „Papiſtarum ſectam profiteri neceſſe „eſſet.„ Demum inter horrendas ejusmodi blasphemias die decima quinta Novembris anno ſequenti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono collabentibus ædificii muris oppreſſus ſceleratam evomuit animam, ſimilemque vitæ finem ob ſummam ſuam ſuperbiam, blasphemias, ac frequentem ſectæ variationem omnino promeritus eſt; quippe primo Lutheri, & Sacramentariorum, dein Arii, & Tritheitarum hæreſi, ac demum Samoſatenæ impietati nomen dedit, quinimo ob nova ſua, eaque impia dogmata quodammodo Judaicam ſuperſtitionem profeſſus dici poteſt: tale nihilominus monſtrum Unitarii in Tran-

Sæcul. XVI A.C. 1578.

sylvania, velut heroem inter suos celeberrimum deprædicant, ac Sociniani eundem tanquam egregium suæ sectæ Patronum habere gloriantur.

§. CXXV.

Davidis interitus, ejusque opera.

Saud. l. c. Spond. hoc ann. n. 17. Paleol. Confess. Jud. Eccl. Pol. pag. 232. Possev. sect. 3. cap. 7.

Scripsit Davidis quædam opuscula, atque inter alia præcipue hæc erant. I. Epistola ad Poloniæ Ecclesias circa quæstionem de millenario Christi regno in terris: data erat hæc epistola Albæ Juliæ Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo: nondum tamen typis excusa prodiit. II. Tractatus de Dualitate in tria capita divisus, cui adjungitur quædam dissertatio, qua ostenditur, quod unus, solusque Deus Israel, Christi Pater, nullusque alius sit invocandus: porro in hoc opusculo, quindecim theses continentur, quæ in Tordensi Synodo fuerant propositæ. III. Alius tractatus unacum adnotationibus in quasdam Blandrati assertiones. IV. Tres Theses, quibus triginta alias Blandratus opposuisse dicitur. V. Libellum etiam edidit, in quo triginta illas Blandrati propositiones impugnat, asseritque, quod Christus Dominus nunc Deus appellari nequeat, ac proin, cum Deus non sit, etiam non invocari valeat; præterea affirmat, quod Lutherus, & Calvi-

Calvinus de juſtificatione, & Prædeſtinatione perperam ſenſerint: inſuper loquitur de regno Meſſiæ, ſtatuitque, quod Prophetæ, qui Chriſtum nobis prædixerunt, nonniſi ex conjecturis, ac divinando de eo ſermonem habuerint. Sacrilegum hoc opus anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo typis vulgatum eſt: porro Poſſevinus teſtatur, quod idem Davidis ſexdecim theſium Author fuerit, atque in earum prima Chriſtum Dominum vere ſancti Joſephi Filium exſtitiſſe affirmarit, in undecima vero tradiderit, quod Chriſto Domino non alius deferendus ſit cultus, quam is, qui eidem præſtatur per præceptorum ſuorum obſervantiam, hæ tamen theſes, prout vero ſimile videtur, non niſi exiguo tempore ante ejus obitum vulgatæ fuerunt. Ceterum Davidis edidit quoque alias quatuor theſes Fauſto Socino propoſitas, quibus comprobatum reddere nititur, quod Chriſtus Dominus in noſtris precibus non ſit invocandus: denique alio ſcripto ea, quæ Fauſtus Socinus ad quatuor haſce Theſes reſpondit, confutabat, porro poſtrema duo hæc opuſcula in Davididis apologia Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo octogeſimo typis excuſa publici juris fuerunt facta.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

§. CXXVI.

Concordia cum Protestantibus in Occidania, & Delphinatu inita.

Thuan. l. 66. Vie du Connest. de l'Esdiguieres l. 1.

Interea Diguierius Delphinatus Prætor Catholicos cum Protestantibus componere, atque nuperi edicti executionem in Galliis urgere adlaborabat, Bellogardius vero Marescallus, cum frustra pacem conciliare niteretur, Villanovam prope Avenionem secessit. Sub idem quoque tempus datum fuerat negotium Joanni Monlucio Valentiæ cavarum, ubi tunc erat, Episcopo, ut per Septimaniam edicti executionem procuraret, qua de re ille cum Bellogardio, & Simiano Gordio ipse egerat; missoque in aulam Ralieto, ut mandata a Rege acciperet, iis decima tertia Kalendis Martii acceptis Uticam se contulit, ubi Protestantes, ad seditionem promptos offendit, quos habita oratione utcunque placavit, pactumque die quinta Aprilis acceptari curavit, quo sancitum, ut edictum Mense Septembri anni prioris conditum religiose servetur: insuper Laurentius Maugironus colloquio Buxeti in Delphinatu habito cum Diguierio convenit, ut tamdiu, donec edictum plene executioni demandatum esset, Protestantes in Delphinatu loca, quæ tenebant, ser-

vare

vare posſent, illisque duo aureorum mil- Sæcul.XVI.
lia per ſingulos menſes ad alenda præ- A.C.1578.
ſidia pro ſua defenſione a Rege exſolve-
rentur: id vero, ubi ex ipſius literis in
aula cognitum eſt, Regina parens ægerrime tulit, & magnum negotio a ſe apud Navarræ Regem ſuſcepto præjudicium fieri rata, apud Regem graviter ea de re expoſtulabat, ac propterea ſeverius cum Maugirono actum iri plerique exiſtimavere, ſed filii ſui favor, qui patri præfecturam conciliaverat, eum a juſta Regis ira protexit. Tandem vero Maugironus hanc rem meliori, quo potuit modo compoſuit.

§. CXXVII.

Reginæ Matris iter in Aquitaniam ad reducendum Navarræ Regem.

Paulo poſt Regina Mater in Aquitaniam profecta eſt, eamque comitabatur Margarita Regina Navarræ Regis conjux, quæ ad Maritum ſuum accedendi veniam jam dudum efflagitabat: itaque Regina Burdegalam veniens ibidem cum ſumma magnificentia excipitur, inde vero quosdam ablegabat, qui cum Proteſtantium Deputatis apud Navarræ Regem commorantibus agerent: verum hic Rex ob adverſas regni ſui viciſſitudines ad acceptandam pacem veluti vi adactum ſeſe cernebat, cum

Mem. de la Reine Marg. l. 3. Matthieu l. 7. Avila l. 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

ad bellum gerendum viribus impar esset: nihilominus eodem tempore clam privatas fovebat dissensiones, ratus, quod hæ sensim ad hostiles invasiones aditum pararent, earumque ope ipsemet suam, suorumque fautorum auctoritatem stabilire posset.

Interea Ministri, qui unacum Regina Matre advenerant, necnon Protestantium Ecclesiarum Deputati initium fecere Neracensi colloquio, quod ad potissimam hyemis partem protractum nonnisi postrema Februarii die anno sequenti absolvebatur: mense autem Julio priusquam hoc colloquium inciperet, Curia partim ex Catholicis, partim ex Protestantibus conflata juxta vigesimum secundum Bergeracensis edicti articulum Aginni erigebatur. Hæc curia duodecim Consiliariis, & duobus Præsidibus constabat, quorum unus Catholicæ Religioni, alter vero Calvini sectæ addictus erat, iique nullam sententiam proferre poterant, nisi ex Protestantibus pars tertia Judicum, qui causam exciperent, assisteret: attamen factionum æmulatio necessario in ejusmodi Curia adeo turbida prædominabatur, ut semper, quotiescunque suffragia ferre oportebat, acres exorirentur verborum contentiones, quæ rectum justitiæ ordinem interturbabant: unde

unde paulopoſt adventantibus Deputatis, quos Pariſienſis Senatus juxta edictum nominabat, hæc Curia ſupprimebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1578.

§. CXXVIII.

Bellum inter Catholicos, & Proteſtantes in Avenionenſi Comitatu.

Cum paci regno reddendæ inſudaretur, interea belli furor in Avenionenſi Comitatu in apertas erumpebat flammas, opitulantibus Papæ Miniſtris, qui Proteſtantibus quicquam indulgere recuſabant: cum autem utriusque partis Proceres hanc ditionem innumeris calamitatibus expoſitam deplorarent, quosdam Nemauſum vicinam urbem ablegant, ut hæc diſſidia dirimendi media excogitarentur, ubi diu, acriterque diſceptatur, an Proteſtantibus, prout poſtulabant, in ſummi Pontificis ditionibus publicos cætus habendi libertas concederetur, tandem vero die octava Novembris pacificatio ſanciebatur, viginti duobus comprehenſa articulis, quorum præcipui erant ſequentes. *Thu. l. 66.*

§. CXXIX.

Sancitis concordiæ articulis bello finis impoſitus.

I. Nemini propter Religionem moleſtia fiat, II. Proteſtantes bonis, poſſeſſionibus, ac dignitatibus, a quibus *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

bus ob eam cauſſam dejecti fuerant, reſtituantur. III. In his, ſi forte turbarentur, aut quo minus iis libere uti frui poſſint, impedirentur, tunc in poſſeſſionem bonorum, quæ pontificiæ ditionis ſubditi in ditione regia habent, per Judices locorum ad primum poſtulatum mittantur. IV. Præter id, quod capite quadrageſimo ſexto ſecretorum articulorum Bergeraci anno ſuperiore conventorum cautum erat, & tunc repetitum eſt, nunc inſuper caveatur, ut Caprarienſes, aliique vicini ob religionis cauſam olim tantopere exagitati eodem pacis beneficio comprehenſi intelligantur, iisque bonorum ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ablatorum legitima reſtitutio fiat juxta arbitros, de quibus inter partes conveniatur. V. Liberum ſit cuilibet bona ſua vendere, ſi vero Proteſtantes bona ſua, quæ in Pontificis ditionibus ſita ſunt, vendere velint, tunc Collegia, & Syndici locorum, in quibus illa ſita ſunt, ea præſenti pecunia, ac juſto pretio emere teneantur. VI. Proteſtantes, dum petent reſtitui, ut a jurejurando ſolvantur, a judicibus Eccleſiaſticis minime petere obſtringantur. VII. De controverſiis Proteſtantium tam civilibus, quum criminalibus non ad pontificiæ ditionis judices, quippe ſuſpectos, ſed ad Nemauſenſe tribunal, &, dum

dum appellabitur, ad cameram tripar- Sæcul. XVI.
titam in Septimania a Rege conſtitu- A.C.1578.
tam eatur. VIII. Judices utrobique non vice regia, ſed tanquam a Pontifice delegati judicent. IX. Poſtremo conventum, ut conditiones a pontificiæ ditionis Ordinibus ratæ haberentur, & jurejurando firmarentur. Juxta hoſce articulos juſſu, ac mandati Armeniaci Cardinalis, & Dominici Grimaldi, qui provinciæ pontificiæ Rector erat, Ordines pridie Calendis Decembris in Epiſcopi ædibus Nemauſi convenire jubebantur, ubi etiam congregati ea, quæ concluſerant, unanimi conſenſu probaverunt, & inſuper, ſi quidem iis contra iretur, neque Proteſtantes bonis ſuis reſtituerentur, ut hujus Provinciæ Proteſtantes in bonorum poſſeſſionem, quæ Pontificis ſubditi in Regis ditione habent, ad primum poſtulatum a judice regio mittantur. Henricus Rex tanquam pontificiarum ditionum in regno protector, ſicuti convenerat, hoc idem Nemauſenſe pactum, cum Ollinvillæ eſſet, ratum habuit, & Papa quoque, qui jam ante biennium de reſtitutione bonorum per bella, aut in ærario publico adjudicatorum, aut quavis alia ratione Proteſtantibus ablatorum caverat, novo diplomate ſeptima Idus Februarii anni ſequentis ea, quæ hucuſque geſta fuere, confirmavit.

In-

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

Insuper alius adhuc sponsore Damvilla Duce sanciebatur articulus, qui tamen adhuc, ne Pontificem ad conditiones adeo iniquas vi adactum fuisse innotesceret, omnino secretus habebatur, vi cujus conventum, ut Avenionenses cives ob damna in hoc bello Arausionensibus subditis illata ad sarciendas eorum ruinas, & Præsidii necessitatem levandam, mille aureos quotannis penderent, quod diu postea accurate observabatur, hocque pacto in Avenionensi Comitatu pax restituta est.

§. CXXX.

Cardinales a Gregorio XIII creati.

Ciacon. in vit. Pontif. tom. 4. p. 54.

Hoc item anno die vigesima Februarii summus Pontifex novem Præsules Romana purpura decorabat, quorum primus erat Alexander Riarius Bononiensis, Patriarcha Alexandrinus, Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Mariæ in Ara Cæli. II. Claudius Abaume, seu de la Baume in Comitatu Burgundiæ ortus, & Claudii Domini de de Saint Sorlin Velleris aurei Equitis Filius Bisuntinus Archiepiscopus, ac dein Cardinalis Presbyter tit. Sanctæ Pudentianæ, isque Roma absens erat, dum Cardinalium Collegio adscribebatur. III. Ludovicus II. de Lotharingia Francisci Guisii Ducis in Aurelianensi obsidione

ne anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio a Poltrono occisi, necnon Annæ Estensis Filius, ac postea Rhemensis Archiepiscopus, & denique Presbyter Cardinalis, qui titulo caruit, eoquod Romam nunquam accessisset. Hic Torquatus eques Ordinis Sancti Spiritus Blesis comitiorum tempore Franciæ Regis jussu interemptus est. IV. Gerardus Grousbroeck ex nobili Geldrensium familia ortus, Episcopus, ac Princeps Leodiensis, Presbyter Cardinalis. V. Renatus Birragus Mediolanensis Franciæ Cancellarius, Vaurensis Episcopus, & Ordinis Sancti Spiritus Eques, qui ad Mensis Septembris exitum regia sigilla abdicavit, eaque postmodum collata fuere Philippo Huraldo Chivernio. VI Petrus de Deza Hispanus natione Hispalinatus, qui opera Philippi II. Cardinalis creabatur, eoquod idem Rex Petrum amovere vellet a Granatensi urbe, cujus Præfectura fungebatur, nam cum Mondejaro Marchione illius Gubernatore continua fovebat diffidia: itaque primo Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Priscæ, ac demum Sancti Laurentii in Lucina, necnon Albanensis Episcopus renuntiabatur, VII. Ferdinandus de Oropesa Hispanus, qui tamen hanc dignitatem recusans suæ repulsæ ra-

Sæcul.XVI. A.C.1578.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

rationes ſummo Pontifici perſcripſit. VIII. Carolus de Lotharingia Valemontius natione Gallus, ac Ludovicæ Galliarum Reginæ Frater Tullenſis Epiſcopus, atque Ordinis Sancti Spiritus eques, & demum Cardinalis Diaconus titulo Sanctæ Mariæ in Dominica. Denique nonus erat Joannes Vincentius Gonzaga Melitenſis Eques, Cardinalis Diaconus titulo Sancti Gregorii, poſtea Sanctæ Mariæ in Coſmedin, ac demum Presbyter Cardinalis titulo Sancti Alexii.

Exeunte hoc anno rurſus Pontifex, cum jam ſexta vice intra Pontificatus ſui annos Sacrum Collegium auxerat, unum Cardinalem creabat, qui erat Caſparus Quiroga Hiſpanus ex Abulenſi Diæceſi Alvareſii de Quiroga Filius, qui primo Conchenſis Epiſcopus, ac poſtea Toletanus Archipræſul, ſupremus Inquiſitor, & Caſtellæ Cancellarius, demum, licet abſens, Cardinalis tit. Sanctæ Balbinæ renuntiatus eſt.

§. CXXXI.

Ludovici Lotharingii Guiſii Cardinalis obitus.

Ciac. tom. 3. p. 796. Aubery hiſt. des Cardin.

Sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno nonniſi trium Cardinalium jactaram deplorabat, quos inter primus erat Ludovicus de Lotharingia Cardinalis

nalis Guisius Claudii hujus nominis primi Guisii Ducis, Comitis Aumaliæ, & Ellebovii, Magni Franciæ Camerarii, ac Burgundiæ Proregis, & Antoniæ Borboniæ Filius. Is natus erat Joinvillæ in ditionis Lotharingicæ Principatu die vigesima prima Octobris anno Domini milesimo quingentesimo vigesimo septimo, qui anno decimo octavo suæ ætatis, salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quinto Trecensis Episcopus eligebatur, dein vero Albiensis Præsul anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo, & demum Diaconus Cardinalis sine titulo a Julio III. Romano Pontifice renuntiatus est anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio: postea sub Paulo IV. Ecclesiæ S. Thomæ in Parione Diaconus primo, ac mox Presbyter Cardinalis præfuit: ad Archiepiscopatum Senonensem anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo translatus Ecclesiam Albiensem, quam antea administrabat, Laurentio Cardinali regendam cessit, elapsoque biennio Senonensem quoque Nicolao Pelleveo postea Cardinali reliquit. Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Obtinuit is præter Moissacensem, & Burgoliensem etiam Abbatias Sancti Victoris, & Sancti Germani Antissiodorensis, demumque interfuit comitiis

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Pontificiis, in quibus Paulus IV. Romæ anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Pontifex Romanus renuntiatus est: anno autem post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo octavo Ludovicus ad Metensem Episcopatum nominatus erat, ubi sacro oleo in Rhemensi Ecclesia tum sede vacante Henricum III. Regem inunxit die quinta Februarii anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto. Denique Parisiis ob varia negotia subsistens ad Superos sextas Kalendas Aprilis abiit anno suæ ætatis quinquagesimo sexto, Christi autem millesimo quingentesimo septuagesimo octavo. Corpus ejus ad Ecclesiam Abbatiæ S. Victoris delatum in Choro Ecclesiæ a latere sinistro majoris Altaris sepultum est.

§. CXXXII.

Madrutii Cardinalis Tridentini Episcopi mors.

Ciac. p. 686. Jan. Pyrrhus de Episc. Trid. Sacchini in hist. Soc. Pallav. hist. Conc. Trid.

Alter erat Christophorus Madrutius, cujus in Concilii Tridentini historia frequens occurrebat mentio, ac vulgo Tridentinus nominabatur Cardinalis, eoquod hujus urbis Episcopus esset. Hic Joannis Gaudentii Liberi Baronis de Madrutio, ac hæreditarii Tyrolensis Comitatus Pincernæ, necnon Veronicæ

cæ de Fugger Filius Menſe Julio anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo duodecimo Tridenti primam lucem aſpexit, & Bononiæ adoleſcens literis incumbens habuit ſtudiorum ſocios Hugonem Boncompagnum, Alexandrum Farneſium, Othonem Truchſeſium, & Stanislaum Hoſium, qui omnes poſtea ad Cardinalatum evecti ſunt: inde vero reverſus in patriam primo Canonicus, mox Decanus, & dein annos natus octodecim ipſius civitatis Tridentinæ Epiſcopus, & Princeps eligitur, quam urbem, & Eccleſiam ſumma cum laude per multos annos unacum Brixienſi, quæ paulo poſt eidem commiſſa eſt, adminiſtravit, ubi pietatis, doctrinæ, & munificentiæ non pauca reliquit monumenta, quæ cum Paulo III. Romano Pontifici innoteſcerent, die ultima Maji anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſecundi in Presbyterum Cardinalem ſeligebatur, ſed nonniſi quinta nonas Julii anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi quarti Pontificio diplomate, quamvis abſens declaratus, & tunc, cum Romam veniſſet die ſeptima januarii anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi quinti in publico Purpuratorum Senatu a Pontifice Romana purpura ornatus eſt, mox vero ſummi Pontificis juſſu Tridentum profectus primæ

Sæcul. XVI. A. C. 1578.

Sæcul.XVI. A.C.1578. Concilii Tridentini seſſioni in propria Eccleſia cum aliis Patribus celebratæ interfuit: anno autem milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto Romam a Carolo Cæſare miſſus, eundem Paulum Pontificem Religionis, & amicitiæ nomine ad ferendam opem pro bello Proteſtantibus, qui Germaniam peſſimorum dogmatum falſa doctrina inficiebant, inferendo ſollicitabat, atque ad Synodum regnante Julio III. reverſus ſub Pio IV. ad titulum S. Chryſogoni, & ex eo ad Sanctæ Mariæ Transtyberim translatus, Epiſcopatum Albanenſem primo, & poſtea Sabinenſem, mox vero Prænestinum, præter Picenam Legationem prudentiſſime moderatus eſt: demum Portuenſis Epiſcopus, ſacrique Collegii Decanus nominabatur. Cum vero Roma ob graves infirmitates ſuas aeris mutandi gratia Tibur proficiſceretur, ibidem ætatis agens annum ſexageſimum ſextum feria ſecunda, nonis Julii anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo moritur, cujus corpus, quod integrum inventum eſt triennio poſt, forma ad Majeſtatem compoſita, Romam defertur, & in Eccleſia S. Onuphrii in Madruciæ familiæ ſacello ſine ulla inſcriptione ſepelitur.

Cete-

Ceterum hic Cardinalis præclaris admodum animi dotibus inclareſcebat, præcipue vero ſumma in pauperes liberalitate, moderatione, ac ſani conſilii promptitudine eminebat, nil magis, quam altercationem exoſus, ſique in tanto Viro quicquam crimini dari poteſt, forte ob nimium erga Carolum V. Cæſarem affectum, quo eidem cæco veluti impetu omni data occaſione inſervire ſtudebat, reprehendi valeret. Sæcul. XVI. A.C. 1578.

§. CXXXIII.

Julius de Ruuere Cardinalis mortuus.

Denique tertius erat Julius de Ruuere Franciſci Mariæ Ruuerei celeberrimi ſuo ævo Belliducis Filius, die quinta Aprilis anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto natus, ac poſtremus filius Matris ſuæ Honoratæ Hyppolitæ Gonzagæ, quæ Franciſci Mantuæ Ducis Filia erat. Is a Guidobaldo Fratre primogenito, vita jam functo Patre, adoleſcens pie educatus, & literis imbutus eſt, atque in ejuſdem Guidobaldi gratiam a Paulo III. anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, cum eſſet annorum duodecim, atque abſens, Diaconus Cardinalis nominabatur, reſervatus tamen in pectore, & nonniſi die nona Januarii anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo *Ciacon. p. 730. Aubery l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

octavo in Patrum Senatu promulgatus. Postea sub Paulo III. Julio III, & Pio IV. Umbriæ, & Perusiæ Legationibus honoratus anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo a Pio IV. ad Vincentinum Episcopatum nominabatur, quem tamen ultro Matthæo Priulo cesserat, a Pio V, Archiepiscopus Ravennatensis declaratus, ubi usum convocandi Concilia Provincialia ducentorum quinquaginta annorum spatio in ea Ecclesia intermissum revocavit, ac Clericorum abusus reformavit, urbisque ædificia, palatium præsertim Archiepiscopale restauravit: insuper mores populorum pia castigatione correxit, ac plurima obsequia suæ Diæcesi præstitit, præcipue in subsidium pauperum, pro quibus duo Xenodochia exstrui curavit, unum pro Viris, alterum vero pro mulieribus. Denique ad Sabinensem, & Prænestinam Ecclesiam vocatus apud Forosempronienses feria quinta die quinta Septembris anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, ætatis suæ nonnisi quadragesimo tertio obiit, ac corpus ejus Urbinum translatum in Sanctæ Claræ ædibus terræ mandatum est. Ceterum Julius opes suas summa liberalitate in Templum Lauretanum effudit, atque interfuit quoque sacris comitiis, in quibus

bus Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. Romani Pontifices eligebantur. Scripsit etiam quasdam Constitutiones, quæ in bonum Provinciæ Perusinæ, cujus Legatus erat, typis editæ fuerunt. Sæc. XVI. A.C.1578.

§. CXXXIV.

Laurentii Surii Cartusiani fata.

Hoc item anno Laurentius Surius mortalitatem exuit, qui Lubecæ anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo natus Coloniæ studiis vacabat, arcto amicitiæ fœdere junctus Landspergio Chartusiano, cujus hortatu & ipse Surius idem sacrum Institutum Coloniæ amplexabatur, & vigesimo primo ætatis suæ anno sese solemni sponsione Deo totum dicabat, ac præprimis Thauleri operibus, aliorumque Auctorum libris latine reddendis operam navans, postea in unum volumen plurium Ecclesiæ Doctorum homilias colligebat: præcipue vero ingens sibi nomen comparabat, dum collegit Concilia in quatuor voluminibus in forma majori Coloniæ anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo typis edita: insuper in literariæ Reipublicæ utilitatem Sanctorum vitas sex tomis comprehensas conscripsit, quæ ibidem Colonienſibus literis anno millesimo

Sæcul. XVI A.C. 1578

quingenteſimo ſexageſimo nono, & poſtea iterato prælo excudebantur, quamvis vero geſta, quæ in ejus collectione recenſentur, non ſemper certæ fidei teſtimonio comprobata videantur, hoc tamen opus Pius V. Papa maximi habuit, editoque diplomate confirmavit. Præterea Surius ſui ævi hiſtoriam, quam Commentarium nominat, elucubravit, eamque ab anno Domini milleſimo quingenteſimo incipiens usque ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum ſexageſimum octavum protraxit, poſtea vero eadem continuata usque ad annum Salutis noſtræ milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum quartum itidem Coloniæ edebatur. Denique hic Scriptor, poſtquam in Religionis obſequium adeo utiliter vitam ſuam impenderat, placide in ſuo Aſceterio Coloniæ die vigeſima quinta Maji Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, ætatis vero ſuæ quinquageſimo ſexto animam Deo reddidit.

§. CXXXV.

Nationalis Calviniſtarum Synodus in Galliis in oppido ſanctæ Fidei celebrata.

Interea Calviniſtæ in Francia eodem anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo

gesimo octavo nationale suum Concilibulum in oppido sanctæ Fidei Aginensis Diæcesis celebrabant, ibidemque permittebant, ut fidei confessio, quam Franciæ regibus obtulerant, mutaretur, quamvis antea solemniter professi fuissent, quod illam effuso etiam sanguine constanter propugnare velint: cum vero hujus decreti verba omnino notatu digna sint, ea huc referre lubet: porro in eo ita loquebantur illi: „Visis, & lectis instructionibus con„ventus Francosordiensis anno priori „celebrati, collaudamus etiam eorum „propositum, quo omnes Christiani Or„bis reformatas Ecclesias in sancta uni„tate puræ doctrinæ, cujus maximam, „ac maxime sanam partem quidam Pro„testantium Theologi damnare moliti „sunt, conjungere meditentur, quem „in finem nunc approbamus eorum in„tentionem conscribendi fidei confes„sionem omnibus Ecclesiis communem: „insuper ratum habemus, quod specia„tim hujus regni Ecclesias sollicitare „velint, ut eo viros spectatos, & se„lectos, facultate ampla, & pertra„ctandi, concedendi, ac cuncta doctri„næ capita, aliaque quietem, Eccle„siæ conservationem, purum Dei cul„tum, atque unionem Ecclesiarum con-

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Bossuet hist. var. t. 2. l. 12. art. 19. pag. 342. Aymon Synod. Nat. des Ecclises reform. t. 1. pag. 126.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

„cernentia decidendi plena potestate „instructos mittant.

Porro hoc consilium ut effectui darent, quatuor Deputatos, qui hanc communem fidei confessionem fabricarent, decernebant, ampliori, quam Conventus petierat, potestate tam Ministris, quam speciatim a Turrennio Vicecomite concessa instructos: insuper hæc addebant: „Synodus Legatis „potestatem fecit, ut tunc, si confessio „illa in cunctis provinciis examinari „non posset, ipsi pro sua prudentia, & „sano judicio concluderent, in omnibus punctis, quæ sive doctrinam, sive „alterius rei Ecclesiarum pacem con„cernent. „

Attamen Protestantes Turenium Vicecomitem quatuor hisce Deputatis ad consarcinandam hanc fidei confessionem adjungebant, illumque speciatim non alia ex caussa nominabant, nisi quod experientiæ testimonio comprobatum haberent, hasce Ecclesias hodie reformatas nequam uniri posse, nisi prius quoad doctrinam concordia esset stabilita: porro cum bella civilia universum Franciæ regnum tunc devastarent, præfatus Turenius Vicecomes ætate quidem juvenis, sed prudentia animique fortitudine provectus nonnisi aliquot abhinc annis se gesserat Calviniſtarum Duce-

cem.

cem, apud illos ingens sibi nomen comparaverat non modo generis sui nobilitate utpote præcipuis regni familiis propinquus, sed præcipue summa dexteritate, qua sibi regnante Henrico Navarræ Rege jamjam Tribuni dignitatem emeruerat; quapropter haud mirum, quod adeo vastæ indolis Vir prompte omnes Protestantes uniendi consilium conceperit: quamvis ejus conatibus prosper omnino successus defuerit, eoquod Lutherani, licet unaomnes confessiones fidei communi suffragio immutari consenserint, adeo tamen pertinaces suis erroribus inhæserint, ut suas fidei confessiones nullatenus immutari paterentur, sed integras, easdemque relinqui peterent, perinde acsi purum Dei Verbum continerent, cui nihil addere, aut demere licet. Sæcul. XVI. A.C.1578.

§. CXXXVI.

Parisiensis Senatus sententia adversus Natalem Baudinotum Religiosum.

Cum eodem tempore quidam Ordinis sancti Benedicti Alumnus nomine Natalis Baudinotus ex Monasterio Cluniacensi in sua Thesi, quam in Sorbonnæ Collegio propugnabat, quasdam propositiones Regi injuriosas effutiisset, Senatus Regis jussu hunc Religiosum com- *Argentre Coll. jud. de novis err. t. 2. p. 450.*

Sæcul. XVI. A.C 1578.

comparere jussit, qui die septima Januarii ad quæstionem vocatus in Prioratu sancti Martini de Campis inclusus est, ibidem hærere jussus, donec aliter de eo decerneretur: cum vero præfatus Natalis Baudinetus, sese a Facultatis Decano eoque supremo pariter Collegii Navarrici Magistro, nomine Peletario, necnon a Fabro Syndico, & a Doctoribus Balesdensio, & Huarto sancti Sulpitii Parocho sollicitatum fuisse assereret, hinc ex Regis mandato pariter hi quatuor Doctores altera die comparere jubebantur: die autem octava ejusdem Mensis iisdem auditis, regii Ministri eorum responsa excipiebant. Postea die decima sententia ferebatur, vi cujus præceptum, ut præfatus Baudinotus adhuc magis exacte interrogaretur, nominatis vero Doctoribus fuit inhibitum, ne de Parisiensi urbe, ejusque suburbiis excederent. Demum die quarta Februarii questus est Rector de quibusdam Religiosis, qui in Theologica Facultate Licentiati gradum obtinebant, absque eo, quod fidem ipsimet Rectori, & Academiæ jurassent, quapropter ut huic corruptelæ remedium opponeretur, comitiis apud Mathurinos habitis prohibitum est, ne quis Baccalaureus, nedum Licentiatus in ulla Facultate crearetur, nisi Academiæ

demiæ de data fide, quam vulgo dicunt Scholaſticum Juramentum, prius conſtiterit. Præterea Univerſitatis Cancellario injunctum, ut huic decreto morem gerat, ac Univerſitatis nomine in omnes illos, qui ſeſe huic ſtatuto ſubjicere recuſabunt, animadvertat. Sæcul. XVI. A. C. 1576.

§. CXXXVII.

Continuata Michaelis Baji cauſſa.

Jam ab anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto Michael Bajus, quamvis ob ſuam doctrinam graves vexationes experiri cogeretur, nihilominus in Univerſitate Lovanienſi Cancellarius, atque Eccleſiæ Collegiatæ ad ſanctum Petrum Decanus renuntiabatur: hac igitur dignitate ornatus, & publice differere obſtrictus, orationem in Scholis Theologicis habuit, in qua demonſtratum ibat, quod omnes Epiſcopi ſuam jurisdictionem a Deo *immediate* recipiant, inſuper cum in quadam exercitatione dixiſſet, quod ex his Chriſti verbis: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua,* non clare conſequatur, quod Romanus Pontifex in ſuis definitionibus non poſſit errare: Laurentius Weſterhove, majoris Collegii Moderator utramque hanc propoſitionem adeo iniquo tulit animo, ut eam non abſurdam modo, ſed & ſcandalo- *Bajana pag.* 203. *Luc.* 22. *v.* 32.

Sæc. XVI. A. 1578.

daloſam pronuntiaverit: ut igitur ſe, ſuamque hanc propoſitionem ab hujusmodi cenſura vindicaret Michael Bajus, conſeſtim eodem anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſcripſit Tractatum circa quæſtionem hanc: Utrum ex præcitatis Chriſti verbis clare, ac certo arguatur quod Romanus Pontifex in definiendo ea, quæ ſunt fidei, errare minime poſſit, ubi ſpeciatim demonſtrare nitebatur, quod ſenſus, quem ille hiſce Divi Petri verbis affingebat, conſonus eſſet ſenſui per traditionem comprobato: præterea etiam oſtendit, quod Weſterhovii dogma Univerſitatis Lovanienſis doctrinæ adverſetur, cum illa nonniſi ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ Patrum doctrinam in ſuis Scholis tradat: arguebatur quidem Bajus, quod in concinnando hoc tractatu perverſa foverit conſilia, verum ſi ejus doctrina circa hunc articulum fuit orthodoxa, quacunque demum intentione ad eam propugnandam fuerit incitatus, id huic operi nocere non potuit: nihilominus Weſterhovius hunc tractatum confutabat, rurſus tamen eidem reſpondit Bajus, ſed nonniſi aliquod hujus reſponſionis fragmentum adhuc exſtat.

Bajan. t. 1. p. 471. 481. & 488.

§. CXXXVIII.

§. CXXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

Baji altercationes cum Marnixio Sanct - Aldegondo.

Cum hæc contentio fervere cœpiſſet, ſimul etiam Bajus cum alio quodam adverſario in arenam deſcendere cogebatur. Hic erat Philippus Marnixius Sanct - Aldegondus Calviniſtarum ſectæ addictiſſimus, qui armis potius, quam calamo idoneus ad Bajum plures quæſtiones circa S. Paginas, Eccleſiam, necnon circa hæc verba Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum* transmiſerat, ac de Eccleſia ſequentes proponebat quæſtiones. I. *An Eccleſia, ejusque conſtitutiones, ſeu traditiones nullum habeant κριτηριον aliud, niſi conſuetudinem eorum, qui ſe profitentur Romanam ſectari* Religionem, quam vocant catholicam?

Bajan. t. 1. pag. 235. & t. 2. p. 204.

II. *An hoc κριτηριον, ſi quod aliud eſt, conſtet pagina ſacræ Scripturæ ſola?*

III. *An Eccleſia tribuat auctoritatem verbo Dei, an potius verbum Dei, Eccleſiæ authoritatem, atque regulam conferat?*

Inſuper alias quæſtiones movit circa Euchariſtiam, & quidem. I. *An hæc Chriſti verba*, hoc eſt Corpus meum, *contineant propoſitionem identicam, atque idem ſignificantem, quod:* corpus meum eſt corpus meum? *An vero attributum corporis, attribuatur ſubjecto ſignificato per*

Sæcul. XVI. A.C. 1578.

per pronomen, hoc, tanquam diverso a suo attributo? II. *Et si attribuitur tanquam diverso, an attribuatur substantiæ, ita, ut hæc verba* (hoc est corpus meum) *idem significent, atque hoc est substantialiter, ut ita dicam, corpus meum? an potius attribuatur sacramentaliter, ita, ut ea verba nihil aliud significent, nisi hoc est sacramentaliter corpus meum, seu, corpus meum dicitur de hoc, quod vobis do, plane ut Sacramenta dicantur de rebus, quas significant, & sua institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello de Doctrina Christiana docet, Sacramentum fidei fidem esse, & Sacramentum corporis corpus, & Sacramentum fœderis fœdus, & Sacramentum verbi Dei ipsissimum verbum Dei, non quidem substantia, sed usu, institutione, repræsentatione, ac significantissima exhibitione ante oculos fidei.*

III. *Quo argumento doceatur, vocem EST in hac circumstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui.*

Ceteræ omnes præfati hæretici quæstiones ferme in idem reincidunt, quibus has voces, *hoc*, & *est*, explicari petiit.

Resp. Baji ad Max. t. 1. pag. 239.

Mota hac controversia Bajus equidem propitiam nactus esset occasionem, qua suam eruditionem, necnon suum studium erga Romanæ Ecclesiæ doctrinam ostendere potuisset: verum Bajus hac

hac occasione pessime utebatur; quippe Marnixio adeo non animi sui cæcitatem depulit, aut illum ad veræ Ecclesiæ sinum, prout se jactitabat, revocavit, ut potius per sui responsi imbecillitatem eundem magis in suo errore firmaret, ac semetipsum difficultatibus implicaret, quæ ejus caussæ plurimum nocebant; quippe quidam ex Ordine Fratrum Minorum nomine Franciscus Horantius huic disputationi sese ingerere cogebatur; cum enim Bajum tunc Lovaniensem Cancellarium Protestantibus victas manus dedisse cerneret, ipse ejus responsionem aggrediebatur, illamque confutabat, prout in Historiæ progressu memorabimus. Sæcul. XVI. A.C.1578.

Ferventibus adhuc hisce altercationibus cum Aldegondo habitis Bajus Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo in Lovaniensi Universitate Defensor privilegiorum nominabatur, atque hoc munere novis etiam honoribus auctus est: porro paulopost nova apologia sententias, quas suis scriptis contra Marnixium insperserit, vindicare nitebatur, simulque die decima nona Julii tractatum suum de communione sub utraque specie perfecit. Fertur quoque, quod tunc suo etiam opusculo de Ecclesia ultimam manum admoverit.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXXV.

GREGORIUS XIII PONTIFEX MAXIMUS,
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Altercationes redintegratæ circa Pii V. Bullam contra Bajum.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Cum Baji fautores subdole obtentus quærerent, ut Pii V. diploma per viam minus legitimam extortum fuisse, vulgo persuaderent, hinc Doctores Religionis studio magis animati ejusmodi suspicionem tanquam injuriam sancto huic Pontifici illatam abominabantur, quapropter suarum partium esse censebant, ut Hispaniæ Regem exorarent, quatenus ipse Gregorium XIII. Papam ad decidendam hanc controversiam, necnon ad confirmandam Prædecessoris sui Bullam sollicitaret. Id quoque eorum desideriis datum; quippe Philippus II., necnon quidam Lovanienses Doctores datis Romam literis

Op. Baji t. 2. p. 205.

teris Pontificem urgebant, ut aliud diploma, quo prius confirmaretur, ederet: porro horum preces Pater Franciscus Toletus Jesuita, qui tum Romæ agebat, sua etiam auctoritate, & opera promovit: Bajus vero rerum, quæ gererentur, haud ignarus suarum opinionum apologiam jam olim Pio V. transmissam, nunc vero auctam, ac recognitam ad summum Pontificem direxit: nihilominus Gregorius XIII. diploma petitum edidit die vigesima octava Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono his verbis conceptum. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. II.

Gregorii XIII. Bulla pro confirmando Pii V. diplomate contra Bajum.

„Gregorius Episcopus, Servus ser- „vorum Dei, ad futuram rei me- „moriam. Provisionis nostræ debet „provenire subsidio, ut ea, quæ a „Prædecessoribus nostris emanarunt, „suadente maxime fidei Catholicæ con- „servatione, ubicunque ipsis opus est, „producantur, quare nos tenorem Li- „terarum felicis recordationis Pii Pa- „pæ V. Prædecessoris nostri in ejus Re- „gistro repertum describi, & præsen- „tibus annotari fecimus, qui talis est. *Bajana pag. 151. & 205.*

Sæcul.XVI. A.C.1579

Lib.CLXX. §.33. t.48i

„Pius Episcopus, Servus servorum Dei, „ad futuram rei memoriam. Ex om„nibus afflictionibus &c. ut supra eam „retulimus. Ceterum volumus, ut „earundem literarum tenori sic inserto „illa reipsa omnino fides adhibeatur, „ubicunque, & quandocunque sive in „judicio, sive alibi ille fuerit exhibitus, „vel ostensus, sicut illius originalibus „literis prædictis adhiberetur, si ipsæ „exhiberentur, vel ostenderentur: nulli „ergo omnino hominum liceat hanc pa„ginam nostræ voluntatis infringere, „vel ei ausu temerario contraire: siquis „autem hoc attentare præsumpserit, in„dignationem omnipotentis Dei, ac „Beatorum Petri, & Pauli Apostolo„rum ejus se noverit incursurum. Da„tum Romæ apud sanctum Petrum, „anno Incarnationis Dominicæ millesi„mo quingentesimo septuagesimo nono „quarto Calendis Februarii: Pontifica„tus nostri anno octavo.

Hoc diploma celebri Jesuitæ Francisco Toleto, qui summo Pontifici a concionibus, & postea Cardinalis erat, transmittebatur, ut illud Lovanium deferret, atque ab omnibus Universitatis membris acceptari curaret: hujus autem Bullæ fata postmodum recensebimus.

§. III.

§. III.

Sæcul.XVI. A.C.1576.

Varia pia opera a Gregorio XIII. Pontifice inſtituta.

Hoc item anno Gregorius XIII. pro juvenibus natione Anglis, qui ob Catholicam Religionem ſuos parentes, patriam, & bona ſua derelinquere coacti ſunt, Romæ quoddam Collegium erexit, præcepitque, ut ibidem Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis imbuti, græcum, & hebraicum idioma addiſcerent, necnon quoad cantum Eccleſiaſticum, ritusque Eccleſiæ inſtituerentur, ut in patriam ſuam reduces poſtea alios inſtruere poſſent: inſuper idem Pontifex plura alia pietatis opera, ac fundationes Religioni oppido proficuas fecit, ſimulque Bononienſem urbem ad Archiepiſcopalem Sedem evehens eidem ſeptem Epiſcopatus ſuffraganeos ſubjecit, plurimisque cumulavit beneficiis: præterea in diverſis locis viginti omnino Collegia, & Seminaria erexit, inter quæ præcipue erat illud Romanum Jeſuitarum curæ traditum, atque ad erudiendos hujus Urbis adoleſcentes deſtinatum, necnon aliud pro Germanis in literis imbuendis, ac denique tertium pro Judæis Neophytis, quartum pro Græcis, & quintum pro Maronitis, pluraque alia

Bullar. t. 2. Conſt. Greg. XIII. 53. & 72. Ciacon. t. 4. pag. 4.

Sæcul XVI. A C. 1579

Laureti pro Sclavonibus, Viennæ in Auſtria, Pragæ in Bohemia, Olmutii in Moravia, Muſſiponti in Lotharingia, Vilnæ in Lituania, Clauſemburgi, ſeu Colosvariæ in Tranſylvania, atque aliud etiam in Japonia ædificari curavit: cum vero ad tam immenſos ſumptus Cameræ Apoſtolicæ reditus nequaquam ſufficerent, hinc Papa Imperatorem, Reges, Principes, cunctosque fideles ad conferenda ſubſidia hortabatur: ipſus vero, cum plurimarum arcium, urbiumque, quæ antea Eccleſiæ imperio obnoxiæ, dein vero a pluribus Principibus uſurpatæ fuerant, poſſeſſionem recuperaſſet, ad hæc pia opera reditus ſuos ad plusquam centies mille aureos augebat.

§. IV.

Hiberni Catholici præſidio Pontificis erecti.

Spond. hoc ann. n. 12. Thu. l. 68.

Sub idem tempus Hiberniæ Catholici ad ſummi Pontificis patrocinium confugiebant, anſam præbente Jacobo Fizmorio, qui relicto Eliſabethæ Angliæ Reginæ obſequio Franciæ Regi, ac Guiſiis promiſerat, quod Angliæ, & Hiberniæ regnum eis ſubjicere vellet, ſi ad illius expugnationem validas copias ſubmittere non cunctarentur: aſt hoc conſilium cum rationi minus con-

congruum videretur, omnino rejectum est: unde hic seditiosus Vir ambitiosis hisce consiliis tumidus Romam contendit, ubi magis pronas experiebatur aures, quippe Nicolaus Sanderus Sacerdos natione Anglus, & Alanus Presbyter Hybernus Jacobum ad Papam introducebant, qua occasione Jacobus amplæ spei lenocinio Pontificem ad sua studia pertraxit, necnon vexillo per ipsum Papam sacrato, commendatitiisque literis ad Hispaniæ Regem probe instructus in Hispaniam venit, atque septem Vasconum legiones, quas a Philippo II. impetraverat, secum in Hiberniam duxit, & ineunte Mense Julio ad oppidum sanctæ Mariæ in Keriensi Peninsula appulsus est, ubi per Sacerdotes socios suos quemdam locum sacrari jussit, ibidemque propugnaculum erexit, cujus præsidio illius naves tutæ forent: verum illas mox Thomas Curtenajus, qui haud procul ab hoc loco stationem suam habebat, invasit, atque occupato propugnaculo facile maritimum iter Jacobo intercluſit. Sinistro hoc fato Hispani haud parum turbabantur, præcipue, cum copias longe pauciores, ac ambo hi Sacerdotes Hiberni promiserant, comperirent, & nonnisi deserta, & aspera loca cernerent:

Sæcul. XVI. A.C.1579.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

nerent: quapropter brevi eos nimiæ ſuæ credulitatis pœnitentia ſubibat.

§. V.

Catholici mota ſeditione profligati.

Thuan. l. 68.

Jacobus ut Hiſpanorum animos erigeret, illos prompti ſubſidii ſpe lactabat, ſimulque in duabus Hiberniæ Provinciis Ultonia, & Connacia incolas ad ſeditionem concitare tentabat: verum fruſtranea erant hæc molimina; ruſtici enim in ipſum Jacobum ſua arma convertentes potiſſimos, qui illi adhærebant, interemerunt, ac ipſius caput ſclopeti globo trajicientes humi proſtrarunt, ejusque corpore in quatuor partes diſſecto, caput illius haſtæ infixum inKilmalocenſis urbis porta exponi fecerunt. Poſtea in occiſi Jacobi locum ſeditioſi Joannem Desmundii Comitis Fratrem in factionis ſuæ Ducem ſeligebant, qui tamen a Drurio Hiberniæ Prorege comparere juſſus, obtemperare renuebat, quapropter adverſus hunc comitem Prorex Nicolaum Malbejum unacum validis copiis emiſit, atque hic furore, ac vincendi cupiditate accenſus brevi in ſeditioſorum Principem, qui expanſum Pontificis vexillum ſibi præferri curabat, incidens, eundem unacum copiis ſuis aggreſſus eſt, eumque fuga ſalutem quærere compulit, ubi

ubi cum ejus copiæ seſe Victoris arbitrio relinquere cogerentur, non ſine ingenti ſtrage deletæ fuerunt, præcipue vero inter cæſos Alanus Hibernus Sacerdos, cujus ſupra meminimus, numerabatur, qui etiam, ut hoſce ſeditioſos ad pugnam animaret, illos de victoria certos eſſe jubebat. Hæc cum interea gererentur Druryus Prorex obierat, Malbejus vero Connaciam, cui præerat, ſeceſſit, donec autem Eliſabetha Druryo ſucceſſorem nominaret, Guilielmus Pelhamus ſupremus Regni Judex belli continuandi ſollicitudinem in ſe ſuſcepit, ac primas eo curas intendit, ut Demundium Comitem, qui palam Eliſabethæ Reginæ obſiſtebat, ad officium revocare ſatageret, cum autem præfatus Comes novo Gubernatori ſeſe ſubmittere renueret, hic Ormondium Comitem Momomiæ Præfectum ad eundem decernebat, ut cum Demundio tranſigeret. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Pelhamus Demundio Comiti præprimis has conditiones proponi juſſit: I. Nicolaum Sanderum Sacerdotem, Papæ Nuntium, bellique Auctorem Anglis tradat. II. Omnes exteras copias ex Hibernia ſecedere curet. III. Pelhamo urbes, quas ipſe occupaverat, reddat. IV. Arma ſua in Fratres ſuos, ceterosque rebelles converti 5 tat.

Sæcul. XVI. A. C. 1579.

tat. Adimpletis hiſce conditionibus præteritorum oblivio Comiti ſpondebatur: ſi vero illas acceptare renueret, exilii pæna, bonorumque proſcriptio eidem intentabatur. Verum Comes, ejusque Fratres hæc in reſponſis dabant: „arma nonniſi pro tuenda fide „Catholica arripuimus, ſummi Pontifi„cis, Regisque Hiſpaniæ conſenſu ſuf„fulti: quapropter ipſum Pelhamum „hortamur, ut & ipſe pro defendenda „cauſſa adeo æqua ſuas quoque vires „jungat.„ Accepto hoc reſponſo ineunte Menſe Novembri edictum vulgabatur, vi cujus Demundius Comes tanquam patriæ proditor, ac læſæ Majeſtatis reus fuit declaratus.

§. VI.

Ordo Sancti Baſilii a ſummo Pontifice reſtauratus.

Bull. t. 2. Conſt. 58.

Jam dudum Ordo Sancti Baſilii, qui a ſancto Baſilio Cappadociæ Epiſcopo non modo nomen, ſed etiam regulam ab Orientis Cænobitis adoptatam acceperat, ſeſe latius per Occidentem tanto progreſſu diffuderat, ut in ſolo Neapolis Regno centum quinquaginta illius monaſteria numerarentur: cum vero diſciplinæ relaxatio, temporumque iniquitas maxime Conventuum numerum imminuiſſet, Gregorius XIII. Papa

Papa regularis instituti vigorem revocare adlaborabat, hancque in rem hoc anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo nono die prima Novembris Constitutionem vulgabat, qua præcepit, ut cuncta hujus Ordinis monasteria tam in Italia, quam in Hispaniis erecta deinceps in unam Congregationem redigerentur, ac juxta Innocentii III, & Concilii Tridentini decreta omnes sub unius Abbatis regimine viverent. Huic reformationi, quæ ritum græcum sequitur, in pluribus tamen rebus sese latinæ Ecclesiæ conformat, plurima contulit privilegia: porro duo reperiuntur Monasteria, in quibus divinum Officium juxta ritum latinum peragitur, præ ceteris autem omnibus monasteriis longe celeberrimum est Messanense, cui plusquam quadraginta Abbatiæ obnoxiæ sunt: insuper in Hispania quamplurima sunt Monasteria Italicis Abbatiis unita, quæ itidem latino ritu utuntur: alia vero reformationem juxta Constitutiones eis postea a Clemente VIII. traditas profitentur, ac quarto etiam voto hanc disciplinæ restaurationem amplecti obstringuntur.

Sæcul. XVI. A C 1579.

Spond. n. 6.

§. VII.

Sæcul. XVI. A.C.1579.

§. VII.

Philippus II. in Lusitaniæ regno suffectus.

Thu. l.69. Spond. n.17. Postquam defuncto Sebastiano Rege Henricus Cardinalis, ut memoravimus, Polonici Regni possessionem acceperat, mox Ulyssipone comitia habebat, quibus ipsemet vestibus suæ dignitati congruis ornatus, sceptrumque dextera rotans intererat, ejusque latus stipabant Bragantiæ Dux, aliique quamplurimi. Postea illorum, qui ad hoc regnum adspirabant, Deputatos satis tranquille excipiebat, nihil tamen de successione decerni volens unice regni competitoribus injungebat, ut vel ipsimet, vel eorum Legati suas rationes denuo exposituri coram adessent. Interea Rex petebat, ut Ordines nomina quindecim Virorum, qui meritis, rerumque experientia illustres erant, ipsi proponerent, quatenus ex illis quinque pro administrando regno nominaret, ita tamen, ut horum electio secreta haberetur, eorumque nomina in capsam Ulyssiponensis Magistratus custodiæ tradendam conjicerentur: præterea rursus nominati fuere viginti duo alii, ex quibus Rex undecim delegit, qui tunc, si Regem ante litem de regni successione

ne

ne terminatam mori contingeret, cum plena poteſtate eam dijudicarent. Sæcul. XVI. A.C 1579.

Porro præfixa die Oratores illorum, qui ad regnum adſpirabant, comparebant, ac eorum quisque ſui Principis jura firmare nitebatur: aſt Henricum Leo Henriquez Jeſuita, qui ei a confeſſionibus erat, eo inclinabat, ut Philippum II. Hiſpaniæ Regem nominaret, cum hic præ reliquis certius jus habere videretur: igitur hanc in rem mox Henricum inter, & Philippum pacta conduntur, paulo poſt Madritum transmiſſa: quamprimum vero Pontifex de his notitiam hauſerat, quantocius Hiſpaniæ Regem ſollicitabat, ut ipſum in litis arbitrum ſeligeret, cum hac in occaſione diſſidia abs dubio exoritura prævideret: verum Philippus, qui longe aliis agebatur conſiliis juris ſui æquitate, ac certitudine tutus hæc Papæ indicavit: „haud eſt, cur Sanctitas ſua ſuas vel arbitri, vel conciliatoris partes interponat: ceterum pro „tam egregia voluntate gratias ago, neque recuſabo, quominus tunc, ſi quid „improviſe incideret, ubi tanto vindice indigerem, auxilium Sanctitatis „ſuæ implorarem, nam illius arbitrium „acceptare paratus ſum.„

§. VIII.

Sæcul XVI. A C. 1579.

§. VIII.

Concordiæ pacta inter fœderatarum Provinciarum Ordines.

Thuan. l. c. Strada de bello Belgico l. 1. 2. Decad.

Die vigesima tertia Januarii eodem anno fœderatarum Provinciarum Ordines Ultrajecti unionis pacta inibant, quibus Regis Hispani auctoritas in hisce Provinciis plurimum firmabatur: hæc autem pacificatio viginti sex complectebatur articulos, ex quibus tertius decimus etiamurbes, ac Provincias Religioni Catholicæ addictas hujus fœderis participes reddebat, ea tamen lege, ut nil patriæ saluti adversum molirentur. In decimo quinto articulo de Religiosorum, qui relicto suo instituto ad Protestantium sectam transierunt, sustentatione actum, declaratumque est, quod tunc, si forte sua bona repetere judicum ope quærerent, Ordines de hoc certiores fierent, eorumque decisio expectaretur. Porro huic Fœderi Gandavenses, Yprenses, Antverpienses, Brugenses, Sylvaducenses, Oranius Princeps, & Frisiæ Gubernator subscribebant: ægerrime autem Hispaniæ Regis obsequio sese subjiciebant Gallo-Belgicæ Provinciæ, tandem vero, & illæ omnes post varia reconciliationis consilia sese submittebant, exceptis Tornacensibus, & Turnesinis, qui æque, ac Ca-

Cameracenſes, & Bunienſes huic fœderi accedere renuebant. Sæcul.XVI. A.C.1579.

§. IX.

Antverpienſium tumultus ob publicam ſupplicationem.

Sub idem tempus Antverpiæ oriebatur tumultus non ſine funeſto exitu; quippe Catholici percelebrem ſacri Ordinis ſupplicationem in ſolemni feſto aſcendentis in cœlum Domini inſtituebant, quam comitabatur ingens cum ipſo Archiduce Catholicorum multitudo, mox vero conglobati aliquot Calviniani, aſſumpta ſecum ſclopetariorum manu, primum incedentibus viam obſtruunt, ubi vero Catholici obſtantium turbam ſubmovere, ac vi aditum aperire connitebantur, Calviniſtæ ſclopis in pectus intentatis, & mox exploſis duos illico interficiunt, atque alios alio fugant, agmen ſupplicantium diſſipant, plerosque in templum cum Archiduce compellunt, concluduntque: inſuper rebelles hæretici gliſcente, ut fit, ex ſucceſſu licentia, partim templi fores armati obſident, partim per urbem, diſſonis vocibus pellendos urbe ſacrificulos conclamant, atque Archiduce, magni veluti bèneficii loco, e ſacris ædibus abire permiſſo, reliquos non ante egredi patiuntur, uſque dum Canonicorum, Mo-

Strada & Thuan. l. c.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Monachorumque, ac sacrorum hominum, qui non pauciores ducentis supplicationem instituerant, exilium, paucis retentis, a Magistratu impetraverant: cum autem Catholici tantam impietatem indulgere renuerent, hæc repulsa nonnisi ad Calvinistas magis irritandos valebat, quapropter ipsimet hæretici sua auctoritate ducentos illos Ecclesiasticos comprehendunt, urbe expellunt, ac duobus ab urbe milliaribus abductos includunt, donec Senatus hac super re decrevisset: equidem Archidux de atroci hac injuria palam querebatur, ac nisi Sacerdotes, & Monachi rursus libertati redderentur, se mox e Belgio excessurum minitabatur: ast Calvinistæ spretis Principis sui querelis, minisque nil aliud Archiduci indulgebant, nisi ut in urbe conscientiæ libertas permitteretur, ac pace quadam religionis promulgata etiam templa quædam Sacerdotibus restituerentur, exclusis Monachis, & sacrorum Collegiorum sodalibus, seu Canonicis. Hæc pacificatio die duodecima Junii fuit inita.

§. X.

Exitus Neracensis consultationis.

Avila hist. des guerres civil. de Fr. l. 6. an. 1579.

Tandem Neracense colloquium, quod Regina Henrici III. Mater cum Navarræ Rege, ceterisque Protestantibus insti-

instituerat, absolvebatur pacto utrinque fœdere viginti septem articulis comprehenso, qui tamen omnes ad edicti ante biennium promulgati verba vel interpretanda, vel fusius explicanda collimabant. Ceterum hisce pactis unacum Regina Matre nomine Regis subscripsere Armandus Guntaldus Bironus, Guilelmus Joiosa, Ludovicus Sangelasius Lansacus, Bertrandus Salignacus Mota-Fenelonius, Guido Faber Pibracius: porro postea Rex Lutetiæ hos articulos ratos habuit die decima nona Martii. Verum eosdem spectata rerum, temporisque vicissitudine mox publici juris facere, tum minus consultum videbatur. Sæcul XVI. A.C 1579. *Thuan. l. c.*

§. XI.

Regina Mater in Vasconiam, Occidaniam, & Delphinatum profecta.

Firmato hoc fœdere Regina Henrici Mater Aginnum venit, omnesque Vasconiæ, Occidaniæ, & Delphinatus Provincias lustrabat, inde vero Tolosam delata diu cum Joanne Monlucio Valentiæ Episcopo conferebat, ac hujus Provinciæ res componere satagens Senatum impense hortabatur, ut de severitate pristina imposterum quicquam remitteret, & se deinceps quoad interpretationem edicti in Protestantium gra- *Thuan. & Avila l. c. Mezeray abregé chron tom. 5.*

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

tiam nuper conditi æquiorem præberet: insuper Regina contentionem Damvillæ Ducis, ac Mareſcalli ita feliciter ſedabat, ut hic ſuæ Præfecturæ relictus ſeſe denuo Regis obſequio ſubjiceret, ac Reginam Gratianopolim uſque comitaretur, ubi Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux illam ſalutatum venit, eamque rogavit, ut in Breſſiam Montluſſorium uſque contendens cum Bellogardio Mareſcallo ageret circa Salutiarum Principatum, quem hic Mareſcallus ferventibus hiſce tumultibus uſurpaverat. Ergo ambo conveniunt, & Bellogardius illis, quos Proteſtantium Eccleſiæ in Delphinatu deputaverant, ſtipatus ſeorſim cum Regina Matre conferebat, ac crimina ſibi imputata diluere nitebatur; cumque Regina ejus rationes ſibi probari ſimularet, rei exitus ad Regis deciſionem remittebatur.

§. XII.

Franciſci Montmorantii Franciæ Mareſcalli obitus.

Thu. l 68. Addit. aux mem. de Caſtell. p. 382.

Hæc cum interea gererentur, Reginæ nuntiabatur obitus Franciſci Montmorantii Franciæ Mareſcalli, cui tanquam vero patriæ Patri ab omnibus Pariſinis ingenti luctu parentabatur. Hic Vir erat ob Religionis ſuæ puritatem, ac publicæ quietis amorem regia gratia dignif-

gnissimus, in quo sive eximia erga Deum, ac patriam pietas, sive animi magnitudo, liberalitas, fortitudo, ingenium præstans, eximia eruditio apud hujus conditionis viros rara, necnon constantia, & recti, justique improbus amor spectetur, nihil merito in eo desiderari poterat, præter feliciora tempora, & æquiorem Principum mentem, atque longiorem ipsi a Deo vitam concessam: porro paucis ante mortem mensibus Montmorentius in ipsa regia Lutetiæ apoplexia tactus est, cum autem ex eo morbo aliquantum convaleseeret, atque e Normania, quo Regis jussu ad hujus Provinciæ comitia, rebus ad motus internos spectantibus, profectus fuerat, rediisset, Escouani in arce sua recurrente morbo oppressus naturæ debitum solvit die sexta Maji, postquam nonnisi quadragesimum octavum ætatis annum, novemque Menses, ac novemdecim dies transegerat. Hic idem testamenti tabulis caverat, ut in Ecclesia a Montmorentiis ædificata prope Connestabilem Patrem suum terræ mandaretur, hinc corpus ejus illuc translatum, atque a Canonicis exceptum ibidem in Ecclesiæ crypta conditum est. Honorabatur etiam post funera duplici epitaphio latino, quod in ejus laudes compositum prope illius sepulcrum columnæ insculptum,

Sæcul. XVI. A.C 1579.

Sæcul. XVI A.C. 1579.

postea autem fervente bello civili, ac expilata Montmorentiana urbe inde avulsum fuit mere ex odio, & invidia, qua fœderati præclari hujus Viri memoriam, ac Montmorentianæ Domus honorem insectabantur. Ceterum Franciscus ex Diana conjuge sua, ac notha Franciæ Regis Filia, quæ justis natalibus restituta fuerat, nonnisi unicum suscepit filium, qui tamen ante Patris sui obitum puer immatura morte sublatus fuit.

Postmodum Regina Montlusforio discedens per Burgundiam ad Regem Filium suum redibat, ut regni negotiis præesset; quippe Henricus nonnisi voluptatibus indulgens, totam regni curam huic Reginæ committebat: qua tamen agendi ratione Rege prorsus indigna tam Procerum, quam populi odium in se concitabat, ut tamen Nobilium amicitiam sibi conciliaret, novum equestrem Sancti Spiritus ordinem instituit, illiusque festum in Ecclesia Fratrum Augustinianorum Parisiis die prima Januarii hoc anno solemni ritu celebravit. Ceterum Equitum numerum ad centum revocabat, in eo comprehensis ipso Rege ordinis Principe, seu supremo Magistro, quatuor Cardinalibus, totidem Prælulibus tam Archiepiscopis, quam Episcopis, magno Eleemosynario, Can-

Cancellario, Præpoſito, Præfecto ceremoniarum, magno Theſaurario, Tabellario, Feciali, atque Ordinis Oſtiario. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XIII.

Ordo Equitum Sancti Spiritus a Rege inſtitutus.

Equidem Rex pro Hiſpanorum more cuilibet Equiti, Præſuli, ac Miniſtro Cœnobiorum bona in commendam attribuere decreverat, verum ſummus Pontifex a Clero Gallicano ſollicitatus ſeſe huic uſurpationi acriter opponebat, quamvis nonnulli Sanctitati ſuæ fidem facere niterentur, eum Ordinem ad Catholicæ, & Apoſtolico-Romanæ Religionis amplificationem, & ſectarii veneni extirpationem inſtitutum iri, cum id equitum præcipuum jusjurandum eſſet: verum quamvis id reclamante ſacro Ordine impetrari non potuiſſet, nomen nihilominus permanſit, & Equites S. Spiritus commendatores adhucdum nominabantur, eorumque ſingulis Rex mille aureorum penſionem aſſignabat, quæ tamen poſtea ad tria librarum millia reſtringebatur. Ferunt, quod Henricus Rex hunc Ordinem in honorem Sancti Spiritus inſtituerit, eoquod ipſo Pentecoſtes feſto in Poloniæ Regem electus fuiſſet, eademque die poſtmodum

Thu. l. c. Avila l. 6. Mezeray l. c. p. 286.

Sæcul. XVI. A.C. 1579. Francici regni solium obtinuisset, imo ipsa etiam hac Pentecostes die primam lucem aspexisset: insuper referunt alii, quod novum hoc Equitum Collegium instituerit, ut imitaretur exemplum Ludovici Andegavensis, qui Tarentinus dicebatur, eratque e regia Franciæ stirpe oriundus, ac Jerosolymæ, & Siciliæ Rex, necnon Joannæ I. Neapolis Reginæ, & Provinciæ Comitissæ maritus: porro hic anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio Ordinem Sancti Spiritus instituerat, hujusque instituti diploma viginti quinque capita complectens Veneti Henrico III. Regi, dum e Polonia redierat, exhibebant.

Ceterum huic solemnitati cum summa magnificentia celebratæ Octavius Blandinus Florentinus Papæ Nuntius, & postea Cardinalis intererat: Regem vero usque ad supremi Altaris gradum quidam Episcopus conducebat, eique genuflexo Ordinis torquem imponebat: erat tunc Rex oblongo paludamento ex nigro serico aureis liliis, & flammis distincto vestitus, torques vero ex liliis ita affabre connexus erat, ut ex illis flammæ alternatim cum litera H. coronis circumdata, hostium trophæis intermixtæ prosilire viderentur, infimo autem loco appensa visebatur crux aurea

Sæcul. XVI. A C. 1579.

rea encauſto opere elaborata, atque octo radiis, quorum quilibet in aureum punctum deſinit, atque in quovis crucis angulo aureum lilium præſefert, ornata, in cujus medio columba exhibebatur (*). Rex dum in ſupremum hujus Ordinis Magiſtrum proclamatus vitam, regnique ſui vires pro tuenda fide Catholica impendere, jurato ſpoponderat, thronum ſuum conſcendens ceteros Equites jam antea deſignatos creabat, qui non modo fidem defendere, ſed etiam hujus Ordinis ſtatuta ſervare interpoſita juramenti Religione promittere jubebantur: equidem ab initio hæc ſtatuta nonniſi ſexaginta quinque articulos complectebantur, progreſſu tamen temporis uſque ad nonaginta ſeptem excreverant, qui tamen hodiedum ad nonaginta quinque reducti fuere: ne vero Ordo Sancti Michaelis vileſceret, Rex nemini, niſi pridie Ordini Sancti Michaelis ſit aggregatus, novum hunc Ordinem conferri, illumque paſſim Ordinem regium appellari præcepit: eapropter

(*) Conſuli poteſt P. Honoratus a S. Maria in ſua Equitum militarium hiſtoria mihi fol 131. & 458. ubi hujus Ordinis inſtitutionem, ac inſignia deſcribit, atque in chalcographica pictura exhibet.

Sæcul. XVI A.C. 1579.

etiam Equites Sancti Spiritus vocantur Equites regiorum Ordinum.

§. XIV.

Cleri Gallicani petitio de celebrandis ſuis comitiis.

Thu. l. 68. Spond. hoc an. n. 3.

Quamvis Rex hac ratione fidei orthodoxæ ſtudium præſeferre videretur, nihilominus vel ejus exemplo, aut omnino illius auctoritate indies novi in religione abuſus irrepſerant; quippe decimas ſibi in Poſſiacenſi colloquio indultas uſurpare pergebat, quamvis Diæceſes jam ab ultima Januarii die anni poſt Chriſtum natum milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi ab hoc onere liberari debuiſſent: eapropter Epiſcopi, cum ejusmodi corruptelam nonniſi ægerrime ferrent, libellum ſupplicem Regi porrigebant, rogantes, ut ipſis totius Cleri Gallicani comitia convocare, ibidemque ſtatuta religioni proficua condere liceret. Id quidem Rex ſæpius abnuebat, tandem vero Clero permiſit, ut hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono Pariſiis conventum cogere poſſet: quam in rem regium diploma die duodecima Januarii datum tradidit, in quo ſecundi Ordinis Proceribus hæc comitia accedere prohibitum, ac duntaxat permiſſum, ut ex qualibet Provincia duos, vel tres Epi-

Sæcul.XVI. A.C.1579.

Episcopos ablegare possent. Paulo post Rex datis regiis literis die vigesima tertia Maji ampliorem dedit facultatem, concedens, quatenuus Diæceses secundi Ordinis Deputatos seligerent, ea tamen lege, ut præter duos ex illis unicus Episcopus, qui tertius esset, adiret. Hac concessione facta die trigesima Maji Deputati Parisiis convenerunt, cum autem ibidem minus tranquille subsistere possent, hinc Regem rogabant, ut alio in loco ab aula magis remoto sua comitia habere permitterentur, cum ergo Rex eis Melodunensem urbem ad Sequanam nonnisi decima leuca Parisiis diffitam assignaret, hi ibidem die vigesima Junii primam celebrarunt sessionem.

§. XV.

Melodunensis Synodus, atque Vasatensis Episcopi oratio ad Regem.

Die vigesima sexta ejusdem Mensis Deputatus seligebatur, qui unacum aliis quibusdam de corrupto Ecclesiæ Gallicanæ statu coram Rege differeret, maloque remedium per salutaria decreta opponendi necessitatem declararet: itaque a confessus initio Arnaldus Pontacus Vasatensis Episcopus, qui ad Regem verba facturus nominabatur, die tertia Julii ad Regis alloquium admissus haud minori libertate,

Abregé des actes & mem. du Clerge de France du Boujon p. 479.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

quam prudentia, & ſapientia perorabat, ac tria præcipue capita proponebat, petens, ut Clerus diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtaurationem poſtularet, ac Concilii Tridentini decreta promulgarentur, eaque ſervarentur, necnon dignorum Præſulum ſelectus fieret. Hic Præſul, ut regiæ Majeſtati ſuæ aperte demonſtraret, quod Cleri deſideria, ac vota benignis auribus excipere teneretur, ſuam propoſitionem ſequentibus ſuffulciebat argumentis, ita perorans: „Diſciplinæ Eccleſiaſticæ neglectus ex„citavit turbas, quæ Eccleſiam depopo„lantur, ad quas etiam plurimum con„tulit, quod hi, quibus primæ dignita„tes, ac munia in Eccleſia ſunt com„miſſa, ad hæc officia rite obeunda in„digni, atque inepti exiſtant: ſi au„tem huic malo remedium oppo„neretur, ſperandum, quod Eccleſia „Gallicana antiquitate ſua adeo cele„bris brevi priſtinum ſuum ſplendo„rem recuperatura ſit: quippe felicif„ſimus, ac maxime diuturnus Reipubli„cæ ſtatus erat utervis ille, quo Roma„ni Reipublicæ norma utebantur, ac „Gallia ad regni dignitatem eveheba„tur: aſt horum regnorum ſtatus dun„taxat fauſtus, florensque tamdiu erat, „quamdiu ambo ordinem, ſtatuta, & „religionis ſuæ diſciplinam exacte cole„bant,

Sæcul. XVI. A C 1579.

„bant, nam ad Dei timorem, cul-
„tumque conſervandum diſciplina Ec-
„cleſiaſtica non minus eſt neceſſaria,
„quam diſciplina politica, legesque ci-
„viles ſerviunt ad obtinenda a ſubditis
„erga ſuum Principem obſequia, tutum-
„que concordiæ aſylum in quavis Re-
„publica ſubminiſtrat ipſa diſciplina Ec-
„cleſiaſtica, quæ tamen ferme penitus
„extincta jacet in Galliis: eam vero re-
„ſtaurandi medium maxime opportu-
„num eſt, ut Rege annuente reforma-
„tionis, & diſciplinæ decreta in Con-
„cilio Tridentino per Spiritum ſanctum
„dictata in uſum deducantur, cum hæc
„ſint omnium exactiſſima, proin morbo
„præſenti, quo omnia Corporis Eccle-
„ſiaſtici membra laborant, maxime ac-
„commodata.„

His poſtea Epiſcopus deputatus iſta ſubjunxit, „In Præſulum delectu omni-
„no pernicioſe peccatur, nec ab ea cul-
„pa Rex immunis eſt; nam in Francia
„viginti octo partim Archiepiſcopatus,
„& partim Epiſcopatus reperiuntur, qui
„Paſtoribus deſtituti ſunt: præterea fer-
„me infinitæ recenſentur Abbatiæ, &
„Beneficia, quibus nulli præſunt Recto-
„res, eoquod illorum reditus a profanis
„uſurpentur, & miſere dilapidentur:
„inſuper ex triginta quinque Diæceſi-
„bus, quæ in Occidania, & Aquitania
„ultra

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

„ultra Garumnam numerantur, vix uni-
„ca indicari potest, in qua sacrum oleum
„hoc anno fuit confectum, quia Præ-
„sulum potissimi, aut ibidem non subsi-
„stunt, vel morbis præpediti fuerunt, aut
„Episcopi his titulis provisi desunt: sin-
„gulis etiam diebus vix non infinities si-
„moniæ labes admittitur in rei sacræ ad-
„ministratione, necnon in beneficii fidu-
„ciarii collationibus, & pensionibus, quæ
„jubente, vel conscio ipso Rege muliercu-
„lis, aliisque profanis hominibus confe-
„runtur: notum insuper est, quod in quo-
„dam judicio, dum supremus Senatus
„vigebat, pecuniæ ex divendito quo-
„dam Episcopatu acceptæ ad solvendum
„æs alienum illius Præsulis, qui illum
„divendebat, impensæ fuerint: constat
„etiam, quod in ipso Regis Senatu quæ-
„dam Abbatia cuidam Matronæ do-
„tis nomine fuerit adjudicata, de-
„claratumque, post hujus mulierculæ
„mortem illius hæredes hac Abbatia
„æquis partibus functuros: neminem
„denique latet, quod jubente ipso Rege
„ex pinquioribus beneficiis annatæ ex-
„torqueantur: igitur Clerus perdemisse
„regiæ Majestati suæ supplicat, quate-
„nus omnes hasce corruptelas everti
„curet, ac etiamnum declaret, quod
„omnia beneficia fiduciaria, aut in lai-
„corum pensiones collata, necnon ad-
„mini-

„miniſtrationis titulo, vel per ſimoniam „detenta vacare cenſeantur, atque ab „aliis obtineri valeant, ne impoſterum „filiorum panis canibus projiciatur: pa„riter etiam regia ſua Majeſtas electio„nes juxta communis juris, ſacrorum„que Canonum præſcripta in uſum re„vocari jubeat.„ Denique hic Præſul ſermonem ſuum iisdem abſolvit verbis, quæ Rex Ludovicus Magnus moriens Filio ſuo ſuggeſſerat: „memento, Fili „mi, ac ſemper ob oculos tuos pone, quod „regia auctoritas nihiſi villicatio, mu„nusque publicum ſit, cujus quondam „poſt mortem tuam exactiſſimam, & „ſeveram rationem reddere teneberis.„ Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Hæc Præſulis oratio Henrico III. Regi minus grata accidebat, ac jam tum eum pœnitentia ſubibat, quod ſacro Ordinis conveniendi facultatem conceſſerit.

§. XVI.

Regis reſponſum ad Vaſatenſis Epiſcopi orationem.

Nihilominus Rex ad tria capita a Præſule expoſita moderate hæc reſpondit, & quidem ad primum: „equi„dem ſtudium, piaque veſtra voluntas, „qua Ordinis veſtri emendationem ur„gere, atque muneris veſtri partes ad„implere ſatagitis, mihi ſummopere pro„batur,

Sæcul XVI. A.C. 1579. „batur, quo eodem etiam ſtudio ac„cendor, nilque ardentius deſidero, „quam Dei honorem, ejusque cultum „in regno meo reſtauratum cernere: por„ro id in pluribus occaſionibus teſtatum „reddidi, & licet hucuſque cuncta mea „vota opere explere non potuerim, non „tamen ego horum abuſuum cauſſa ex„iſto: ad alterum caput reſpondeo, quod „jam ab initio regiminis mei ardenter „optaverim, ut Tridentinum Conci„lium promulgetur: verum illius rece„ptio non a me ſolo dependet, notum„que vobis eſt, quod nequidem Caro„lus fælicis recordationis Frater meus „id impetrare potuerit: inſuper poſt„quam hujus Synodi acta per Cardina„lem Lotharingium pie defunctum in „Franciam fuere delata, Fontis-Bel„laquei comitia fuere habita, in qui„bus tamen deciſum, quod ſpectata tem„poris viciſſitudine hoc Concilium reci„pere haud conſultum foret: præterea „etiam ibidem quindecim, aut ſexde„cim notabantur articuli regni juribus, „atque Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus „adverſantes: imo etiam ipſemet Pon„tifex hanc Synodum recipi haud am„plius urgebat: denique ad tertium ca„put declaro, quod Clericos ad Epiſco„patus, & Abbatias nominandi jus mi„hi competat, eoque mei Prædeceſſo„res

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„res consentiente Pontifice, & Eccle- Sæcul. XVI.
„sia fruebantur, quibus nec pietate, ne- A.C. 1579
„que religione, nec studio erga Deum, &
„Ecclesiam cedere volo, proin hoc jus æ-
„que, ac illi, semper sartum conservabo:
„nec ego solus eo fruor; pariter enim
„Hispaniæ, & Poloniæ Reges intra sua
„regna eadem gaudent prærogativa,
„mihique magis, quam forte cuipiam
„alteri cogniti sunt illi, qui ad ejusmodi
„beneficia idonei sunt, si vero præteritis
„temporibus illaindignis contuli, hoc
„malum jamjam usu senescere comperi.„

Postea Rex fusius excurrebat in mala, quæ ex electionibus proveniunt, quam in rem comprobare nitebatur, quod hæ nonnisi fraudum, factionum, & simoniæ ope, priusquam Reges ad beneficia nominassent, fuerint peractæ: quantum vero ad profanas commendas attinet, respondit, quod illas duntaxat eo fine sibi vindicaret, ut magis, magisque fidem Catholicam conservare, atque Ordinis sancti Spiritus Equitibus nuper pro tuenda Ecclesia Catholica, Apostolica, & Romana institutis succurrere posset, nequaquam vero ecclesiasticorum bonorum fundationes sibi attribuere præsumeret: de cetero autem id, quod hac in re feciſſet, aliorum exemplo comprobatum ajebat, eoquod Papa annatas sibi vendicasset, &

Sa-

Sæcul. XVI. A.C. 1579. Sabaudiæ Duces ad alendos suos Ordines Ecclesiæ reditus impenderent. Denique suum responsum absolvit, ista profitendo: ego homo sum, ac minime ignoro, quod de mea administratione Deo rationem reddere tenear, ast multum in Dei misericordia confido.

§. XVII.

Episcopi Vasatensis responsum ad Regis orationem.

Actes l. c. p 9. Verum mox Vasatensis Episcopus hæc Regi reposuit: „equidem haud dis-„fiteor, quod morum corruptio in Gal-„liis inter Ecclesiasticos multum inva-„luerit, non tamen ea toti Corpori im-„putanda venit: universus enim Or-„do suorum membrorum emendatio-„nem deposcit, nihilque magis, nisi „perversa illa molimina, quæ regiam „suam Majestatem a prona voluntate, „piisque consiliis præpediunt, Clerus „Gallicanus abhorret, nec propositum „colloquium cum Curiæ Senatoribus „circa Synodi Tridentinæ promulgatio-„nem rejicit: de cetero electiones regno „adeo necessariæ videntur, ut haud ob-„scure observatum sit, quod nunquam „stirpis regiæ propagatio desierit, nisi „postquam Reges nominationem ad be-„neficia usurpaverant: eapropter Carolus „Magnus, cum eam rem experimento „edo-

„edoctus fuisset, Ecclesiis, & Monaste-
„riis electionum jus reddebat, ut
„hac ratione Dei vindictam placaret,
„imo eodem ex capite Hugo Capetus
„sancti Germani Abbatiam, aliasque,
„quas sibimetipsi attribuerat, dimisit,
„necminus sanctus Ludovicus ad bene-
„ficia nominare abhorruit, ut mala, quæ
„sibi impendere noverat, evitaret: por-
„ro Franciæ Episcopi suas Ecclesias ite-
„rum abdicare, paratissimi sunt, ea ta-
„men lege, ut digniores, quam hucus-
„que factum, illis præficiantur (*). De-
„nique Clerus omnino ratum habet E-
„questrem Ordinem a Rege institutum,
„perdemisse tamen suam Majestatem
„rogat, quatenus perpendere velit, quod
„Ecclesiæ patrimonium ad ditandos lai-
„cos non fuerit destinatum, nec tamen
„propterea Ecclesiasticus Ordo cum Re-
„ge contendere intendit, sed unice suæ
„conscientiæ satisfacere, ac status sui
„præcepta adimplere satagit: Deus enim
„inter Episcopos, & Principes idem erit
„Judex.„

§. XVIII.

(*) Hæc subjunxit hic Episcopus, eoquod Rex ex Episcopis præsentibus quosdam Regis beneficio ad Episcopales Sedes fuisse nominatos objecisset his verbis: *num si penes Collegia electionis jus fuisset, vos Episcopi electi fuissetis.*

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XVIII.

Regis poſtulata ad Clerum Gallicanum.

Memoir. l. c. p. 30.

Tum quidem Rex nullum dederat reſponſum, Bellverium tamen ad Cleri comitia ablegabat, ut ibidem proponeret, quod Eccleſiaſtici ulterius adhuc decimas penderent, quas pro ſublevandis regni neceſſitatibus ſolvere ſeſe antea obſtrinxerant. Hæc immodica Regis petitio plurimum cunctis diſplicebat, atque Epiſcopi hac ſuper re deliberare recuſabant, niſi prius Rex ad Vaſatenſis Præſulis rationes reſpondiſſet, præcipue vero Lugdunenſis Archiepiſcopus Bellverio expoſuit, quod Ordo Eccleſiaſticus intra poſtremos hoſce viginti annos Regi majorem longe pecuniarum ſummam conceſſiſſet, ac per integra duo priora ſæcula, imo a tempore, quo Chriſtiana religio in regno fuit ſtabilita, eidem dediſſet. His dictis idem Præſul fuſius excurrebat in ea, quæ tangebant immunitatem Eccleſiaſticam, quin tamen negare auderet, quod etiam Ordo Eccleſiaſticus in urgente neceſſitate ſuccurrere teneretur: cum vero eidem Bellverius Boniſacii VIII. diploma objeciſſet, atque ex eo comprobare niteretur, quod Reges neceſſitatis tempore per vias legitimas, atque uſitatas

de

de Eccleſiarum bonis diſponere valerent, mox Archiepiſcopus ita repoſuit: „hoc diploma eſt ſuppoſititium, nam „in tertio hujus Pontificatus anno datum legitur, eo autem tempore hic „Papa cum Philippo Pulchro graviſſimas contentiones habuit: inſuper in „hoc diplomate decimo tertio ejusdem „Pontificatus anno mentio fit, cum tamen hic Papa duntaxat octo annos, novem Menſes, & ſeptendecim dies regnaſſet: præterea etſi hoc privilegium reipſa eſſet conceſſum, illud tamen ipſemet Bonifacius revocavit, Regi inhibens, ne Cleri ſui bona uſurparet, „non obſtante quocunque privilegio in „contrarium conceſſo.„ Denique allatis pluribus aliis rationibus Archipræſul concludebat, quod nunc, cum Epiſcopi in nuperis comitiis ſuas libertates fuiſſe labefactatas pertimeſcerent, ibidem ſtabilita confirmare renuant, niſi cuncta prius ſedulo fuiſſent diſcuſſa.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Ad hæc Bellverius repoſuit, quod Rex nec Clericorum immunitatem lædere, minus vero præterita pacta cum Pariſienſi urbe Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, & ſexageſimo ſeptimo inita reſuſcitare velit, Eccleſiaſticos tamen rogitet, ut miſeri ſtatus rationem habere, & ultro, ac ſolo benevolentiæ titulo Regi ſuccurrere velint.

Sæcul XVI A.C 1579.

velint. Postea pluribus regni inopiam, necnon Regis ærarium pro Religionis defensione exhaustum commemorabat, & demonstratum ibat, quod hæc pacta in frequenti consessu nonnisi post maturam deliberationem fuissent sancita: de cetero autem Regem ad Cleri postulata responsurum ajebat, imo jam-jam circa hoc responsum quorumdam operam esse impensam testabatur: verum Ordo Ecclesiasticus comprobabat, quod suis obligationibus erga Parisiensem urbem plene satisfeciisset, eo potissimum nomine, quod transactiones anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, ac sexto post anno Parisiis initas integra fide adimplessent: cum autem nihilominus Mercatorum Præfectus hasce decimas rursus solvi urgeret, commentus, quod Clericorum pecuniæ ad solvenda antiqua debita, non vero ad extinquendam sortis summam adhibitæ fuerint, hinc Rex Clericis injunxit, ut Urbi satisfacerent: Ordo tamen Ecclesiasticus quicquam solvere renuens Deputatos ad Regem ablegabat, qui exponerent, quod Ecclesiastici pactis in Urbis Prætorio sancitis nullo pacto obstricti essent: insuper his Deputatis injunctum, ut articulos pro Ecclesiæ reformatione decretos innovarent: porro hanc in rem feria secunda

cunda die tertia Auguſti inter Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Vaſatenſem, Novodunenſem, ac Pariſienſem Antiſtites, & inter Cancellarium, Nivernenſem Ducem, Retenſem Mareſcallum, Bellverium, Procuratorem generalem, & ſupremum Campaniæ Priorem conſultatio habebatur, quæ usque ad quartam Septembris diem protracta eſt, eaque finita Clerus conſenſit, ut Regi decies centena librarum millia quotannis tanquam donum, ut vocant, gratuitum per integros ſex annos daretur, ea tamen lege, ut Clerici pactis in Urbis Prætorio initis haud amplius ſatisfacere teneantur: aſt huic propoſitioni Rex annuere recuſabat. Sæcul. XVI. A C. 1579.

§. XIX.

Varia ſtatuta in Cleri comitiis promulgata.

Tandem die vigeſima ſecunda Septembris ſancitum, ut præter Diæceſanos, & Metropolitanos Syndicos duo nominarentur, qui Clericorum negotia procurarent, iisdem autem ſalarii nomine quotannis mille quingentæ libræ Francicæ aſſignarentur: inſuper decretum, ut quovis biennio alii deſignentur, privatisque decimarum exactoribus penitus abolitis ex Ordine Eccleſiaſtico tres Viri conſpicui quolibet trien-

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

nio eligantur, qui Archiepiſcopatuum, & Epiſcopatuum appellationes dijudicarent, ſociosque hujus muneris haberent Eccleſiæ Miniſtros, & ſupremæ, aut Præſidialis Curiæ Conſiliarios, quorum ſententiæ, ſi tamen a ſeptem ſint latæ, tanquam a ſuprema Curia pronuntiatæ cenſeantur, ita tamen, ut etiam Archiepiſcopo, & Epiſcopo illis intereſſe liceat, dummodo ibidem non agatur de cauſſis, quas ipſi, vel eorum Vicarii, aut illius Diæceſis Clerici deputati jam antea cognoverunt: præterea ibidem ſanctio fiebat, vi cujus Archiepiſcopi, & Epiſcopi coram ſuo Capitulo, Abbates vero, & Priores, aliique beneficiati coram ſuo Ordinario jurent, ſe ad ſuas dignitates nequaquam per ſimoniæ viam fuiſſe evectos. Die vigeſima quinta Septembris Eccleſiaſticus Ordo rurſus reclamabat adverſus Regem, qui importune a Clero petebat, ut decimas ſolvere continuaret: die autem vigeſima ſexta ejusdem Menſis comitia in Abbatia ſancti Germani de Pratis Lutetiæ celebranda ad diem trigeſimam præfati Menſis differebantur, ubi tamen idem, ut antea, decretum fuit.

§. XX

Sæcul. XVI. A C 1579

§. XX.

Briocenſis Epiſcopus ab Ordine Eccleſiaſtico ad Regem deputatus.

Poſtea Ordo Eccleſiaſticus denuo Nicolaum Anglerium Briocenſem in Britannia Epiſcopum unacum quibusdam Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque ad Regem ablegabat, ut poſtulationibus a Vaſatenſi Antiſtite propoſitis inſiſteret: hic ergo ad Regis alloquium die tertia Octobris admiſſus ita perorabat: „Omnis Monarchiæ, ac Re„gni, præcipue vero Francici, unicum, „ac verum firmamentum eſt Religio, at„que ipſemet ſanctus Remigius Rhemen„ſis Archiepiſcopus, dum Clodovæum „primum ex Franciæ Regibus Chri„ſtianum Principem anno Domini qua„dringenteſimo nonageſimo nono lu„ſtrali aqua tinxerat, prædixit, tamdiu „Regnum duraturum, quamdiu illius „Reges fidei, & Eccleſiæ Catholicæ „adhærerent: veterem autem diſcipli„nam revocandi medium vere unicum „eſt Concilii Tridentini promulgatio, at„que electionum jus Eccleſiis, & Mo„naſteriis reſtituendi ſollicitudo; porro „in Poloniæ regno, ubi variæ ſectæ „tolerantur, eadem Synodus fuit pro„mulgata, atque a Catholicis recepta, „quin tamen inter hos, & hæreticos

Acta & mem. l. c. pag. 16. Thuan. l. 68. Spond. n. 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

„pax fuiſſet turbata: in Galliis vero „Religionis neglectus tantopere excre- „vit, ut plures Epiſcopatus absque Epi- „ſcopis ibidem reperiantur, quia Ec- „cleſiarum bona inique a laicis uſur- „pantur: inſuper plusquam octingentæ „numerantur Abbatiæ, ad quas Rex „quidem jus nominandi habet, vix ta- „men centum Abbates nominavit: illi „vero Abbates, qui hæc bona in com- „mendam a Rege perceperunt, potiſ- „ſima ex parte ſuum jus cedunt con- „jugatis, proin laicis, unde oritur, „quod Abbatiæ Religioſis deſtitutæ ſint, „nullaque ibi regula, nulla diſciplina, „nulla hoſpitalitas ſervetur, imo ne- „quidem ullus cultus, aut officium „Deo iis in locis perſolvatur.„

„Aſt Deus juſtus Judex a veſtra „Majeſtate olim requiret tot animas, „quæ probis Paſtoribus, ac Prælatis „deſtitutæ in æternum perire coguntur, „eoquod veſtra Majeſtas ad Regni ſui „Eccleſias ejusmodi Paſtores nominare „neglexerit: nonne Dei vindicta per- „cuſſit Alphonſum, & Emanuelem ejus „Filium Neapolis Regem propter indi- „gnas Epiſcopatuum, & Abbatiarum „collationes? nonne ut iniquæ uſurpa- „tiones contra Dei Eccleſiam attentatæ „punirentur, Franciæ Regnum a Clod- „veæ familiæ poſteris translatum eſt

„ad

„ad Caroli Magni proſapiam, ac demum „ab hujus ſtirpe ad Hugonis Capeti „progeniem? inſuper exploratum eſt, „quod ab illo temporis articulo, quo „Franciæ Reges ad beneficia nominandi „jus per concordata ſibi arrogarunt, „hæreſes eorum regna devaſtare cœpe„rint, novaque indies incrementa ſum„pſerint, quin propterea aut regnum „illud magis locuples, vel magis fau„ſtum evaderet, cum tamen vigente „electionum jure Eccleſia ſemper magis „floruiſſet: enimvero a Regia veſtra „Majeſtate Eccleſiaſticus Ordo ſua „bona, & privilegia augeri minime pe„tit, unice tamen deſiderat, ut exi„guas bonorum reliquias eidem ſaltem „conſervare velit, cum iſipſe aliunde „miſeriis, & calamitatibus per viginti „omnino annos toleratis pene confectus „ſit: non autem æquitatem, aut juſti„tiam ſapit, quod Clerus compellatur, „quatenus plusquam duodecies centies „librarum millia quotannis ſolvere per„gat, ſub obtentu quorumdam pacto„rum, quorum tamen plura jam fuere „adimpleta, alia autem a Viris facul„tate ad id neceſſaria deſtitutis absque „judicii forma, ſine ſolemnitatibus, at„que auctoritate a ſacris Canonibus re„quiſita, ac denique ſine cauſſæ legi„timæ cognitione fuerunt inita, adeo,

Sæcul. XVI. A C. 1579.

Sæcul. XVI. A.C. 1579

„ut neutiquam subsistant: eapropter „Clerus perdemisse Vestræ Majestati „supplicat, ut ad summam penuriam „infinitorum pene Ecclesiasticorum, „quos tamen continuata decimarum „exactione vexari præcipit, attendere „velit, præcipue cum vestra Majestas „æque, ac Carolus IX. Rex Frater tuus „ab Ecclesia circiter octoginta millio„nes extorsisset, non tamen propterea „tum populus minus erat oneratus, nec „æraria minus exhausta, æsque alie„num minus auctum: ceterum ad re„giminis tranquillitatem, securitatem„que, necnon ad conciliandum subdi„torum obsequium, ac subjectionem „nullum medium magis aptum occur„rit, nisi ut Synodum Tridentinam publi„cari, & Concilia provincialia haberi „præcipiatur, hocque pacto Disciplina „Ecclesiastica restauretur: denique si „electionum jus Capitulis reddatur, ac „nominationibus nuntius mittatur, ve„stra Majestas conscientiæ satisfacere „poterit, ac sperare valebit, quod probi „Pastores Ecclesiis præficiantur.„

§. XXI.

Regis responsum ad Briocensis Episcopi orationem.

Acta p. 27. Quamvis Rex ad abroganda concordata admoneri injuriæ loco haberet

ret, nihilominus ſat moderate reſpon- Sæcul XVI.
dit, ac præprimis ſe Ordini Eccleſia- A.C.1579.
ſtico valde propenſum eſſe palam profeſſus hæc addebat: „præcipio, ut hac „duntaxat vice Clerus quaterdecies „centena millia librarum pendat:„ his dictis deputatis injunxit, ut ad ſuas Diæceſes redeant, & quantocius tam ibi, quam in reliquis Regni Diæceſi„bus hanc Regis voluntatem publicam reddant. Verum ad hæc Briocenſis Præſul repoſuit: „non ſine maximo „animi ſui dolore Ordo Eccleſiaſticus „experiri cogitur, quod per integrum „ſemeſtre, quo Veſtræ Majeſtati ſatis„facere toto ſtudio adlaborabat, nun„quam tamen optatum ſucceſſum for„tiri potuerit: cum vero eidem duo„decies centena aureorum millia offert, „rem ſuis viribus ſuperiorem pollice„tur, nec quid amplius Regi offerre „poteſt: de cetero autem veſtra Maje„ſtas ſibi caveat, ne tunc, dum per „haſce exactiones æquitati tantopere „adverſas ea, quæ Dei, ſuorumque „membrorum ſunt, inique eripit, Deus „viciſſim regnum gratis datum ab ea „auferat.„ His dictis ſermonem abſolvens Regis patrocinium implorabat, Matrique Reginæ ſupplicabat, ut Regnum ab hæreſis veneno præſervare, ac tumultus ſedare curaret.

§. XXII.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XXII.

Clerus ſub quibusdam conditionibus hoc donum gratuitum concedens.

Mem. l. c. Rex a concepta ſua ſententia adeo non receſſerat, ut etiam gravem indignationem ob Epiſcopi ſermonem conceptam oſtenderet, ac pertinaciter poſtularet, quatenus Clerus præter quaterdecies centena librarum millia, quæ per integrum ſexennium quovis anno Regi jamjam ſolverat, inſuper antiquis debitis Pariſinæ urbi ſatisfaceret, necnon novies centena librarum millia Nemorſio Principi, & Principiſſæ, necnon aliis privatis viris debita numeraret. Clerus cum nullam precum ſuarum rationem haberi indignaretur, nonniſi oblatam pecuniarum ſummam Regi concedere ſtatuit, præſcriptis hiſce conditionibus, I. Rex per regium diploma declaret, quod impoſterum Ordinem Eccleſiaſticum nulla alia exactione exhaurire velit, niſi id fieret ex cauſſa legitima in generali quodam conventu propoſita, & Ordinum conſenſu approbata. II. Diæceſes ad id non in ſolidum adſtringantur. III. Rex Clero damna ex incultis agris orta compenſet. IV. Diæceſis, vel ille Beneficiatus, qui aut belli injuria, aut alia violentia ſuis proventibus ſpoliatus eſt, juxta ſui damni

damni mensuram ab hac exactione exoneretur. V. Ad calcem libello pro decimarum exactione confecto hæc verba subjiciantur: *Factum juxta Cleri intentionem.* VI. Ea, quæ Clerus nunc concedit, fiant absque novo contractu, & mere ad pecuniarii subsidii modum, idque ad sexennium, quo durante tempore Rex ad expungendum æs alienum Ordinum comitia convocet. Sæcul. XVI. A.C.1579.

§. XXIII.

Regis responsum ad hasce Cleri propositiones.

Attamen Rex harum conditionum quasdam oppositis novis difficultatibus evertere nitebatur, tandem vero sibi satisfactum iri declarabat, si Ecclesiasticus Ordo Regi per integrum sexennium tredecies centena millia librarum quotannis dono daret: ergo hæc transactio sequenti Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo die decima quarta Februarii a Deputatis firmatur, ea tamen lege, ut novi contractus non approbarentur, de cetero autem Ordo Ecclesiasticus pactis per contractus tam anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, quam sexagesimo septimo initis, necnon conditionibus in nupera oblatione productis frui possit, hancque in rem *Collect. des affair. du Clergé de France t. 3.*

Clerus

Sæcul. XVI. A.C. 1579

Clerus Pontificis veniam, & consensum petere teneatur. Sub idem tempus pariter sancitum, ut ex Deputatis nullus, nisi sacris sit initiatus, ad Cleri comitia admitteretur. Hac transactione die vigesimo Februarii utrinque acceptata Cleri Gallicani comitia hoc pacto absolvebantur.

§. XXIV.

Tumultus ob Cleri repulsam circa solvendas decimas Parisiis exortus.

Thuan. l. 68. Die undecima Decembris jamjam Ordo Ecclesiasticus Mercatorum Prætori, necnon Parisinæ urbis Consulibus significari jusserat, quod adversus contractus, de quibus jam supra mentionem fecimus, omnes Prælati palam reclamarent, cum compertum esset, quod obligationibus per hosce contractus impositis plene satisfeciissent, nec amplius illis teneantur: attamen re hac in vulgus sparsa subito tumultus oriebatur, in quo privatorum quamplurimi rem, atque fortunas amittebant, ad mendicitatem redacti; primo equidem secretæ laicorum indignationes audiebantur, dein autem ad seditionem res spectare videbatur, furensque plebecula per plateas cursitabat, pluresque seditiosi jamjam ad arma conclamabant, adeo,

adeo, ut officinas claudere neceſſe eſſet: inſuper Claudius Aubragus tum Mercatorum Præfectus unacum oppidanis Conſulibus Senatum adiit, ubi rei ſeriem ſuæ Societati expoſuit: itaque congregatis Curiis Auguſtinus Thuanus Hiſtorici Patruus regii Procuratoris nomine perorabat, mox vero Senatus decretum edidit, quo inhibitum, ne Epiſcopi, qui deputati erant, urbe exirent, ſed illico coram regiarum cauſſarum Cognitore compareant, ceteri vero Præſules, qui jamjam extra Pariſienſe territorium ad ſuas Diæceſes reverſi eſſent, eo loco, ubi eis hoc decretum annuntiari poterit, comprehendantur: equidem Ordo Eccleſiaſticus adverſus hoc decretum acriter reclamabat, tantam ſibi injuriam inferri queſtus, verum Rex hujus rei cognitionem ſibi vendicans Ordinis Eccleſiaſtici Deputatos conſentire compulit, ut Præſules adhuc per aliud integrum decennium decimas Regi perſolvere continuarent, qua nova hac exactione populi indignatio quievit, ac ſeditio præpedita eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XXV.

Stanislai Hoſii Cardinalis obitus.

Francia cum hiſce tumultibus agitaretur, interim Stanislaus Hoſius Cardi- *Ciacon. vit. Pontif. t. 3. pag. 908.*

Sæcul. XVI. A.C.1579.

Cardinalis Warmienſis Epiſcopus in Italia mortalitatem exuit. Is anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto die octava Aprilis Cracoviæ in Polonia natus ſtudiorum curriculo in ſua patria confecto a ſuis Parentibus Patavium mittebatur, ubi Lazari Bonamici magiſterio uſus arctiſſimum amicitiæ fœdus cum Renato Polo poſtea Cardinale inibat: inde vero Bononiam contendens, ac jurisprudentiæ vacans Doctoratus laurea decoratus eſt, atque in Poloniam reverſus a Sigismundo Auguſto graviſſimis Regni negotiis præficiebatur, poſteaque ad Culmenſem Epiſcopatum ab eodem Rege nominatus, demum Warmienſem Eccleſiam obtinuit, quam nonniſi a Julio Papa compulſus acceptabat, atque usque ad extremum vitæ ſuæ diem retinebat, eamque regebat raris virtutum exemplis clarus; nam populum ſuum verbo, & opere ad pietatem animabat, atque eundem divini Verbi pabulo paſcebat, & ſingulis diebus octo horas ſtudiis, totidemque ſuæ diæceſis ſollicitudini, ac negotiis impendebat: inſuper ipſius quoque pauperes viſum ibat, illosque largis eleemoſynis ſublevabat: præcipue vero hæreticos ſibi devincire, eosque ad veræ Eccleſiæ ſinum revocare intentus erat: itaque omnibus probi Paſto-

Pastoris partibus digne adimpletis a Paulo IV. circa annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum Romam accersebatur, ut in administrandis Ecclesiæ negotiis eidem Pontifici opem præstaret, unde in tot meritorum præmium jam tum Papa illum Romana purpura honorare meditabatur; verum pius hic Præsul ad summi Pontificis pedes provolutus eundem obsecrabat, ne illum ad acceptandam hanc dignitatem compellere vellet: postea tamen, cum Paulus IV. decederet, & Pius IV. ejusdem Successor Tridentinam Synodum prosequendi desiderio flagraret, Hosius ab eodem Pontifice ad Ferdinandum Cæsarem, & Bohemiæ Regem decernebatur, ut hos Principes ad comprobandam hujus Concilii continuationem inclinaret. Fertur, quod Ferdinandus Hosio adveniente surrexerit e solio, & in caput ejus incubuerit, ac lacrimans dixerit: *Gratia Spiritus sancti vobiscum est; spiritum Domini labia vestra moventem video, vera dicitis.* Sæcul. XVI. A. C. 1579.

Demum Pius IV., qui illius opera in Synodi negotiis uti decreverat, Hosio rubrum galerum Viennam in Austria exeunte Mense Februario anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo primo transmisit:

Sæcul. XVI. A. C. 1579.

verum Hosius rursus hanc dignitatem deprecatus, & nonnisi a Papa jussus eam acceptabat, ac die vigesima quinta Martii in Festo Beatissimæ Virginis annuntiatæ ab Archiepiscopo Strigoniensi Cardinalatus insignia accipiebat.

Evoluto bimestri ab eodem Pontifice Legatus Apostolicus unacum Mantuano, & Seripando Cardinalibus nominabatur, moxque iter arripiens summo mane nonnisi parco comitatu stipatus præter omnium exspectationem studiose urbem ingrediebatur, ut pompam, honoresque Legatis exhiberi solitos in suo ingressu declinaret: Tridenti vero cum tanta sapientia, ac prudentia res moderabatur, ut absoluta Synodo literis honoraretur, quibus Papa eidem verbis admodum honorificis summas rependebat gratias: attamen Hosius vix Tridentum veniens morbo correptus ab illo tempore nunquam pristinam sanitatem plene recuperabat, unde vigesimæ quartæ, seu sub Pio IV. octavæ Sessioni, in qua de clandestinis matrimoniis agebatur, interesse præpediebatur, nihilominus circa hanc quæstionem suum transmittebat suffragium, significans, quod ægre Synodi decisionem ratam haberet, cum illam priscis Canonibus adversari censeret, se tamen novis altercationibus neutiquam

quam anſam daturum inquiebat, adeo, ut Pontificis judicio ſeſe plene committeret, quod tamen ſuffragium oppido ſingulare videtur, eoquod auctoritas Concilii ſuperior eſſet Pontificia. (*) Demum abſoluta Synodo Hoſius in Poloniam, ac Warmienſem Diæceſin ſuam reverſus, ibidem a Pio V. Pii quarti Succeſſore Sedis Apoſtolicæ Legatus creabatur: aſt a Sigismundo Auguſto Romam contendere juſſus Martinum Cromerum Virum ſuis elucubrationibus ſat celebrem interea Epiſcopatus ſui coadjutorem nominari voluit, ipſe vero Romam verſus pergens ibidem cum ſummo omnium applauſu excipiebatur, ac demum poſt Pii V. obitum a Gregorio XIII. ejus Succeſſore Major Pœnitentiarius nominatus eſt, quod munus cum ſummo Religionis ſtudio, atque indefeſſa aſſiduitate obibat usque ad ſupremum vitæ ſuæ diem, qui erat quintus Auguſti hoc anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono; obiit enim anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto Caprarolæ

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

(*) Scilicet in Eccleſiæ Gallicanæ ſententia, quæ tamen Univerſalis Eccleſiæ opinioni minus conſona eſt.

Sæcul XVI. A.C. 1579.

rolæ prope Romam, quo ad declinandos æstivos calores secesserat. Corpus ejus Romam translatum in Ecclesia sui tituli ad sanctam Mariam Transtyberim terræ mandatum est: funebrem vero orationem habuit ejus popularis Thomas Treterus.

§. XXVI.

Hujus Cardinalis opera.

Haud immerito Hosius doctissimis accensetur Dogmaticis, quos illo ævo Christi Ecclesia alebat: scripsit enim cum ingenti facilitate, atque elegantia, sacræque scripturæ, ac Sanctorum Patrum textus eximio prorsus usu seligebat & ex Novatorum opinionibus sibi invicem repugnantibus dexterrime arma contra eosdem sibi comparare noverat. Ceterum ex ejus lucubrationibus primum opus complectitur fidei Catholicæ confessionem Augustanæ oppositam, ac seorsim Romæ anno a Virginis partu millesimo quingentesimo sexagesimo nono typis impressam: elucubrabat etiam illorum, quæ Brentius consarcinavit, prolegomenorum confutationem quinque libris Coloniæ anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo editam, præter tractatum de Verbo Dei, ubi illos refellit, qui ad tuen-

tuendos ſuos errores ſacris literis abutuntur, atque explanationem ab Eccleſia receptam negligunt: inſuper edidit Dialogum de communione ſub utraque ſpecie, de connubio Sacerdotum, & de Miſſa in idiomate patrio celebranda, præter explicationem Salutationis Angelicæ: exſtat pariter ejusſententia, ac cenſura circa adorationem Myſterii Sanctiſſimæ Triadis adverſus Tigurinos, & Heidelbergenſes Miniſtellos: cetera vero ingenii ejus monumenta poſteris relicta ſunt hæc. I. Tractatus de loco, & auctoritate Romani Pontificis in Eccleſia, & Conciliis contra Orichovium. II. Liber de oppreſſo Dei Verbo. III. Ducentæ triginta duæ Epiſtolæ. IV. Orationes funebres pro Sigismundo I. & II. Poloniæ regibus. V. Plures homiliæ latinæ, Germanicæ, & Polonicæ. VI. Apologia Aulæ, urbisque Romanæ adverſus Politicos. VII. Diſſertatio contra eosdem Politicos pro tuenda jurisdictione Epiſcopali, Eccleſiaſtica, & civili. VIII. Collatio veteris Eccleſiæ cum noſtra. Porro horum operum nonnulla vivente adhuc authore triginta duabus omnino vicibus in præcipuis Europæ urbibus typis excuſa, ac in omnes ferme uſitatiores linguas translata fuere. Roſcius Hoſii vitam conſcripſit, ac plu-

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

Sæcul. XVI A.C. 1579

rimi Scriptores doctissimi amplis elogiis hunc Cardinalem celebrarunt.

§. XXVII.

Lomellini Cardinalis mors.

Ciacon. pag. 970. Foglieca in elog. Clar. Vir.

Die vigesima sexta Julii eodem anno Benedictus Lomellinus ex nobili, & opulenta Genuensium familia anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo septimo natus extremum diem clausit. Hic in Canonicæ, & civilis jurisprudentiæ studio tam ingentes fecerat progressus, ut adolescentiam nondum egressus utramque disciplinam publice cum summa laude profiteretur: cum vero se pro majoribus, atque Ecclesiæ magis proficuis exercitationibus natum crederet, Romam contendit, ubi a Paulo IV. qui hujus Viri merita sibi perspecta habebat, Cameræ Apostolicæ Clericis accensitus Carolum Cardinalem Caraffam in Belgium ad Philippum II. Hispaniæ Regem legatum, ut ei opera, & consilio adesset, comitatus est. Hunc Pius IV. summus Pontifex post Pauli IV. obitum in variis occasionibus seligebat, ubi Lomellinus semper tam rara singularis justitiæ, ac pro Religione studii sui specimina edebat, ut ab eodem Pontifice unacum aliis Mense Martio anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo

Sæcul. XVI. A C. 1579.

teſimo ſexageſimo quinto purpura decorari mereretur, ſub Gregorio autem decimo tertio Meritianæ, Latiique legatione functus eſt, ac demum præfuit Epiſcopus Eccleſiæ Anagninæ, Albintimillienſi, Lunenſi, ſeu Zarzanenſi, cujus Eccleſiæ Sedes olim Lunæ erat, poſtquam vero poſtremam hanc Eccleſiam per quatuordecim annos rexerat, anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo vivis ereptus, in Eccleſia ſancti Gregorii ſepultus eſt.

§. XXVIII.

Franciſcus Pacecus Cardinalis mortuus.

Hujus Purpurati mortem paulopoſt ſequebatur obitus Franciſci Paceci, qui vulgo Cerralvus dictus ex Joanne Paceco Viro meritis, ac ampliſſima auctoritate claro natus eſt, atque in exigua Hiſpaniæ urbe, quæ civitas Roderici inter Caſtellæ veteris, & Luſitaniæ fines ſita dicitur, primam lucem aſpexit, dein vero in Italiam cum Petro Cardinale Paceco patruo ſuo, ſedente Paulo IV. Pontifice ſe contulit, atque a Ferdinando Toletano Albæ Duce, tunc Neapolitani regni, atque Italiæ Vicario, ob bellum circa res Palliani inter Papam, & Hiſpaniæ Regem exortum in Hiſpaniam mittebatur: inde autem cum Romam

Ciac. p. 938. Gabut. in vita Pii V. Aubery de Card. Vitorel ad Ciacon.

Sæcul. XVI. A C. 1579.

veniſſet, negato a Pontifice alloquio Neapolim revocatur, qua in urbe commoratus eſt usque ad Pontificatum Pii IV., qui Franciſcum anno Redemptionis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo S. R. E. Presbyterum Cardinalem titulo primitus S. Suſannæ, & mox S. Pudentianæ, alias *Paſtoris* renuntiavit: porro paulopoſt protectionem Hiſpaniæ Regnorum ſuſcepit, & defuncto Cardinale Franciſco ubi dein Mendoza Burgenſis Eccleſiæ adminiſtrator evaſit, quæ in ipſius gratiam Archiepiſcopali dignitate aucta eſt, & in Synodo Burgenſi ab ipſo celebrata anno Salutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto ſtatutum edidit, quo colentibus diem immaculatæ Virginis Conceptioni ſacrum indulgentias conceſſit ampliſſimas. Ceterum quinque jam antea annis a Philippo II. Rege, ut ſacrum fœdus cum Pio V., & Venetis contra Turcas iniret, tanquam Procurator regius nominabatur, poſtea autem ab eodem Pontifice ad titulum S. Crucis translatus, unus ex ſupremis hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus deligitur, interfuitque Comitiis habitis pro electione Romanorum Pontificum, Pii V. & Gregorii decimi tertii, ſub cujus Pontificatu Pacecus in Hiſpaniam reverſus, ibidem hoc anno die vigeſima

sima tertia Augusti Burgis morte præventus obiit vulgo dictus Cardinalis Burgensis. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XXIX.

Epistola Pastoralis sancti Caroli Borromæi ad suum gregem contra Bachanaliorum abusus

Interea sanctus Borromæus Cardinalis semper solito, ac continuato studio suorum Diæcesanorum salutem promovere adlaborabat, insuperhabitis omnibus, continuisque obstaculis, quæ a Gubernatore sibi opponi experiebatur: acrius autem illum idem vexabat ineunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, dum omnes sæculi genio indulgentes ad profanas delitias Bachanaliorum tempore consuetas sese accingebant; Gubernator enim festivos ludos, larvarum usum, ludricas decursiones, & pugnas equestres fieri decernebat, sanctus autem hic Præsul ejusmodi spectacula veræ pietati vel maxime adversa esse probe gnarus, ut ea exhiberi præpediret, primo omnes lenitatis vias tentabat, priusquam ad minas, censurasque progredi cogeretur, hinc die vigesima secunda Februarii Pastoralem vulgavit epistolam, in qua exposuerat, quantum ejusmodi publicæ dissolutiones periculosæ, *Giussan. vit. S. Caroli l. 5. c. 7. Godeau ib. l. 1. c. 24.*

Sæcul. XVI A.C. 1579.

verorumque Christianorum moribus oppositæ essent, postea autem ibidem suam erga Deum ingratitudinem Mediolanensibus objectans eis exprobrabat, quod de beneficiis, quibus eos Deus abunde cumulans, illos a pestilentia liberasset, ei adeo non debitas rependerent grates, sed insuper illum rursus ad vindictam provocare molirentur. Denique in suorum fidelium memoriam revocabat, quod sese in Baptismo obstrinxissent, quatenus omni dæmonis pompæ, profanis delitiis, & sæculi vanitatibus abrenuntiarint.

§. XXX.

Sancti Caroli edictum adversus spectacula.

Giuss. l. c.

Quamvis sancti Caroli monita intellectum, ac quorumdam corda intimo sensu penetrarint, nihilominus pii hujus Præsulis hostes exinde magis indurati in eum tumultuari cæperant, ac præprimis Gubernator nuperum sancti Caroli decretum indignatus decernere statuit, ut denuo pristinæ corruptelæ, quæ prima die dominica verni jejunii committi solebant, innovarentur, cum autem id Synodi decreto per sanctum Cardinalem promulgato, atque ab Universa plebe recepto adversaretur, hinc Carolus Borromæus

hæc

hæc Gubernatoris molimina edoctus Ecclesiæ disciplinam omnino integram insuperhabita Gubernatoris, & Magistratuum oppositione servare statuit: eapropter Constitutionem edidit, in qua ex sacro Codice, Pontificum Bullis, sanctorumque Conciliorum præcipue Tridentinæ Synodi Canonibus exponebat, quanta sollicitudine Christiani festos dies sanctificare, ac vigente jejunii tempore ab omnibus publicis spectaculis abstinere teneantur: postea ejusmodi relaxationes indicta anathematis pœna *ipso facto* incurrenda inhibuit, adeo, ut ab hac censura solvendi facultas ipsi soli esset reservata: omnes vero, qui ad ejusmoqi spectacula operam suam conferrent, vel eisdem interessent, sacris interdicti existant. Porro hujus decreti severitas suo haud caruit successu: quivis enim sese in officio continebat, solus autem Gubernator vehementer irritatus hostes, quotquot poterat, in sanctum Præsulem suscitabat, quinimo nonnullos etiam Concionatores adversus illum sollicitabat, qui etiam hujus sancti Cardinalis mores, agendique rationem carpere præsumebant, unde inter illos quidam præ ceteris petulantior Inquisitoris jussu captus, ac carceri inclusus deinceps ad populum dicere prohibebatur. Hac

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

causa

Sæcul. XVI. A.C. 1579

cauſſa Romam evocata idem Præco profeſſione ſua Religioſus, cujus tamen Ordinis alumnus fuerit, ignoratur, ad ſui inſtituti monaſterium relegatus eſt, ac ſententia, qua ad populum dicere fuit prohibitus, confirmata ad plures annos extendebatur, absdubio, usquedum certa ſinceri doloris ſigna ediderit, congruaque pœnitentia offenſionem, quam populo dederat, reparaverit.

Ceterum Carolus Borromæus, quamvis ubique graviter vexaretur, nihilominus novum erigebat inſtitutum quarumdam Virginum, quæ primævam ſanctæ Claræ Regulam profeſſæ ſeſe Deo conſecrabant, earumque conventus Mediolanenſis hodiedum vulgo vocatur Monaſterium Capuccinarum ad ſanctam Praxedem; hæ vero religioſæ fœminæ Epiſcopi jurisdictioni ſunt obnoxiæ, ac vivente adhuc ſancto Carolo non ſine magno ipſius ſolatio hoc monaſterium ingreſſa eſt quædam Comitiſſa ſibi proxime ſanguine juncta, cui nomen Coronna: porro hæc Comitis Joannis Baptiſtæ Borromæi filia ibidem ſolemni ſponſione ſeſe Deo dicabat, ac vocabatur ſoror Helena.

§. XXXI.

§. XXXI.

Sæcul. XVI. A.C.1579.

Quinta Mediolanensis Synodus a sancto Carolo celebrata.

Cum jamjam a quarta Synodo Mediolani celebrata tertius annus effluxisset, sanctus hic Cardinalis hoc anno quintum Concilium cogere statuit, illudque ad diem septimam Mensis Maji indixit, edito hanc in rem diplomate die sexta Mensis Martii. Intererant huic Concilio æque, ac prioribus omnes Provinciæ Ordines præter quindecim Episcopos, qui hujus Synodi actis subscripti leguntur, illam vero Sanctus Carolus inchoabat præmissa oratione, in qua ejusmodi Conciliorum necessitatem, necnon insignia commoda exinde in Ecclesiam redundantia demonstrabat: absoluto autem hoc sermone prima habebatur Sessio, in qua de opportunis fidem conservandi, ac defendendi mediis agebatur. Ceterum hujus Concilii acta in tres partes divisa articulatim ea exhibent, quæ ad politicum Ecclesiæ regimen spectant, ac quidem in prima parte, postquam generatim ea, quæ ad utilem Ecclesiæ administrationem conducunt, explanata fuerant, in secundo articulo agitur de iis, quæ Verbi Divini prædicationem, & doctrinam Christianam concernunt, in tertio autem

Labbe Coll. Conc. t. 15. p. 556.

Sæcul. XVI. A.C.1579.

tem designantur dies festi, necnon tempora, quibus a servili opere vacandum: quartus articulus agit de votis: quintus de indulgentiis, sacrisque reliquiis: sextus de Sacramentis in genere: septimus de Baptismo, octavus de confirmatione, nonus de Eucharistia, decimus de pœnitentia, undecimus de extrema unctione, ubi observatur, quod tunc, si Sacerdos ex incuria aliud præter oleum infirmorum adhiberet, etiamsi Chrisma, vel oleum Cathecumenorum foret, Sacramentum tamen adhibito infirmorum oleo reiterandum, ac forma repetenda esset.

Altera pars differit de sollicitudine, qua pestis tempore infirmi sunt curandi: insuper ibidem declaratio fit de cuivis munere tum exequendo, sive sit Episcopus, Parochus, simplex Sacerdos, Religiosus, sive demum Magistratus, vel Paterfamilias, aut quiscunque alius: porro ibidem omnes admonentur ad animi firmitatem, & constantiam in ejusmodi occasionibus exhibendam, præcipue vero Episcopis iniungitur, ut sollicite preces publicas persolvi curent, & Metropolitani, atque Episcopi Provinciales sui Officii partes non negligant, moresque emendari studeant, atque infirmis sacram opem sedulo impendant, minime neglecto temporali subsidio: præ-

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

præterea iisdem præcipitur, ut nosocomia, locaque publica præparari satagant, in quibus cuncti morbo contagioso jamjam affecti ab illis, qui hujus mali periculo necdum sunt infecti, aut ab hoc morbo convalescunt, separari queant: denique etiam mentio injicitur de cautelis, quarum ope grassantis luis violentia sisti posset: nec prætermissa est sollicitudo, qua Sacerdotes Sacramenta administrantes se a contagionis periculo præmunire debeant. His expositis articulatim recensentur ea, quæ in utriusque sexus Monasteriis hoc malo infectis observanda veniunt, simulque Matrum hoc morbo laborantium infantes Baptizandi modus præscribitur; insuper habetur sermo de Confratrum charitatis operibus, de collectione Eleemosynarum, earumque distributione, de divino officio in ædibus tam publicis, quam privatis ad pestiferorum levamen destinatis peragendo, necnon de instructione ipsis propinanda, ac demum de agendi ratione, quam Parochi, & Sacerdotes hac in occasione tenere deberent: denique nihil prætermissum est eorum, quæ in ærumnoso hoc tempore agenda sunt. Hæc pars clauditur præscripta mortuos sepeliendi cura, iisque annotatis, quæ extincta peste observanda sunt: enimvero nemo

alius

Sæcul. XVI A.C.1579.

alius magis exacte de hoc argumento differere poterat præter sanctum Carolum Borromæum, qui longam, ac perdifficilem illius experientiam ipsus hauserat.

Tertia pars complectitur ea, quæ Sacramenta Ordinis, & Matrimonii concernunt, ubi seminariorum utilitas exponitur, ac de eorum reditibus, & de examinatoribus agitur, simulque præscribitur, qua ratione hi sese erga examinandos pro sacris Ordinibus gerere debeant: ubi etiam indicantur dotes in initiandis requisitæ, præter cetera omnia, quæ honestam vitam, ac probos Clericorum mores, necnon beneficiorum collationes respiciunt, ubi etiam annotatur Divinum Officium rite celebrandi modus, præcipue circa sanctæ Crucis adorationem in die Parasceves. Denique declaratur modus faciendi distributiones, agiturque de residentia, suppellectili, & Ecclesiarum reditibus, necnon de iis, quæ Synodos, Clericorum conventus, & visitationes spectant: præterea pertractatur etiam de Episcopo, ejusque jurisdictione in foro contentioso, de Procuratore Fiscali Episcoporum, ac de Notariis, eorumque taxatione, atque aliis, quæ gratis expedienda sunt: dein transitus fit ad Sacramentum Matrimonii, in quo

quo exacte legum Diæceſanarum cuſtodia tam circa denuntiationes, quam affinitatis gradus, & impedimenta exigitur. Ad calcem horum decretorum fit mentio de Scholis, ſodalitatibus, piis, ſacrisque locis, & Monialibus: tandem eorum omnium, quæ in his Conſtitutionibus continentur, exacta obſervantia commendatur, pluraque alia leguntur ſtatuta prioribus Conciliis addita, quin tamen ab ordine, ac methodo in ceteris Synodis ſervata recederetur. Sæcul. XVI. A.C 1579.

§. XXXII.

Translatio Corporum ſancti Nazarii, aliorumque Sanctorum.

Poſtquam ſanctus hic Archipræſul hac ratione quintam ſuam Synodum abſolverat, plurium Epiſcoporum, qui ejus ſuffraganei erant, præſentia uti decreverat, ut cum majori ſolemnitate ſancti Nazarii Martyris, aliorumque Sanctorum corpora ad Eccleſiam ſub invocatione hujus Sancti erectam, quæ olim Apoſtolorum Baſilica dicebatur, Divi tamen Ambroſii ætate nomen ſuum mutabat, transferre poſſet: cum enim hujus Collegiatæ Eccleſiæ Canonici illam juxta quoddam decretum a ſancto Carolo in ſua viſitatione conditum reparare, atque exornare ſtatuiſſent, Sanctorum, qui ibidem requieſcebant, cor- *Giuſſ. l. 5. c. 9.*

Sæcul. XVI. A. C. 1579.

pora ſubmovere oportebat, ubi ſancti Nazarii Corpus in quadam marmorea tumba, quæ duriſſimo ſaxo contecta erat, terræ immerſum reperiebatur, ſimulque aliorum quorumdam Sanctorum Archipræſulum Mediolanenſium oſſa detegebantur, quæ omnia ſanctus Carolus in lipſana affabre elaborata recondi, atque per urbem in ſolemni ſupplicatione circumferri, & demum ad majorem Eccleſiæ Aram reponi juſſit: inſuper ſancti Fidelis corpus ad Eccleſiam nuper a Jeſuitis conſtructam transferri voluit, ubi etiam ſanctus hic Archipræſul primo ſacris operabatur, ac demum quasdam ædes exſtrui curabat pro puellis, ac mulieribus, quæ antea ſolutiori vitæ indulgentes relicta nefanda conſuetudine pænitentiam agere decernerent. Hæc domus vulgo depoſitum nominabatur, ac dotationis ſuæ diploma Menſe Julio hujus anni datum eſt.

§. XXXIII.

Nuntius Apoſtolicus ſancti Caroli opera ad Helvetios, & Griſones decretus.

Ruff. c. 12.

Cum ſanctus Archiepiſcopus ſuas viſitationes proſequi per peſtilentiæ vehementiam præpediretur, paulo poſt abſolutam ſuam Synodum Diæceſes luſtrare

Sæcul. XVI. A.C.1579.

ſtrare parabat, ac præprimis Vigleba-
nam viſitans nil eorum prætermittebat,
quæ ad gregem ſuum in Dei amore in-
flammandum conferre poſſent, quapro-
pter ipſus ſingulis ferme diebus Verbum
Divinum annuntiabat, atque in Sacra-
mentorum adminiſtratione aſſiduus abo-
levit omnes corruptelas, præſcriptoque
divini officii modo prudentiſſima æque,
ac ſaluberrima condidit ſtatuta: cum
vero graviſſimis ex cauſſis Mediolanum
reverti cogeretur, ſummum Pontificem
impenſe rogabat, ut pro reliquis Diæ-
ceſibus Laudenſi, Vercellenſi, Comenſi,
aliisque Viſitatores Apoſtolicos nomi-
nare velit: inſuper eoquod idem hic ſan-
ctus religionem Catholicam apud Hel-
vetios, ac Rhætios, ſeu Griſones re-
ſtaurari ardentiſſimis votis deſideraret,
hinc ſummis precibus eundem Papam
obſecrabat, ut ad haſce regiones etiam
Nuntium Apoſtolicum decerneret, ſingu-
lari munitum facultate, vi cujus ſacro
harum ditionum regimini invigilare,
illas luſtrare, cunctaque ſtatuere va-
leat, quæ ad Dei gloriam, & anima-
rum, quæ ibidem penitus derelictæ
erant, ſalutem neceſſaria fore cenſebit:
igitur Gregorius XIII. ad ſancti Præſu-
lis preces hanc curam demandabat Jo-
anni Franciſco Bonhomini Novarrenſi
Epiſcopo, qui plusquam integrum bien-

Sæcul. XVI A. C. 1579.

nium in sacra hac expeditione impendens ad hujus gentis salutem, atque emendandos Clericorum mores plurimum conferebat, ubi suam etiam impendit operam, ut Tridentina Synodus apud Catholicos Helvetiorum Pagos reciperetur: porro ab illo temporis articulo summus Pontifex semper Helvetios Nuntii Apostolici præsentia honorabat, sanctus vero Carolus hoc anno pro illa Natione Collegium exstruxit, illudque amplis proventibus dotari curavit.

§. XXXIV.

Mediolanensis Gubernator sancti Archipræsulis nomini labem Romæ aspergere machinatus.

Giuss. l. 6. c. 1.

Interea Gubernator adhucdum contra sanctum Archiepiscopum exacerbatus, suos amicos, quos Romæ numerabat, instigare pergebat, ut sanctum Virum summo Pontifici, sacroque Purpuratorum Collegio exosum redderent, eumque tanquam Virum prudentia, sanoque judicio destitutum traducerent: enimvero hæc calumnia, quamvis veritati omnino dissona, apud quosdam tamen Curiæ Romanæ Præsules fidem obtinebat, quapropter nonnulli quartam illius Synodum, quam tum a sacra Sede confirmandam Theologi examina-

minabant, esse rejiciendam, cunctaque illius decreta etsi saluberrima omnino supprimenda suadebant, atque alii etiam contendebant, periculosum esse, si tam ampla huic Archiepiscopo potestas concederetur: nonnulli pariter sancti Caroli studium, quod pro restauranda Ecclesiæ disciplina exerebat, temeritatis arguebant: nec magis benigne Mediolani de Borromæo sentiebant probitatis osores, ex quibus nonnulli spargebant, quod Hispaniæ Rex Romæ suo Oratori præcepisset, ut Carolum a suo Archiepiscopatu amoveri a Papa peteret, Mediolanensis vero Gubernator illum tanquam turbidæ indolis Virum, ac tumultuum, & dissensionum Auctorem urbe etiam vi abigeret: insuper passim divulgabatur, quod Carolus, cum abs dubio Romæ comparere compelleretur, eo delatus inde Mediolanum reverti nullatenus permitteretur. Hi rumores quantumvis falsi, ac nonnisi per summam malitiam excogitati populum aliunde primævo naturæ vitio credulum, & ad solutiorem vitam propensum ad facinora plurimum funesta impellebant, resque eo devenerant, ut populus ab omni pœnarum metu liberatus crederetur, dummodo eidem Pastoris sui in exilium amandandi spes fieret: quippe ab illo momento idem

Sæcul. XVI. A.C.1579.

Sæcul. XVI. A.C. 1579.

impune ruptis omnibus modeſtiæ repagulis ſeſe omnis generis voluptatibus, ac licentiis mancipabat, cunctasque, ſanctiſſimas licet, Eccleſiæ leges, & ſtatuta deridere cernebatur.

§. XXXV.

Sanctus Carolus Romam pergere paratus.

Giuſſ. l. c.

Sanctus Carolus, quem non falſi hi rumores, ſed maxime vitia inde pullulantia affligebant, ipſus Romam contendere ſtatuit, ſuamque Sororem inviſurus, resque domeſticas plene compoſiturus Mantuam perexit: inde vero per Camaldulenſium Eremum inter Etruriam, & Romandiolam Apenino monti impoſitam iter inſtituit, atque ibidem aliquamdiu ſubſtitit, cum hiſce Monachis ferventius rerum divinarum contemplationi vacaturus: ſuos autem domeſticos ad Lauretanas ædes præmittens nonniſi Monetam, quem ab epiſtolis habebat, ſecum retinuit: attamen quamprimum ſanctum Archipræſulem ad Camaldulenſes ſeceſſiſſe, Mediolani innotuerat, mox illius hoſtes ſpargebant, quod deſperatione impulſus Eremitam induere velit: verum ille paulo poſt inde diſcedens in itinere ad ſacras Lauretanas ædes contendit, ibidemque die Beatiſſimæ Virgini in lucem

cem editæ sacra celebrato Missæ Sacrificio Romam petiit, ubi cum ejus adventus jamjam annuntiatus esset, plures Cardinales, Prælati, ac Proceres eidem obviam processerant. Sæcul. XVI. A.C. 1579.

§. XXXVI.

Sanctus Carolus Romam delatus, atque a Papa exceptus.

Sanctus Archipræsul prope Ecclesiam sanctæ Praxedis, cujus titulum gerebat, diversabatur, altera die sancti Petri Basilicam pie lustraturus: verum summus Pontifex, qui tum Tusculi agebat, illius adventum edoctus eum accersiri jussit, illumque haud vulgaribus amicitiæ, ac benevolentiæ signis exceptum in sui palatii cubiculo Papæ Nepotibus destinato morari voluit, ubi etiam sanctus Cardinalis octo diebus perstitit, totoque hoc tempore de Diæcesis suæ statu summum Pontificem plene edocuit, suamque agendi rationem, necnon obstacula, quæ restaurandæ disciplinæ objicerentur, integra fide exponebat, atque hostes, illorumque, qui piis ejus conatibus obsistunt. rationes, ac studia manifestabat: his perceptis summus Pontifex se eidem potenter adfuturum spopondit, ipsusque quartam illius Synodum examinandam suscepit, ac per integram Septi- *Giuss. c. 2. Bascape & Ripamont. in vita S. Caroli.*

Sæcul. XVI. A. C. 1579

ptimanam singulis diebus quatuor horas huic labori impendens cuncta decreta adeo considerata, pia, & honesta esse deprehendit, ut eadem æque, ac quintam Synodum, cujus acta pariter approbanda sanctus Cardinalis studiose secum attulerat, auctoritate Apostolica quantocius confirmaret: insuper Papa jussit Sanctum Carolum, quamdiu Tusculi moraretur, semper suæ mensæ assidere, & mane illius Missæ quotidie interesse voluit: postquam vero sanctus Archipræsul Tusculo Romam revertebatur, nominis sui fama tam late sese diffundebat, ut populus turmatim confluens sibi ab eo bene precari efflagitaret, eumque ad omnes Ecclesias comitaretur, quatenus ipsius Sacrificio missæ interesse, sacramque Synaxin per ipsius manus recipere valeret: porro ipse larga manu eleemosynas erogabat, cunctisque, quibus difficilis ad Papam accessus erat, suam operam eo majori sollicitudine impendebat, quo illi magis pauperes, omnique ope destituti erant: insuper plures Italiæ Episcopi circa difficultates in suo Ministerio occurrentes hujus sancti Archiepiscopi consilium expetebant, quibus omnibus æquali promptitudine satisfacere conabatur, ac singulari benignitate, & modestia cum Cardinalibus suis Sociis agebat, illosque

que ſibi devinciebat: denique per quatuor illos Menſes, ac quindecim dies, quibus Romæ moram traxerat, tam amplum, prout deſideraverat, temporis ſpatium nanciſcebatur, ut de omnibus ad Eccleſiæ Univerſalis, ac ſpeciatim Mediolanenſis utilitatem, ſalutemque neceſſariis libere cum ſummo Pontifice agere potuerit: demum vero pro ſuo Seminario, ac Helvetiorum Collegio ampla privilegia ab eodem Papa impetrabat. Sæcul. XVI. A.C.1579.

§. XXXVII.

Variæ Gregorii XIII. Papæ Conſtitutiones.

Die tertia Julii Gregorius XIII. ad Fratres Minores ſancti Franciſci de ſtrictiori obſervantia Conſtitutionem direxit, in qua Novitiis hanc reformationem profeſſis præcepit, ut in eodem inſtituto perſeverarent, atque ſine ſpeciali ſacræ Sedis licentia ad Fratres de Obſervantia neutiquam tranſirent, niſi tanquam Apoſtatæ caſtigari velint, quam in rem Papa Bullam Clementis VII. innovabat: inſuper idem Pontifex alio diplomate die vigeſima octava Junii ſodalitatem, quæ a pietate nomen habet, pro captivis Romæ inſtituit, multasque indulgentias illis conceſſit, qui hoſce miſeros viſitarent, ſolatio recrearent, *Bull. t. 2. p. 460. Conſt. 55. 56. & 57.*

Sæcul. XVI A.C. 1580

eisque Eleemosynas erogarent. Tertia Constitutione die prima Octobris pro Jesuitis data ratam habuit facultatem, vi cujus ad celebrandum Missæ Sacrificium, & administranda Sacramenta Altari, ut vocant, portatili in Apostolicis suis expeditionibus uti possent, etsi Concilii Tridentini decretum, aut quodvis aliud statutum adversari videretur. Denique die decima sexta Decembris idem Gregorius Bullam edidit, qua præcepit, ut omni triennio Generalis, ceterique Superiores in Congregatione Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris ex Ordine Sancti Augustini eligerentur: porro hoc diplomate confirmata est alia ejusdem Pontificis constitutio die vigesima tertia Martii Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto edita.

§. XXXVIII.

Dissensio inter Papam, & Venetos circa visitationem.

Spond. annal. n 18. Mauroten. l. 12.

Anno sequenti millesimo quingentesimo octogesimo inter Gregorium XIII. & Venetos ingens controversia exorta est, occasionem præbente generali Ecclesiasticorum, & Religiosorum visitatione, quam idem Pontifex per universam Italiam decreverat: cum enim id a Borromæo Mediolani, Bononiæ a Camillo Pal-

Palleotto Cardinalibus, ac Florentiæ quoque, & alibi jam factum esset, id ipsum etiam Joannes Trivisanus tum Patriarcha Venetus juxta aliorum exemplum facere parabat, eaque de re Senatum, cujus Princeps tum erat Nicolaus de Ponte, rogabat, ut id muneris in Reipublicæ ditionibus obire posset, tribus ei Senatoribus assignatis: verum Papa, cum aliunde hic Patriarcha de variis criminibus insimulatus esset, hanc curam ei committi noluit, haud æquum reputans, quod ipse in propria sua caussa judex foret: quapropter hanc rem Alberto Bologneto Legato suo ad Rempublicam misso commisit, socios ei addens duos Venetos Episcopos, Augustinum Valerium Veronæ, & Hieronium Ragazzonium Bergomi Antistitem. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Senatus existimans haud suetum esse, quod quædam Diœcesis ab aliis, quam proprio Antistite visitaretur, cum ipsi soli illius cura esset commissa, hinc sese Pontificis inhibitioni opponebat, nec hoc munus a Patriarcha exerceri permisit (*). Credebant equidem nonnulli, quod Pontifex a sua sententia recede-

(*) Perinde acsi sacri Canones non æque præscriberent, quod Patriarchæ, & Metropolitæ suas Provincias visitarent.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

cedere deberet, cum id æquitas, atque Ordo a ſacris Canonibus præſcriptus exigere videretur, nihilominus a priori ſuo conſilio ægre dimovebatur, unde per aliquot Menſes controverſiæ, quas tamen nunquam fuiſſe ſuſcitatas æquius fuiſſet, fervebant, tandem vero, ne hujusmodi diſſidium in apertas inimicitias erumperet, ea ratio utrinque inita eſt, ut Gregorius Papa unum tantum Venetum Antiſtitem, qui hanc viſitandi provinciam obiret, deligeret, isque nec laicorum collegiis ſeſe immiſceret, nec cœnobia Virginum adiret, porro id munus delatum fuit a Papa prædicto Auguſtino Valerio natione Veneto, Veronenſi Epiſcopo.

Annal Greg. Victorel. in add. ad Ciac.

Poſtea ut Maronitæ de Monte Libano in ſuo erga Eccleſiam Romanam ſtudio magis firmarentur, idem Gregorius XIII. hoc anno ad illos largas admodum eleemoſynas per Joannem Baptiſtam Ælianum, & Joannem Brunonum Jeſuitas deferri juſſit, ſimulque transmiſit Catechiſmum arabico idiomate conſcriptum præter alios libros, & Eccleſiæ ornamenta. Hæc dona Maronitæ in publico Epiſcoporum, & Presbyterorum conſeſſu recipiebant; hi enim Præſules pro eligendo Patriarchatum convocati, defuncti Patriarchæ fratrem elegerunt, hic vero pariter fidei Ca-

Catholicæ professionem emittens sese illis adjungebat, quos Papa ad imbuendos Maronitas submiserat. Sæcul.XVI. A.C.1580.

§. XXXIX.

Toletus Lovanium delatus, ac Pontificis diploma Facultati exhibens.

Interea Toletus Jesuita, cui Gregorii XIII. Bulla contra Bajum, ut memoravimus, deferenda comittebatur, Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo ineunte Mense Martio Lovanium pervenit, ut per hoc diploma Pontificis mentem Facultati manifestam redderet. Hic idem paulopost accersito ad se Bajo Facultatis Decano hæc seorsim eidem declarabat: „habeo suæ „Sanctitatis literas ad Facultatem no„stram datas, quas tibi tradere, simul„que legationis meæ caussam aperire „cupio: peto itaque, ut cunctos Pro„fessores, Licentiatos, Baccalaureos, „omnesque Facultatis socios ad certum „aliquem diem, & horam convoces: „ Postridie, seu die decima nona Martii unaomnes per bedellum sub juramento ad horam secundam post meridiem comparere jussi in Collegio Societatis Jesu, ubi præfatus Pater Toletus hospitio exceptus erat, convenere, & cubiculum ejus ingressi, cum post multas salutationes omnes consedissent, protulit idem Pater Breve

Bajan. p. 188. *Acta Facult. Lov. ab ann.* 1570.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Breve Apoſtolicum ad Doctores Theologos Univerſitatis Lovanienſis inſcriptum, quo omnibus injunctum, ut fidem adhibeant iis omnibus, quæ ex Sedis Apoſtolicæ nomine Toletus eis eſſet dicturus. Decanus accepto hoc diplomate illud alta voce prælegit, quo finito idem Jeſuita ita perorabat: „recordabuntur absque dubio omnes, „quotquot in hoc loco ſunt præſentes, „quomodo ante annos aliquot (*) Bulla „quædam, in qua certi articuli damnabantur, a felicis recordationis Pio „V. emanarit, eaque data legatur anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Calendis Octobris, quæ „fuit quoque in ſcholis Theologicis Lovanii publicata, ubi nonnulli articuli Eccleſiæ doctrinæ minus conſoni „damnati fuere: porro cum ſua Sanctitas Gregorius XIII. exiſtimaret, huic „Bullæ reverenter ab omnibus, ut par „erat, obediri, ad ipſius aures a fide „dignis perlatum eſt, non deeſſe inter „Theologos, non modo ſtudioſos, ſed „& Profeſſores, qui articulis in præfata Bulla damnatis audeant adhuc adhærere, eisque non privatim tantum „favere, ſed coram aliis quoque eos-

„dem

(*) Hæc Bulla edita fuit die prima Octobris an. 1567.

„dem asserere, & pertinaciter defen- Sæcul. XVI.
„dere, adeo, ut persuasum non paucis A.C. 1580.
„sit, præfatam Bullam etiam ab ipsa
„Sede Apostolica aliquando retractan-
„dam esse, & revocandam: porro hoc
„audito Sanctitas sua non exiguo animi
„dolore affecta pro officii sui ratione, si-
„mulque pro charitatis affectu, quem
„gerit erga Lovanienſem Academiam, in
„primis autem erga S. Theologiæ facul-
„tatem, non potuit eam quorumdam te-
„meritatem, atque audaciam ad totius
„etiam Ecclesiæ periculum pertinen-
„tem contemnere, atque dissimulare,
„neglectimque habere, quare ad coer-
„cenda hujusce modi ingenia, simulque
„ad eximendam vanam illam istorum
„futuræ aliquando retractationis spem,
„ac expectationem Sanctitas sua sta-
„tuit præfatam Pii V, Bullam sua quo-
„que auctoritate confirmare, articulos-
„que ibidem comprehensos iterato dam-
„nare, ac sub gravibus pœnis, & cen-
„suris prohibere, insuper, ne quis
„hac in re constantem Sedis Apostoli-
„cæ voluntatem, ac sententiam igno-
„rare possit, suam hanc confirmationis
„Bullam, in qua altera illa Pii V. com-
„prehensa est, in scholis hic Theologi-
„cis coram omnibus publicandam, &
„promulgandam esse, atque ab omni-
„bus Professoribus, & studiosis S. Theo-
„logiæ

Sæcul. XVI. A.C.1580.

„logiæ requirendum censuit, ut pro„pria confessione eam se reverenter ac„cipere fateantur, eique se subjecturos „promittant „

His dictis Toletus protulit Bullam Gregorii XIII, de qua dixerat, ejusque inspiciendi facultatem cunctis præbens, Magistris, ac Professoribus, ut desuper deliberarent, injunxit: hoc facto addebat, se in hoc a sua Sanctitate per maxima itineris pericula non sine graviſſimis sumptibus, & expensis missum fuisse, ut mox proposita exequeretur, atque ad effectum perduceret: igitur a se optari inquiebat, ut a Facultate certus dies, & hora indicetur, qua omnes tum Professores, tum Licentiati, & Baccalaurei, ceterique S. Theologiæ studiosi ad scholas Theologicas convocarentur, quatenus ea, quæ in mandatis habebat, exequeretur.

§. XL.

Bulla Facultati congregatæ a Toleto exhibita.

Postea Bajus paucis verbis suam apologiam reiteravit, eoque recedente Decanus Facultatis nomine suæ Sanctitati pro paterna erga suam filiam charitate, & sollicitudine gratias egit: quod autem ad Bullam ejus attinet, eam se gratissime, & obedientissime, uti par est,

est, recipere, & amplecti respondit, oravitque, ne Papa sinistram aliquam de ipsa suspicionem concipere velit, neve sibi persuadeat aliam ei unquam mentem, & voluntatem fuisse erga Bullam Pii V. quin & illam semper reverenter habuerit, eique in omnibus paruerit. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Hanc in rem constitueb tur pro Facultatis consessu vigesima prima Martii dies, horaque decima ante meridiem, in quod tempus ex mandato Facultatis jussit Decanus per bedellum omnes, & singulos Facultatis Doctores, plerosque Licentiatos, Baccalaureos, & quotquot supererant, Collegiorum bursarios sub juramento convenire, quibus ibidem frequentissimo numero congregatis, ingressus est Toletus, comitantibus eum honoris caussa Bajo Cancellario, Goudano, & Henrico Gravio: conscensa autem cathedra cum eadem fere narrasset, quæ prius ante biduum coram Facultatis Professoribus dixerat, Conrado Sylvio Universitatis Notario publico, qui ad hoc ibi vocatus aderat, injunxit, ut recitaret literas primum testimoniales ad S. Theologiæ Doctores datas, & deinde ipsam novam Pontificis Bullam clara voce, ut ab omnibus intelligi posset.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. XLI.

Gregorii XIII. Bulla a Bajo, ceterisque Doctoribus recepta.

Bajan. t. 2. p. 189. 206.

His prælectis Toletus convertit seſe ad Michaelem Bajum Univerſitatis Cancellarium, petiitque ex eo, an cognoſceret in ea Bulla multos articulos damnari, qui in libellis quibusdam ab eo prius editis continerentur, etiam in eo ſenſu, quo in Bulla damnarentur? quo agnoſcente, & reſpondente, quod huic rei veritas ſubeſſet: rogavit ex eo deinde Toletus, utrum eosdem, & reliquos omnes ibi comprehenſos, & lectos damnaret: „tum ille, damno, in„quit, ſecundum Bullæ ipſius intentio„nem, & ſicut Bulla eos damnat.„ His factis præfatus Franciſcus Toletus ad reliquos Theologiæ Doctores converſus interrogabat, anne eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter ſuſciperent, porro illi omnes uno ore reſponderunt, quod eos articulos omnino damnent, ac ſpondeant, ſe Bullam religioſe habituros, & obſervaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum, & ſtudioſorum, nam omnes conſona voce conclamarunt: *Articulos damnamus, Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur:* quibus feliciter peractis

Bajus

Bajus Cancellarius de copia Bullæ, ut hæc relinqueretur, mentionem suggessit. Ad quod respondit præfatus Franciscus, quod sibi in mandatis haud sit datum, ut copiam ejus hic relinquat, interim spopondit, acturum se apud suam Sanctitatem, mox ubi Romam redierit, ut ea transmittarur. Post hæc cum Toletus congregatos ad obedientiam Sedis Apostolicæ, & mutuam concordiam paucis esset cohortatus, quemque dimisit. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Ut tamen totum opus perficeretur, necessarium fore duxit, ut Bajus solemniter errores suos revocaret: itaque sæpius hac de re cum eo seorsim contulit, illique præprimis exprobravit, quod suis discipulis propositiones perperam a Pio V. esse damnatas clam suggesserit, eisque contra hujus Pontificis Bullam ingens odium instillaverit. Ad hæc respondit Bajus, quod in hac re nullius culpæ se reum existimet, si vero Cornelius Reinerius, Goudanus, & Henricus Gravius, quos falsæ hujus accusationis auctores credebat, illum coram Judicibus minime suspectis ex legum præscripto convincere possint, quascunque pœnas se subiturum spopondit: cum autem nemo in judicio ea, quæ contra hunc Doctorem sparsa fuissent, asserere vellet, Toletus de ejus inno-

Sæcul. XVI. A.C. 580.

centia persuasus videbatur, imo ipsemet eidem pollicitus est, quod ejus honorem, quem alii labefactare studuissent, apud Romanum Pontificem reparare, imo & efficere vellet, quatenus Gregorius XIII. ipsemet quantocius Regi Hispaniarum in Baji gratiam ita scriberet, ut de Bajo male præconcepta sententia e Regis animo penitus deleretur: quinimo Baji amici spargebant, Toletum declarasse, quod librorum ab hoc Doctore scriptorum lectio non esset prohibita, prout legitur in epistola, quam quidam Licentiatus ad Franciscum Sonnium Sylva-Ducensem Episcopum de colloquio Toleti cum Bajo perscripserat: verum cum hæc solido testimonio destituta sint, veritatis similitudinem nequidem obtinent.

§. XLII.

Fidei confessio Toleti jussu a Bajo subscripta.

Bajana p. 152. & 207.

Interea Toletus ad Sedis Apostolicæ honorem plurimum conferre est ratus, si Bajus scripto fateretur, quod plures articulos in Bulla recensitos in eo sensu, in quo ibidem damnantur, docuerit, hinc illum urgebat, ut rem ita profiteretur in quadam fidei confessione ipsi a Toleto exhibita. Annuit Bajus, ac die vigesima quarta Martii sub-

Sæcul XVI. A C 1580.

subscripsit huic professioni his conceptæ verbis: „Ego Michael de Bajo, Can„cellarius Universitatis Lovanienſis, & „in eadem Professor sacræ Theologiæ, „agnosco, & profiteor me ex variis col„loquiis, & communicationibus habitis „cum R. P. Francisco Toleto, Concio„natore suæ Sanctitatis, & ad hanc „rem specialiter missо, super diversis „sententiis, & propositionibus jam olim „a sanctissimo Domino nostro Pio V. feli„cisrecordationis sub data calendis Octo„bris atque anno millesimo quingentesi„mo septuagesimo nono, iterato damna„tis, & prohibitis ita motum, & eo per„ductum esse, ut plane habeam mihi „persuasum earum omnium sententia„rum damnationem, atque prohibitio„nem jure, meritoque, ac nonnisi ma„turo judicio, ac diligentissima discus„sione præmissis factam, atque decre„tam esse: fateor insuper plurimas ex „iisdem sententiis in nonnullis libellis „a me olim, & ante emanatam Sedis „Apostolicæ super eis censuram con„scriptis, & in lucem editis contineri, „& defendi, etiam in eo sensu, in quo „reprobantur: denique declaro, me „impræsentiarum ab iis omnibus rece„dere, & damnationi a sancta Sede sa„ctæ acquiescere, neque posthac ullam „earum docere, aut defendere velle.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

„Actum Lovanii die vigesima quarta „Martii, anno millesimo quingentesi„mo octuagesimo.

Michael de Bajo.

§. XLIII.

Pontificis diploma Bajo traditum.

Baji p. 153.

Toletus itaque, cum Baji pertinaciam fregisse lætaretur, discessum parabat, priusquam vero Lovanio excederet, Bajus eidem epistolam ad Pontificem deferendam tradidit, in qua eidem exposuit, quantas calumnias duodecim abhinc annis sustinuisset occasione damnatorum hujusmodi articulorum, de cetero autem se cuncta Dei, supremi Judicis, committens arbitrio plene commissurum dicebat, cum jamjam ad cælestem patriam, ubi veritas plena in magna illa die eluceseet, peregrinari meditetur, totusque ejusmodi cogitationibus absorptus sit: dein pro sollicitudine Lovaniensi Scholæ exhibita Pontifici grates referens, eundem rogabat, ut ipsi diplomatis exemplar transmittere velit. Acceptato hoc Baji negotio Toletus confestim Romam contendit, suisque promissis integra fide satisfecit, quippe Gregorius XIII. die decima quinta Junii eodem hoc anno Bajo respondit, misso sequenti diplomate, cujus inscriptio hæc erat: *Dilecto*

lecto Filio Michaeli Bajo, Cancellario Universitatis Lovaniensis, & in eadem Sacræ Theologiæ Professori. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Mittimus exemplum publicum Literarum sanctæ memoriæ Pii V. quas tum per literas, tum per dilectum filium Franciscum Toletum postulasti: quicquid autem acciderit, in quo possimus tuæ charitati gratificari, nunquam committemus, ut ullum a nobis amantissimi parentis munus desiderari possit, hocque certum te habere volumus: te quoque vicissim tuæ pietati, optimique filii officio, summæque bonorum omnium expectationi omnibus in rebus cumulatissime satisfacturum esse persuasum habemus: quo nomine omnem tibi a Domino Deo nostro tum in hac, tum in futura vita felicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima quinta Junii, anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno nono.

§. XLIV.

Pii V. Bullæ exemplar Bajo traditum.

Hoc diploma unacum Bullæ exemplari Toleto deferendum committebatur, ac sub idem tempus Pontifex Lovaniensis Universitatis Doctoribus *Bajan. pag. 190.*

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

duo aureorum millia numerari juſſit, qui inter eos diviſi fuere, ut damna a fœderatorum copiis, in Belgio, ac præcipue in hujus Urbis territorio illata compenſare poſſent. Ceterum eodem anno die quarta Menſis Auguſti, cum Facultas in Templo Divi Petri poſt veſperas convocata eſſet retulit Doctor Goudanus, quod binas literas ex Urbe acceperit, quarum primæ a R. P. Franciſco Toleto, alteræ vero a Reverendiſſimo, ac Illuſtriſſimo Domino Cardinale Sabellio ad ipſum ſcriptæ eſſent, quibus ſignificatum, quod Bulla Pii V. transmitteretur, addito mandato, ut eadem Michaeli Bajo Doctori traderetur: itaque perlectis binis hiſce literis Goudanus Bullam Bajo tradidit, qui pariter Pontificis epiſtolam ad ſe perſcriptam mox perlegit. Peractis hiſce omnibus, Bajus Bullam reſtituit, ejusque exemplar cum authographo per Facultatis Secretarium conferri, ac ſibi tradi petiit, quod ei quoque datum eſt, ea tamen lege, ut authographum ad Facultatis ſcrinia reponeretur. Porro obſervandum venit, quod hæ, ut vocant, originales literæ absque punctis, virgulis, & ſine articulorum proſcriptorum diſtinctione fuerint exarratæ, quamvis Bulla die quarta Februarii anno præcedente Vaticanis literis una-

cum

cum punctis, & propositionibus numero septuaginta sex distinctis excusa fuerit, atque ipsemet Toletus quoddam ejusmodi exemplar typis impressum Lovanium detulerit. (*) Sæcul. XVI. A. C. 1580.

§. XLV.

(*) Hanc animadversionem a Continuatore factam haud mireris, benevole lector, cum enim ille Bajo Jansenistarum Præcursori apprime faveat, mirum non est, quod etiam his effugiis utatur: lubeat tamen doctissimum Cardinalem Gotti in suo tractatu de Victoria adversus hæreses cap. 117. §. 3. n. 6. hanc in rem ita differentem audire: non defuere, inquit ille, qui etiam in Academia super propositionum Baji damnationis intelligentia novas lites excitarent, dicentes, aliquas ex præfatis propositionibus etiam in sensu ab earum assertoribus intento sustineri posse, eo, quia Bulla Pii V. sic loquitur: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* (nulla interjecta virgula) *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas* &c. ideoque Bullam adulteratam esse ab eis, qui inter hæc verba *sustineri possent*, & ista sequentia *in rigore, & proprio verborum sensu* virgulam interposuerunt: nullam eo loco interjectam esse virgulam in originali Bulla Jacobus Jansenius Lovanienſis Doctor autographum manibus tenens, ac legens testabatur. Idem

Sæcul. XVI. A. C. 1580

§. XLV.

Disputatio Reinerium inter, & Bajum circa operum merita.

Bajan. pag 157. & 207.

Hac circumspectione nondum in Facultate pax integre fuerat restituta: Bajus enim brevi eorum, quæ polli-

---

sentit Jansenius Yprensis Episcopus lib. 4. de statu naturæ lapsæ capite ultimo, asserens se nullum virgulæ, seu distinctionis vestigium in autographo, quod sæpe legerat, vidisse, & consulto distinctionis notam, seu virgulam a Pontifice omissam contendit, ut quasdam ex illis Propositionibus in sensu ab Auctoribus intento sustineri posse significaret.

Verum dato etiam, quod in Pii V. diplomate eo loco, & aliis scribæ incuria virgula deesset, in Gregorii tamen XIII. originali Diplomate cum virgula hanc sententiam legere est, sicut in constitutione Urbani VIII. quæ incipit: *In eminenti.* Accedit, quod si absque virgula interjacente verba illa legenda essent, sibi contradiceret Pius Pontifex, nam si aliquæ Baji propositiones in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possunt: ergo absolute, id est, in sensu proprio, seu in sensu, quem reddunt, & in quo a Bajo asseruntur, propugnari poterunt: cur ergo eas una cum aliis damnat?

cur

pollicitus est, immemor die duodecima Novembris, cum publicæ disputationi circa operum merita præesset, in hæc verba prorupit: „creatus est homo, „ut bona opera faciat, quemadmodum „avis, ut volet: & sicut avis volare „non potest fractis alis, ita nec homo „bene operari potest confractis viribus.„ Sæcul. XVI. A.C.1580.

Hæc propositio suspecta videtur, hinc Cornelius Reinerius a Bajo sciscitabatur: an igitur, quemadmodum avi volatus, ita justitia primo homini fuerit naturalis? quam interrogationem si Bajus affirmasset, tunc impegisset in articulum per Bullam Pii V. condemnatum, qui scilicet primo homini justitiam asserit fuisse naturalem: porro ille hujus rei periculum simul, & interrogantis intentionem, & studium persen-

---

cur insuper omnium retractationem a Michaele Bajo postulavit, & obtinuit Toletus, si aliquæ earum in rigore, & proprio sensu ab Auctore intento sustineri potuissent? verba ergo illa Pontificii diplomatis non in sensu copulativo, sed adversativo accipienda sunt, id est, quamquam nonnullæ in aliquo sensu sustineri possent, nempe in sanum sensum utcunque flecti, tamen in rigore, & proprio sensu, quem verba præseferunt, & in quo ab Auctoribus afferuntur, damnamus, abolemus.

Sæcul. XVI A. C. 1580.

sentiscens respondit, a se hoc non asseri, sed tantum in eo similitudinem statui, quod, quemadmodum avis fractis alis, volare non potest, ita nec homo destitutus Spiritu sancto, qui & ei adinstar alarum est, quove in sublime fertur, bene operari possit. Nihilominus Reinerius institit ulterius, interrogans, an ergo justitia, & ejus meritum fuerint homini naturalia in primo statu? cujus interrogationis hæc videtur fuisse causa, quod Magister Michael ante publicatam Bullam dicere solitus fuerit, meritum primi hominis descendere ex lege naturali, & non a gratuita Dei ordinatione, proin si rursus responderet, quod primi hominis meritum nequaquam a gratuita Dei voluntate, sed a lege naturali processisset, tunc nullo negotio convinci posset, eum hanc sententiam in Bulla damnatam tueri. Porro Joannes Lensæus Belliolanus tum Universitatis Rector sese Reinerio adjungens addidit, quod id ex tertia assertione, quam propugnasset, sequeretur, cum tunc, si opus bonum sit meritorium in homine sano per legem naturalem, etiam piæ actiones evaderent meritoriæ in homine lapso per eandem legem, eoquod hæc lex semper esset ejusdem naturæ. Bajus cum hujus argumenti efficacia se devin-

devinci cerneret, ſuamque mentem explicare non auderet, nihil reſpondit ad hanc oppoſitionem, quam ad ſuam theſin haud pertinere credebat, unde, quantumcunque a Reinerio premeretur, ipſe ſemper cuncta propudioſo ſilentio eludebat. Sæcul. XVI. A.C.1580.

§. XLVI.

Continuata diſputatio Baji cum Marnixio.

Inſuper contentio, quam Bajus cum Marnixio Aldegondo habebat, ejus æmulis majorem adhuc anſam præbuit, ut eundem circa plura impugnarent, quæ in ſuis ſcriptis ad præfatum Calviniſtam directis ſonnabat: præprimis autem Pater Horantius Ordinis Fratrum Minorum Alumnus reprehendebat, nec æquo ferre poterat animo, quod Bajus humaniori, quam decuiſſet, ſtylo ſuas ad Marnixium ſcripſiſſet epiſtolas, & quamvis ipſius reſponſa ad quæſtiones de Euchariſtia commendaſſet, eum tamen circa ipſius quæſtiones de Eccleſia impugnandum cenſebat, querens, quod ejus epiſtolæ contra Marnixium adverſarium ſcriptæ nimis benignæ fuiſſent, necnon idem Bajus Auguſtinum non ſecutus dixiſſet, judicium de Eccleſia eſſe ex ſola Scriptura petendum. Igitur Horantius epiſtolam hanc

Sæcul.XVI. A.C.1580.

hanc Antonio Ghennarto, Canonico Leodienſi, ac Cenſori librorum, approbandam, ac Leodii edendam obtulerat: verum cum nec ab iſto, nec ab aliis librorum cenſoribus ſuæ epiſtolæ approbationem obtinere potuiſſet, eam Coloniæ menſe Februario typis dedit, etſi idem Horantius Lindano Epiſcopo Ruremundano, ſe eam non editurum in lucem, promiſiſſet, quin prius eam miſiſſet Bajo, & tum hic deſuper ſe explicare recuſaſſet. Id Lindanus per literas die octava Februarii anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo datas ſignificabat Bajo, qui continuo ſuas explicationes transmiſerat: at iſtæ Baji explicationes nullibi reperiuntur, nec ullum illius exemplum reperiri potuit, ideo forte id factum, quia ipſe Bajus, ut innuit, nullum ſibi exemplum illius conſervavit.

Hoc eodem anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo Philippus Marnixius ſuam ad poſteriores Michaelis Baji literas die decima octava Decembris anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi, & die ſeptima Januarii anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi octavi datas, reſponſionem valde prolixam abſolvit, ac publici juris fecit, una cum iis, quæ tam ab ipſo, quam a Michaele Bajo diſputata hactenus

nus fuerant: mox autem Michael Ba- Sæcul XVI.
jus Horantii objurgationibus per epi- A.C 1580
ſtolam apologeticam memorato Antonio Ghennarto ſcriptam reſpondit, ac ad ultimam Marnixii reſponſionem edidit aliam Apologiam eorum, qua iſtis quæſtionibus, ac objectionibus hactenus reſponderat.

§. XLVII.

Luſitaniæ ſtatus propter regni ſucceſſionem.

Interea Henricus Luſitaniæ Rex Almerinum ad nonam Januarii diem Regni comitia convocabat, quibus Leirienſis Epiſcopus initium fecit, hujusque conventus rationes expoſuit, ubi præprimis Rex per eundem Præſulem plebæio Ordini hæc ſignificabat: „Philip„pus II. Hiſpaniæ Rex ſæpius me in„terpellavit, ut ipſummet regni ſucceſ„ſorem deſignem: ſed ego ſemper rem „diſtuli, donec de jure partium con„tendentium plene edocerer: verum „dum mature penſitavi, & examinavi „in medium undecunque allatas ratio„nes, exploravique peritiorum ſenten„tias, tandem comperio, quod inter „Philippum II., & Catharinam Bracan„tini Ducis uxorem controverſia rema„neat: cum autem hanc litem dirime„re varias ob cauſſas periculoſum eſſe „in-

Thuan. l. 69. Spond hoc ann. n. 1.

Sæcul. XVI. A.C. 1580

„intelligam, ac consultius longe fore „censeam, ut amice, & pacata via res „transigatur, proin Regni Ordines mo„neo, ut in commune consulant, ac „dein ex eorum sententia de re omni „ad Dei gloriam, & Lusitani regni de„cus, ac tranquillitatem deinceps sta„tui valeat.„

His perceptis Deputati, cum regem natione Lusitanum habere peroptarent, remque electionis via perficiendam sperarent, ad Henricum quosdam supplicatum decernebant, ut circa Successoris electionem eorum consilia exquirere vellet: verum hoc negotium tanta animorum contentione agitari cæperat, ut Rex, qui animis ita affectis mentem suam aperire, intempestivum existimabat, Deputatis tridui spatium indulgeret, infra quod suas proferrent rationes. His induciis lætabantur illi, eoquod se regem arbitrio suo creaturos considerent: ast haud diu hoc gaudio frui illis licuit.

§. XLVIII.

Henricus olim Cardinalis, Lusitaniæ Rex mortuus.

Ciacon. pag. 708. Vasconcel. hist Reg. Lusit. Thu. l. 69.

Vix Henricus Almerinum venerat, cum jam antea adversa valetudine pressus die trigesima prima Januarii sub mediam mortem deliquium paretur,

tur, & paulopoſt ſexageſimo octavo ætatis ſuæ anno animam Deo redderet, poſtquam nonniſi uno anno, quinque Menſibus, totidemque diebus ſceptrum rotaverat. Is erat quintus Emanuelis Regis, & Mariæ Caſtellanæ Filius die trigeſima prima Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo natus, qui toto regiminis ſui tempore ſeſe pietatis operibus valde addictum exhibebat, ſemperque, quantum poterat, Jeſuitis propenſus Eboræ Collegium pro illis erigebat, apud quos etiam ſibi ſepulturam elegit: poſtea tamen corpus ejus Philippi II. juſſu ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ apud Religioſos Ordinis ſancti Hieronymi translatum in Majorum ſuorum tumulo reconditum eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Henricus quamprimum oculos clauſerat, mox teſtamenti tabulis, quas octavo ante obitum ſuum die conſcripſerat, apertis cognoſcebatur, quod ille ſucceſſionem Regni ei deferret, qui cauſſa in jure diſceptata vinceret, niſi ipſus ante mortem ſuam cauſſa plene cognita jam hæredem legitimum nominaſſet: vix autem Philippus Henrici mortem compererat, cum illico Regni Ordines, Gubernatores, & Ulyſſiponenſem Curiam inducere ſtuduit, ut ipſum absque omni mora Regem declararent, cum ipſe huic Nationi opti-

Sæcul. XVI. A.C. 580.

me affectus non modo illius libertates, & privilegia ſervare, ſed ea etiam, ſi opus foret, augere vellet: ſi vero eum tanquam Regem ſuum agnoſcere detrectarent, jus ſuum armis ſe proſecuturum minitabatur. Ad hæc Gubernatores in reſponſis dabant, quod Deputatos ad eum mittere pararent, qui cum ipſo de ejus juribus conferendi poteſtatem haberent, proin illos benigne excipere dignaretur.

§. XLIX.

Philippus II. Luſitaniam armis ſibi vendicare paratus.

Thuan. l. 69. Spond. n. 2.

Equidem Papæ Nuntius ejusdem Sanctitatis ſuæ nomine rem componere ſatagebat: aſt Philippus haſce preces repulſæ loco habens Luſitaniam armis invadere ſtatuit, ſerioque ad bellum ſe accingit, hinc duos potentiſſimos exercitus terra, marique præmiſit, qui Regis conſilia exequerentur: porro primo exercitui præfecit Albæ Ducem, quem eo ex fine Uceda, quo eum ob ſuam arrogantiam relegabat, evocavit, ac primo huic expeditioni ipſus intereſſe voluit, mutato tamen conſilio, in Beturiæ finibus ſubſiſtere contentus die quarta Martii Madrito profectus Guadalupam contendit, eoque die vigeſima ſecunda ejusdem Menſis pervenit.

§. L.

§. L.

Sæcul. XVI. A.C.1580.

Conſcientiæ caſus a Rege Hiſpano Complutenſibus Theologis propoſitus.

Philippus ne Regnum uſurpaſſe, ſed potius nonniſi juxta æquitatis leges jura ſua tueri crederetur, Complutenſibus Theologis, ſcilicet Franciſcanis, & Jeſuitis hanc quæſtionem diſcutiendam propoſuit. I. An nunc, cum de jure ſuo quoad Regni Luſitani ſucceſſionem ex Henrici obitu delatam ſibi certo conſtaret, præcepto conſcientiæ obſtringeretur ſe ſubmittere alicui tribunali, quod illi regnum adjudicaret, & in ejus poſſeſſionem ipſum mitteret. II. Quærebat An dein, ſi Luſitaniæ ordines eum in regnum admittere renuerent, ipſemet propria auctoritate, antequam in jure cum aliis competitoribus re diſceptata contrario judicio prævaleret, regni poſſeſſionem ſumptis contra reſiſtentes armis apprehendere poſſet, adeo, ut hoc facto nullis ſcrupulis ſe teneri ſentiat. III. Cum Gubernatores, & ceteri Luſitaniæ ordines jurisjurandi Religione prohiberi ſe dicerent, quo minus eum in Regem admitterent, eoquod non in jure Regni hæres declaratus eſſet, maxime reclamantibus competitoribus, qui ſe juris auctoritati of- *Thuan. l.69.*

Sæcul.XVI. A.C.1580

ferebant, hinc insuper quærebat Philippus, utrum prætensum hoc jusjurandum excusationis loco, quo Regem legitimum non reciperent, accipi deberet: ad hæc Theologi prorsus responsa Philippi voto congruentia dabant, hæc asserentes: „Rex nullo conscien„tiæ vinculo obstringitur, ut se alterius „jurisdictioni, aut arbitrio subjiciat; „quippe cum propria auctoritate re„gnum sibi adjudicare, & possessionem „ejus adipisci possit: nec etiam ullum „se superiorem, minus vero agnoscere „tenetur Judices ab Henrico constitu„tos, cum certum sit, illorum aucto„ritatem, si tamen ulla unquam vale„bant, hujus Regis obitu penitus ex„spirasse: insuper nullæ hac in re sunt „Pontificis partes, cum de negotio me„re profano agatur, nec quicquam sub„sit, ob quod debeat intercedere sacri „fori auctoritas: neque vero quicquam „caussæ est, cur se ordinum Lusitaniæ „judicio submittere teneatur Philippus, „nam electis semel Regibus, in eos, eo„rumque successores omne jus transla„tum intelligitur, ut penes ipsos om„nis sit jurisdictio, nec ab aliis judi„cari possint: quando igitur constat, „Philippum verum, ac legitimum Re„gni hæredem esse, & hoc verum esse „probatur, tunc nullius alterius tribu„nalis

„nalis, præterquam proprii sui, juris- Sæcul.XVI.
„dictionem subire debet. Præterea A.C.1580.
„nulla jurisjurandi religione ligantur
„Lusitani, quo minus Philippum Re-
„gem admitterent, cum ex supra di-
„ctis constet, neminem esse vel digni-
„tate, vel potestate, ac jure in hac
„caussa Philippo superiorem, qui ea de
„re posset cognoscere.„

Horum Complutensium Doctorum sententiæ, quæ postea divulgabatur, innixus Philippus Rex armorum quoque vim adjungere statuit, prius vero Lusitanos monuit, ut ipsum vel tanquam Regem agnoscerent, vel belli sortem cum illo tentarent. Postea Alvarus Bassanus Sanctacrucius Marchio triremium Præfectus Albæ Ducem accesserat, ut cum eo de futura expeditione conferret.

§. LI.

Antonius Cratensis Prior Scalabi in Regem proclamatus.

Hoc Philippi responsum ad Conimbri- *Thuan. l. 70.*
censem Episcopum, & Emanuelem de Malo Gubernatorum Deputatos perferebatur, inde vero inter utrumque hunc Oratorem dissensio exorta est, quæ tamen haud parum ad hoc conducebat, ut quam plurimi clam Hispaniæ Regi faverent, ac unice infimæ plebis, quæ

Sæcul. XVI. A.C.1580.

Hiſpano Principi ſeſe ſubjicere renuebat, furori ſatisfaciendi ſtudio arma pararent: igitur Antonius Cratenſis Prior ſpurius Filius Ludovici de Beja, qui ſecundo-genitus Emanuelis Regis Filius erat, hoc Gubernatorum diſſidium in rem ſuam vertere in animum induxit, ut ipſe in Regem proclamaretur, quem in finem feliciter ad ſua ſtudia pertraxit Guardanum Antiſtitem, turbidæ, ac ſeditioſæ indolis Virum, qui unacum eo Scalabi agebat: hic igitur brevi urbanum loci Præfectum, urbis Decuriones, & Parmenſem Epiſcopum ſuis conſiliis adſpirantes ſibi conciliabat, horumque auctoritate fretus abrupta omni mora, ſacroque ſolemniter celebrato orationem habuit, in qua adſtantes allocutus in Antonii laudes fuſius excurrebat, tanto ſucceſſu, ut hic poſtea die decima nona Junii Rex declararetur, quin Gubernatores, vel regni Ordines ſuo ſuffragio accederent: equidem ex ejus amicis, qui ſaniori pollebant judicio, Antonio auctores exſtitere, ut defenſoris regni titulo contentus eſſet: attamen hic ſolo hoc nomine ſuæ ambitioni haud ſatisfactum ratus vano titulo, quo tamen ſe brevi ſpoliandum prævidere poterat, potius ſuperbire maluit, quam inferiori quadam dignitate, majori tamen cum ſecuritate

curitate, inclareſcere: ideo ad Urbis Prætorium accedens illius portas effringi juſſit, ſeque cuncta Nationis privilegia, ac jura conſervaturum jurata fide pollicitus quantocius ad cunctas Urbes, earumque Gubernatores literas dedit, quibus ſubſcripto Regis nomine milites conſcribi, ſuaque mandata ad effectum deduci præcepit. Poſtea Scalabi Ulyſſiponem venit, ubi tanquam Luſitaniæ Rex die vigeſima quarta Junii urbem ſolemni ritu ingreſſus pro more juramentum præſtitit, demum vero edictum promulgavit, vi cujus Philippum regni hoſtem, omnes autem illius fautores tanquam patriæ proditores declarabat. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Ceterum Antonius ex genere non admodum claro ortus nullum ex Magiſtratu ſibi faventem numerabat, ſed potiſſima ex parte nonniſi Conimbricenſis Academiæ Doctores præter populum ſibi ſuffragantes habebat, quorum potentia contra hoſtes ſuos tam domeſticos, quam exteros, quibuscum ipſi res erat, nimium infirma exſtitit, ſua tamen ambitione excæcatus hujus fulcri imbecillitatem haud agnovit, quam nihilominus brevi eidem Hiſpanicorum armorum felicitas indicavit, ubi ſe, ut cum Philippo Rege tranſigeret, compulſum vidit.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LII.

Legatus a Papa ad Philippum Regem decretus pro concordia ineunda.

Thu. l. 70. Spond. n. 5. Ciac. tom. 4. p. 4.

Ignorabatur adhuc Romæ nova hæc Antonii inauguratio, cum ſummus Pontifex in Hiſpaniam Alexandrum Riarium Cardinalem ablegaret, qui, ſi qua ratione poſſet, Philippo perſuaderet, ut armis depoſitis ſe judicio ſacræ Sedis ſubmitteret: poſtquam igitur Cardinalis Pacem Auguſtam venit, mox ſecretam legationis ſuæ cauſſam Sartagoni Comiti manifeſtabat, qui rem ad Hiſpaniæ Regem detulit: hic vero diſſimulatione uſus præcepit, ut Legatus in omnibus, quas pertranſiret, urbibus ſolemnis ingreſſus honoribus exciperetur; porro Rex hanc obtendebat cauſſam, ut eidem Legato amplius deferretur obſequium, re tamen ipſa id Rex imperabat, ut hac ratione Legati iter tamdiu retardaretur, donec ipſe Ulyſſiponem, ac reliquum Luſitaniæ regnum præcipiti impetu occupare poſſet: hoc vero Regis conſilium cum Legatus haud penetraret, lubens omnibus feſtivitatibus in ejus gratiam inſtitutis liberaliter utebatur, quamprimum autem advenerat, cunctas res jamjam adeo promotas experiebatur, ut nimis tardum Pontificis monitum cerneret. Ceterum ſum-

ſummus Pontifex ad Luſitaniæ regnum nominandi jus ſibi competere contendebat, eo ex titulo, quod mortuo Henrico Rege, cum is Sacerdos, & Cardinalis fuiſſet, ipſius regnum tanquam Cardinalatus ſpolium ad Sedem Apoſtolicam devolveretur (*): verum Pontificis

Sæcul. XVI. A C. 1580.

(*) Hæc fabula, ac cerebri commentum tantopere Continuatori noſtro placuit, ut haud contentus, quod illud jamjam priori libro §. CX. adduxerit, nunc iterum repetere voluerit, ubique tamen mendax: falſum enim eſt, quod ſummus Pontifex ſeſe tanquam hujus regni competitorem exhibuerit, majus adhuc mendacium ſapit, quod Thuanus, Ciaconius, & Spondanus, quos perperam allegat, hoc teſtati fuerint, cum econtra Pontifex duntaxat ſe hujus controverſiæ *arbitrum* obtulerit, & id nequidem ſponte ſua, ſed a Competitoribus rogatus; *ſinguli enim*, ut ajunt Spondanus, & Thuanus l. c. *conſultationes ſuas pro jure ſuo ad Pontificem, & Chriſtianos Principes miſerunt*, poſtea rurſus Papa *ſuam auctoritatem Philippo obtulerat ad vitanda, quæ parabantur, arma*, ut denuo ait Spondanus; Ciaconius vero clarius adhuc loquitur, dum ait: *Papa Riarium Cardinalem legavit, ut Philippo Pontificis nomine faveret, & Luſitanos pace componeret.* Ergone apud noſtrum Conti-

Sæcul XVI. A.C.1580.

tificis consilio Clerus, Nobilitas, & plebæjus Ordo obsistebant: insuper subjungebat Pontifex, quod Sedes Apostolica Alphonso Henrico secundo genito Lusitaniæ Comiti Regis titulum concesserit, eo pacto, ut quotannis Romano Episcopo quamdam summam librarum auri (*) penderet: verum Lusitani

nuatorem idem est sese pacis conciliatorem, & litis arbitrum offerre in successionis negotio, ac sese Regni cujusdam competitorem exhibere? ergone historico integrum manet, pro arbitrio suo quæcunque fingere, falsoque sui commenti Authores allegare? attamen hisce armis malevoli etiam sanctissimas juxta, ac æquissimas Pontificum actiones carpere solent: hoc commentum Continuator noster in Hæreticorum gratiam fabricare cogebatur, ut cum illis quodam exemplo comprobare valeret, quod Pontifices iniqui sint regnorum usurpatores, sibique illorum dominium vendicent.

(*) Continuator noster certum numerum hujus summæ designare aut non voluit, aut non potuit: si defuere Scriptores, cur ergo rem absque teste allegat? si vero id in Scriptoribus habetur, cur illos non citavit, vel in eos non inquisivit, qui id referunt; si enim Auctores reperit, qui de hoc Pontificis jure

sitani affirmabant, quod Alphonsus biduo ante Ouricense prælium, in quo quinque Maurorum Reges debellabat, a suo exercitu in Regem fuerit proclamatus: ast utut res se habuerit, id certum, quod Philippus piam Gregorii XIII. voluntatem sibi suspectam habens (*) jus suum, quod certum credebat, nec in discrimen adducere, nec a Papa regnum recipere voluerit, dum istud viribus suis confisus se occupaturum, conservaturumque sperabat, quin cuipiam illud in acceptis referre teneretur. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LIII.

Philippi colloquium cum Legato Pacis-Augustæ habitum.

Postquam Legatus Pacem-Augustam, ubi Rex agebat, pervenit, varii obtendebantur prætextus, quorum ope Legatus Regem allogi diu præpediebatur, tandem vero admissus Regi legationis suæ caussam exposuit, absolutoque *Thuan. & Spond. l. c.*

jure testantur, absque dubio in illis etiam certum numerum hujus summæ, ac conditionem a Papa appositam legisset: videtur Continuator in fingendo effrons, sed in levi commenti sui circumstantia scrupulosus, ac timidus.

(*) Hoc nequidem Thuanus alias Pontificibus valde injuriosus asserere audebat.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

que ejus sermone Philippus hæc in responsis dedit: „rerum statu penitus immutato Pontificis desideriis obsequi „non valeo, optabam quidem ab initio, „ut res citra vim componeretur, sed Antonio in regem a seditiosa plebe electo, „& per illam vitiosam creationem violata regni Ordinum auctoritate res „amplius integræ non sunt, hinc belli „necessitas mihi ab Antonio imposita „est, illudque inchoatum intermittere „perinde esset, ac si victoriam, quam „vix non paratam habeo, hosti trade„rem.„ Ad hæc cum Cardinalis prudentissimo Principi nihil in rerum suarum præjudicium persuaderi posse cerneret, ad alteram mandatorum partem descendit, & in Lusitaniam transire a Pontifice sibi imperatum esse denuntiavit: verum hanc quoque Legati petitionem Philippus scite elusit, officiose eum ab hoc itinere dehortatus, cum minus ei honorificum esse diceret, in hoc rerum statu proficisci ad populos, uti legitimo Principi, sic & omni rectore destitutos, ubi inter arma, & turbidos seditiosæ plebis clamores vox summi Pastoris exaudiri nequiret, ejusque sacrosancta Majestas tanquam inter indignos projecta vilesceret. Percepto hoc responso cum satis intelligeret Cardinalis,

lis, quod rei conficiendæ ſpe excideret, hinc Romam redeundi veniam poſtulabat. Sæcul.XVI. A.C.1580.

§. LIV.

Antonii molimina ſuo ſucceſſu deſtituta.

Cum ergo Philippus hac ratione a Pontificis ſollicitationibus liber eſſet, promulgato edicto omnium delictorum oblivionem, veniamque exceptis tantum Antonio, ac rebellionis auctoribus obtulit omnibus illis, qui eum tanquam Regem veneraturi eſſent. Hæc clementia haud parum Ulyſſiponenſium animos demulcebat, præcipue cum Antonii factio aliunde jamjam plurimum debilitata intra brevi temporis ſpatium ferme ad nihilum redigeretur: quapropter idem Antonius, cum ſibi jam proximum imminere periculum cerneret, illudque, tardius licet, eluctari quæreret, Cercamo, qui ei a ſecretis erat, negotium dabat, ut nuntiaret Philippo, quod ei regnum cedere paratus eſſet, dummodo is, ut honeſtius id fieret, regni Ordinibus ſignificare permitteretur, quod ipſe Philippi potentiæ impar ipſis libertatem concederet, ut rebus ſuis conſulant: verum Philippus, qui jam ſucceſſu inflatus conditiones nullas acceptare voluit, Cercamum ad Albanum re- *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

remisit, qui haud benignius hunc Deputatum habebat.

§. LV.

Antonius cæsus, ac Ulyssiponensis urbs a Philippo occupata.

Thuan. & Spond. l. c.

Antonius ad prælii necessitatem adactus die vigesima quinta Augusti prope Alcantaram urbem certamen inibat, siniſtro tamen suorum armorum successu, quippe ejus milites undique cincti rupto ordine salutem in pedibus quærebant, ubi ipse etiam Antonius relicta acie fugientibus immixtus ad Ulyssiponensem urbem confugit: verum ab insequentibus in itinere ictu hastæ in faciem impactæ sauciabatur, unde parum abfuit, quin ab Italis quibusdam honorariæ militiæ juvenibus caperetur: sub idem quoque tempus sanctæ Crucis Marchio navalem Antonii exercitum ad Tagi fluvii fauces profligabat: unde miser hic Rex Ulyssiponem cum infaustis exercitus sui reliquiis per unam portam ingressus, ex altera mox egredi cogebatur, recta Santaremum contendens, ubi tamen non aliter excipiebatur, nisi ea lege, ut quantocius alio se se conferret: mox autem illata hac clade Ferdinandus Albæ Ducis Filius Ulyssiponem versus accurrit, ut Antonii copiis ab ingressu prohibitis urbem a di-

re-

reptione præmuniret, ipse vero Albæ Dux die undecima Septembris omnes Ulyssiponenses incolas adesse, ac Philippo Regi sese fidei sacramento obstringere jussit, nec minus Magistratus hunc Principem in omnibus urbibus tanquam Regem suum proclamari mandarunt. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LVI.

Novæ Antonii copiæ rursus profligatæ.

Thu. l. 70.

Antonius ob acceptam hanc cladem nondum penitus animum desponderat, sed Santaremo Conimbriam, ac inde continuo Montem-Majorem concessit, ubi cum novem circiter millibus recens conductis Averum, quod oppidum sibi devinciebat, contendit: quamprimum vero Avilam Ducem adventasse comperérat, mox Portum secessit, ingenti magnificentia exceptus: Avila autem ejus exercitum insequente brevi omnes illius copiæ fuerunt dissipatæ. Tum primum Antonius sese omni ope destitutum cernens, Mense Octobri suos milites dimisit, navemque conscendit, feliciter evitans Hispanos Equites, qui fugientem comprehensuri illum insequebantur. Postea hic Princeps per universum regnum vagabundus oberrabat usque ad mensem Majum anni sequentis, quo in Gallias salvus navigabat.

§. LVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

§. LVII.

Bragantiæ Dux Philippum inviſens, atque ab eo humaniter exceptus.

Thuan. l. c. Interea Philippus die quinta Decembris Elvam uſque proceſſerat, ubi Bragantiæ Dux, necnon Barcelli Dux ejus Filius eundem ſalutatum venerant, quos Philippus peramanter excepit, ac Patri regii Magiſtri Equitum dignitatem a Majoribus acceptam tanquam hæreditariam confirmavit, atque eidem aurei velleris torquem conceſſit, hoc honore remuneraturus illorum generoſitatem, qua ſua ad regnum jura Philippo ceſſerunt. Poſtea idem Rex Tomarii Ordinum comitia ad diem decimam quintam Auguſti anni ſequentis indixit, literasque, ac Nuntios ad omnes urbium, quas Luſitani in Indiis tenebant, Gubernatores miſit, qui Regem Catholicum ab omnibus regni Ordinibus Regem eſſe renuntiatum ſignificarent: cum vero hi Nuntii ſerius ad Azoras Inſulas pervenirent, Antonius hanc cunctationem in rem ſuam vertebat, & Franciſcanorum ope adjutus omnes has Inſulas excepta Sanmichaeliana, quæ Hiſpaniæ erat vicinior, ad ſuam fidem adegit; hæ enim gentes nimia credulitate Franciſcanis fidem adhibebant, aſſerentibus, Sebaſtianum Regem

gem, prout fallax rumor ſparſiſſet, minime mortuum, ſed illum adhuc vita ſuperſtitem eſſe, atque incognitum in Inſula Tertia morari, ac die quarta Auguſti Angram, quæ hujus Inſulæ caput eſt, perventurum (*). Sæcul XVI. A.C. 1580.

§. LVIII.

Sacerdotes Angli Romæ, & Duaco in Angliam profecti.

Poſtquam Angliæ Regina compererat, quod majori, quam unquam ſollicitudine quamplurimi Sacerdotes ex Seminariis Duaci, Rhemis, & Romæ erectis in Angliæ regnum venirent, eo utentes obtentu, quod Angliæ Catholicos ſolari, eisque Sacramenta adminiſtrare vellent, hinc ſuſpicionem conceperat, quod hi Presbyteri eo fine in Angliam penetrent, ut ſubditorum animos accenderent ad exequendum illud decretum, quo Pius V. hanc Reginam ſuo regno exutam anathemate percellebat, ejusque ſubditos ab obedientiæ vinculo exſolvens eisdem permittebat, ne deinceps illam tanquam Reginam ſuam venerarentur: attamen ſive verus, ſive vanus fuerit ille metus, id tamen nimis compertum habetur, quod Eli-

Thu. l. 70. Rapin. hiſt. d' Angl. t. 3. l. 17. Spond. n. 11. Sander de ſchiſ. Angl.

(*) Hæc fabula a Thuano conſarcinata eſt.

Sæcul. XVI. A C. 1 80.

Elisabetha cunctos hosce Sacerdotes comprehendi jusserit, eorumque plures crudeli mortis supplicio affecerit; nec tamen inhumana hac sævitia plurium Virorum Apostolicorum zelus adeo deterreri poterat, quin non subinde novi in Angliam adventarent Sacerdotes, quorum labores Robertus Personus, & Edmundus Campianus Jesuitæ adjuvabant: porro istorum primus Sommersetinatus suo erga fidem Catholicam studio celebrem sese reddidit, alter vero Londini ortus inter Anglos hæreticos spurii Diaconi munus obibat, ejurata autem secta ad Duacense Anglorum Seminarium, ac inde Romam delatus ibidem anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo tertio Societatem ingressus est, ubi postea Viennam, & Pragam missus, ac rursus Romam decretus in Angliam reverti jubebatur: ceterum ambo hi Viri Apostolici, quorum unus vehementioris, alter vero lenis, ac moderatæ indolis erat, a Gregorio XIII. diploma die decima quarta Augusti datum impetrabant, vi cujus nunc militis, nunc mercatoris, modo alterius generis vestes induti Angliam peragrarunt, ut Catholicis piam opem ferrent, eosque in fide orthodoxa firmarent: verum eorum zelus in sinistram partem vertebatur, atque Catholico-

licorum domos non tam illos imbuendi, ac ſolandi, quam ad ſeditionem, & rebellionem animandi ſtudio, necnon pernicioſa conſilia non ſine funeſti mali periculo inſtillandi animo acceſſiſſe inſimulabantur. Sæcul. XVI. A. C. 1580.

§. LIX.

Reginæ edictum adverſus Catholicos.

Quamprimum falſi hi rumores ad Eliſabethæ Reginæ aures pervenerant, mox illa convocato Senatu ſuo die decima quinta Julii edictum promulgari juſſit, vi cujus omnes, quorum proles apud Ultramontanos agerent, earum nomina inter decem dierum ſpatium indicarent, illasque infra menſem revocarent, atque illarum adventum Magiſtratui ſignificarent: inſuper præcipiebat, ut Parentes ejusmodi liberis, ſi ad regnum reverti renuerent, nullum pecuniarum ſubſidium nec per ſe, nec per alios ſubmitterent: demum vero omnibus, & ſingulis inhibuit, ne ullos cujuscunque conditionis forent, Sacerdotes hoſpitio exciperent, aut ad Jeſuitarum, vel illorum, qui ex Romano, Duacenſi, & Rhemenſi Seminariis advenerint, ſuſtentationem quicquam conferrent, transgreſſores vero hujus legis tanquam læſæ Majeſtatis rei puniri jubebantur: cum vero plu-

Thuan l. c. Rawin & Sander. l. c.

Sæc. XVI. A.C. 1580.

res divulgarentur libri, in quibus summus Pontifex, atque Hiſpaniæ Rex Religionem Catholicam in Anglia reſtaurare accuſabantur, ac Catholici Anglihorum propoſitum promovere admonebantur, hinc Regina aliud edictum promulgari juſſit, quo ſpeciatim hæc exponebat: „Haud incognita mihi ſunt „hoſtium meorum molimina, nihilomi„nus adjuvante Deo, & opitulantibus „ſubditis meis tam domeſticis quam ex„teris inſultibus reſiſtendo me parem „cerno.„

§. LX.

Draki navigatio circa univerſum Orbem, ejusque reditus in Angliam.

Thuan l. 71. Cambden de Britan. Hervolog. Angl. Spond. hoc ann. n 24. De Franc. Drakii navigatione.

Hoc anno Menſe Novembri Franciſcus Drackus, qui exeunte anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Plimutho Angliæ portu ſolvit, circumnavigato terrarum orbe reverſus eſt: porro hic anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo die quinta Aprilis in Braſiliam venit nonniſi tres naves ſecum ducens, earum enim duas ſæva tempeſtate jactatas amiſerat, ſuppelectili tamen, ac militibus periculo ereptis: die autem vigeſima ſecunda Auguſti fretum Magellanicum ſubiit, alto mari ſeſe committens, ubi multas

multas prætervectus regiones in illis maximam auri, argentique vim, ac pretiosas merces Hispanis eripuit. Demum illum in Angliam reversum Elisabetha equestri honore decorabat, prandiumque in eadem prætoria, qua Drakus ingens hoc iter confecerat, sumere dignabatur: Rex vero Hispaniæ per Bernardinum Mendoza Oratorem suum de Dracko questus illum, quod per regiones Hispano imperio subditas navigare præsumpserit, accusabat, simulque omne aurum Hispanis ablatum restitui petebat: ast Regina Philippo respondit: „Drakus coram legitimo ju„dice, quotiescunque petetur, re„spondere paratus est: Hispanicum quo„que aurum, argentumque in sequestro „reponam, ut Hispanis satisfieri queat, „quamvis illud pleno jure impendere „possem contra rebelles, quos Hispa„niæ Rex, & Papa indies adversus me „excitant: de cetero plane ignoro, quam „ob caussam Principes illi, qui Romani „Pontificis auctoritatem non reverentur, „non æque, ac Hispani in Indiis merca„turam exercere queant, quippe ae„ris, marisque usus omnibus commu„nis est, nec regiones, & maria distri„buendi jus Pontifici competit, cum „ipse horum Dominus non sit.„ Nihilo-

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Sæcul XVI A. C. 1580.

minus Regina quamdam hujus thesauri partem restituit.

§. LXI.

Anabaptistarum Regnum per Joannem Guilielmum Kuremundanum redintegratum.

Thuan. l. 71. Arnold. Meshov. Hist. Anabapt. Joan. Oltii annal. Anabapt.

Jam alibi de confecto Monasterienſium Anabaptiſtarum regno, necnon de Joannis Leidenſis, Georgii Davidis, Melchioris Hofmani, aliorumque regimine, & ſupplicio mentionem fecimus: poſtquam vero Joannes Cerdonus Bruxellis laqueo ſuſpenſus periit, & Cornelius Apelmanius Ultrajecti eodem ſupplicio vitam finierat, tamdiu perniciosum hoc regnum Succeſſore caruit, donec Joannes Guilielmus Ruremundanus cujusdam Sacerdotis filius a Deo ad reſtaurandum Anabaptismum, atque ad puram doctrinam Monaſterii innovandam ſeſe admonitum fuiſſe jactitaret. Hic idem ſpondebat, quod intra exiguum temporis ſpatium novæ Jeruſalem regnum ſtabiliretur, & populus a Deo illuſtratus regiones eſſet occupaturus illorum, qui perperam de Divinitate ſentiunt, ſicut olim Iſraelitæ Cananæis ſuas ditiones eripuerunt: inſuper librum conſcripſit, in quo ad Mahometis exemplum polygamiam indulgebat, ut vero tam ipſe, quam ejus Secta-

Sæcul. XVI. A C. 1580.

Sectatores plurimas ejusmodi uxores suas alere possent, hinc furta, ac rapinas concedebat, eo usus obtentu, quod omnia bona terræ ad Christum, ejusque dicipulos pertineant, ipsum vero Deus misisset, ut æqualibus partibus bona distribueret. hancque in rem Dei, & Gedeonis gladium accepisset: itaque juxta pernicioſam hanc doctrinam plures Nobilium ædes fuerunt direptæ, pluresque possessores ab hisce fanaticis trucidati: denique postquam hi per quinque annos omnia susdeque verterant, quin eorum violentiæ remedium opponi posset, tandem Guilielmus hujus regni Architectus capiebatur, atque in Dinslakensi arce Juliacensis ditionis carceri mancipabatur, hic tamen fanaticus adeo dextre suos satellites coruperit, ut in ipsis etiam carceris anguſtiis aliquamdiu cum suis mulierculis voluptatibus, luxui, rerumque abundantiæ indulgere posset, donec Guilielmus Cliviæ Dux novum hoc flagitium edoctus hunc captum arctiori custodiæ tradi, atque in eum judicii acta instrui juberet, ubi lento igne tostus periit, quin ullum pœnitentiæ signum ederet, ac præterea duæ ex præcipuis ejus mulieribus idem supplicium eadem prorsus pertinacia subibant, ceteræ vero

Saeul. XVI A. C. 1580

transactæ vitæ crimina deteſtari videbantur.

§. LXII.

Concordiæ liber a Lutheranis conſarcinatus, typisque editus.

Hoſpin. concord. diſcors impr. ann. 1607.

Sub idem tempus Lutherani in Germania poſt celebres ſuos conventus Torgavii, & Bergæ habitos, ut ſupra meminimus, librum ſuum, cui titulus *formula concordiæ*, typis vulgarunt: nihilominus haud conſtat, quod hi hæretici poſtea in unum congregati ullam novam fidei deciſionem procuderent: illæ vero laciniæ, ex quibus præfatus liber eſt conſarcinatus, fuere ſubminiſtratæ a diverſis Authoribus, & diverſis annis ſubſcriptæ, quippe Lutherani in hoc libro cuncta, quæ inter eos majoris authoritatis erant, in unum volumen contrahere meditabantur: verum omnibus media, quibus in Germania ſubſcriptionem extorſerunt, ſunt comperta, ac cuivis conſtat, quantas violentias, ut hæc concordia reciperetur, adhibere oportuerit, & quam acriter quidam Principes, urbesque huic ſubſcriptioni ſeſe oppoſuerint. Porro hic liber nominabatur Bergenſis concordia ducto, ut fertur, nomine a quodam monaſterio, quod prope Magdeburgum ſitum eſt: præterea idem liber

aucto-

auctoritate Augusti Saxoniæ Electoris, ac quorundam aliorum Principum Lutheranorum prodiit, Schmidelinus vero Germanus Præco inter suos celeberrimus illum ab octo hominum millibus tam sponte, quam coacte approbari voluit, alii tamen spurium hunc partum rejecerunt, unde ex hac concordia schisma inter Germaniæ Protestantes exortum est. Scripsit Hospinianus prolixam de hoc libro historiam, in qua ea, quæ desuper contigerunt, potissima ex parte integra fide enarrare videtur: Osiander autem, qui cum ceteris hujus libri faber eundem in sua historia Ecclesiastica ad compendium reduxit, ingenue fatetur, quod hanc concordiam multi tam Calvinistæ, quam Lutherani ex mollioribus, & rigidioribus & lingua, ac calamo impugnaverint, unde etiam secta Concordistarum prodiit. Denique Bellarminus suam de hoc libro sententiam pronuntians demonstrat tam tituli vanitatem, quam crassos errores, quibus hoc opus contra ipsum Apostolorum Symbolum scatet. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LXIII.

Navarræ Rex redintegrato bello Cadurcum occupans.

Ceterum concordiæ pacta, quæ Regina Mater cum Navarræ Rege in

Sæcul. XVI. A.C. 1580

Aquitaniam profecta ſanxerat, haud diu ſubſiſtebat, quippe vix inde diſceſſerat, cum illico Rex ſuæ factionis ſocios Mazeræ in Fuxienſi comitatu congregaret, deliberaturus, an arma reſumere expediret: protinus vero Condæus Princeps bellum eſſe redintegrandum opinabatur, eoquod ſe Picardiæ Præfectura, quam ipſi Rex ceſſerat, exutum ægerrime ferret, quapropter Pictavio diſcedens diſſimulata ſui generis nobilitate in Picardiam contendit, aſtuque Farum, oppidum valde munitum, atque in hac Provincia longe opportuniſſimum ingreſſus ibidem ſeſe tueri decreverat, etiamſi Rex ad illum inde expellendum extrema moliretur. Hæc geſta fuere die vigeſima nona Novembris anno priori, ineunte autem hoc anno Navarræ Rex nulla prorſus habita ratione, quod Regina Mater eidem quoad omnes querelas, ac poſtulata Neraci plene ſatisfeciſſet, nihilominus Cadurcenſem urbem obſidione cinxit, illamque expugnavit, quamvis Vezinus illius Gubernator ingenti animi fortitudine ejus violentiæ reſtitiſſet: porro Navarrus captam Urbem militum ſuorum deprædantium libidini expoſuit, qua etiam crudelitate plures alias Aquitaniæ, Pictavii, Santonæ, Occidaniæ, & Delphinatus urbes devaſta-

vastabat: attamen Rex, qui omnia pacis beneficio tranquilla credebat, dum hanc Calviniſtarum perfidiam, armorumque ſucceſſum compererat, nulla mora ſeſe rebellibus opponere ſtatuit, hancque in rem exercitum ſuum in tria partitus eſt agmina, quorum primo in Aquitania Armandus Biron Franciæ Mareſcallus præeſſet, ac Regis Navarræ impetus frangeret; alterum vero in Delphinatu Ledigiarium Mareſcallum, qui Navarræ Regis nomine in hac Provincia imperabat, invaderet, ac Maduani Comitis imperio ſubeſſe jubebatur: tertium denique ducebat Matignonus Mareſcallus, qui in Picardia Condæo Principi obſiſteret. Poſtea die tertia Junii Franciæ Rex pacificationis edicta in favorem illorum, qui rebellium partes non ſequerentur, promulgata confirmabat: inſuper prudentia, ac vigilantia illorum, quos Rex ſuis copiis præfecerat, feliciter præpediebat, ut Calviniſtæ adeo non prævalere poſſent, ut potius in officio continerentur. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LXIV.

Reliquiæ ſancti Georgii Nazianzeni a Pontifice translatæ.

Ab eo tempore, quo ſancti Georgii Nazianzeni circa annum trecenteſimum *Aula Sanct. Papeproch.*

Sæcul XVI A.C 1580.

mum nonageſimum primum defuncti corpus Conſtantinopoli Romam deferebatur, hujus translationis feſtivitas ferme nemini amplius erat cognita, hoc tamen anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo Gregorius XIII. Papa illius memoriam in fidelium cordibus reſtricare ſtatuit, ac propterea magnificum Sacellum in Vaticano ſub hujus ſancti invocatione exſtrui curavit: præterea ſolemnem ſupplicationem ad Eccleſiam Monialium Græcarum in Regione Campi Martis de crevit, ac ſacra hujus ſancti oſſa, ubi prius erant depoſita, excepit, & cum ingenti pompa ad Baſilicam Divi Petri transtulit, comitantibus ſacras haſce reliquias tota aula Romana, cunctis Sodalitatibus, omnibusque Romanæ Urbis Ordinibus. Hæc ſolemnitas ad plures protrahebatur dies, præcipua tamen feſtivitas agebatur undecima Junii die, quæ etiam ab illo tempore ſancti Gregorii Nazianzeni in Occidente Epiſcopi translationi, ejusque feſtivitati præfixa eſt.

Menſ. Majo p. 448. 457 Ciacon. t. 4. pag. 4.

§. LXV.

Sancta Thereſia in Reformationis ſuæ negotio plurimum perpeſſa.

Vita ab ipſa Sancta The-

HUcusque Reformatio, qua ſancta Thereſia Ordinem ſuum priſtino ſplen-

splendori restituit, indies nova gloriæ incrementa sumpserat, paucos enim vitæ suæ annos numerabat, in quibus non nova monasteria exurgere cerneret; horum vero primum erat illud Abulense Divo Josepho nuncupatum, in quo etiam heroicum reformationis suæ opus inchoaverat, impetratis ad id a Pio IV. literis Apostolicis, quas eidem sanctus Petrus de Alcantara procurabat: nihilominus insuperhabito summi Pontificis præsidio plurima adversa tolerare cogebatur suscitata ab illis, qui novæ hujus reformationis progressus inique ferebant, quinimo illi etiam, a quibus validam opem exspectare debuisset, acerbius eidem adversabantur, piisque ejus consiliis tam Ecclesiastici, quam profani Magistratus sese opponebant: insuper famosi, quibus ejus vitæ ratio proscindebatur, libelli per universum Hispaniæ Regnum spargebantur, atque ipsi etiam Viri doctissimi, quamvis innocuos illius mores damnare non possent, sæpe tamen ejus innocentiam adversus calumnias tuendi animo defecerant, unde in publicis cathedris, atque ecclesiasticis tribunalibus querelæ, omni ex parte adversum illam delatæ, necnon injuriæ in eam impune effusæ insonabant: aliunde vero illi, qui ea ætate virtutum studio magis celebres erant, forte

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

resia descripta Ribera, Didac. Yepez & Nicol. Ant in vita S. Thores.

Sæcul.XVI. A.C 1580.

forte ejus meriti, cujus gloria in ipsos non redundabat, invidi nullum non movebant lapidem, ut huic sanctæ honorem aut eriperent, aut saltem obscurarent: nihilominus illa cunctis hisce obstaculis superior intra viginti annorum spatium septendecim, aut octodecim Monialium Monasteria, ac quindecim Virorum asceteria in variis Hispaniæ urbibus erexerat, tam amplo sacri laboris progressu, ut tunc, cum ea adhuc vita superstes esset, reformata illius Religio in Indias Occidentales usque ad Mexicum diffunderetur, præcipue tamen sese latius extendebat in Italia, inde vero in Franciam, Belgium, atque in universas Christiani Orbis regiones propagata est.

§. LXVI.

Carmelitæ Excalceati a mitigatis separati.

Bullar. Greg. XIII. pag. 476. *Ribera vit. S. Ther. l.* 3. *c.* 8.

Interim usque ad hunc annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum hæc Carmelitarum monasteria mitigatæ observantiæ Provincialibus, qui generalem totius Ordinis administrationem habebant, erant subdita: novis vero hisce conventibus nonnisi speciales præerant Priores, qui restauratam disciplinam sartam conservare procurabant: verum hanc mitigatorum,

ac

ac reformatorum conjunctionem minus ratam habebat Philippus II. Hiſpaniarum Rex, verebatur enim, ne ejusmodi commixtio quamdam diſſenſionem procuraret, ac renovatæ auſterioris diſciplinæ relaxationem induceret, quapropter Rex Gregorium XIII. rogabat, ut ſeveriorem, novamque diſciplinam a temperato inſtituto, & maximo Carmelitarum mitigatorum per varias Europæ Provincias diffuſorum numero penitus, ac in perpetuum ſepararet, adeo ut iſtorum Provinciales nullam omnino auctoritatem in excalceatorum Carmelitarum, & ejusdem Ordinis Virginum Religioſarum aſceteria amplius exercere valerent: igitur Gregorius Hiſpaniæ Regis voto annuens, die vigeſima ſecunda Junii anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo, & ſui Pontificatus nono diploma edidit, quod ab his verbis incipit: *Pia conſideratione*. In hiſce literis Apoſtolicis reformatos Carmelitas ad primitivam ſuam regulam ab Innocentio IV. approbatam revocat, ſolutioris autem obſervantiæ Religioſis ſartam conſervabat mitigationem, quam eis Eugenius IV. edita Conſtitutione indulſerat: denique Carmelitas reformatos penitus a ceterorum regimine exemit,

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

exemit, atque illorum monasteria in unicam redegit Provinciam.

§. LXVII.

Variæ Constitutiones Gregorii XIII. Pontificis.

Bull. Const. 60. & seq.

Eodem hoc anno Gregorius XIII. die vigesima tertia Maji aliam edidit Constitutionem, qua militiæ sancti Joannis Hierosolymitani privilegia, & statuta confirmabat, quem in finem innovavit Constitutionem Clementis VII. qui cunctos Beneficiis, aut Ordinis pensionibus provisos obstringebat, ut habitum deferrent, ac infra sex Menses Professionem emitterent. Die vigesima quinta Maji idem Papa aliam Constitutionem promulgavit, qua circa justitiæ administrationem tam pro Romana, quam aliis ditionis Ecclesiasticæ Urbibus quædam statuta condidit, atque circa artes, & opificia leges præscribens eorum jurisdictionem restauravit: præterea tertiam Bullam vulgavit die prima Julii, qua Ordinis S. Dominici Religiosis inhibuit, ne Magnatum, Cardinalium, Præsulum, aliorumque patrocinio pro obtinenda quadam Ordinis gratia, vel cujusdam pœnæ venia utantur, quin eis suffragarentur Constitutiones Apostolicæ in contrarium editæ: insuper Papa illos, qui hanc

hanc legem transgressuri essent, ad quodcunque officium inhabiles declarabat. Eadem prima Junii die quarta Constitutio prodiit adversus eos, qui census, Canones, aliaque jura Cameræ Apostolicæ debita in sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli festo solvere detrectant, hanc vero Bullam Gregorius XIII. quotannis feria quinta hebdomadæ sanctæ promulgari præcepit. Denique postrema Bulla die vigesima quinta Novembris edita Ordinariorum jurisdictionem præscribit, quam in puniendis Vicariis suis domesticis, Colonis, & Ministris Militum Ordinis Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, qui hodiedum Equites Melitenses nuncupantur, exercere valent.

Sæcul. XVI. A.C.1580.

§. LXVIII.

Grousbroeckii Cardinalis Leodiensis Episcopi obitus.

Die vigesima octava Decembris anno priori sacrum Purpuratorum Collegium Gerardi Grousbroeckii, seu Grusbeckii Leodiensis Episcopi jacturam planxerat, qui ex illustri familia Baronum de Grousbroeckiis in Geldriæ Ducatu ortus mense Martio, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo ad romanam purpuram evectus erat. Is educationem generis

Ciacon. vit. Pontif. t. 4. pag. 56. Chappevil. de Leod. Antist. Aubery vie des Cardin.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

fui nobilitate dignam sortitus Leodium venit, ubi primo Canonicus, atque evolutis aliquot annis unanimi suffragio Decanus eligebatur, quo munere cum tanta prudentiæ, sapientiæ, & probitatis laude functus est, ut mortuo Roberto a Bergis Leodiensi Episcopo die undecima Aprilis Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto subrogatus cum ingenti gregis sui profectu veri Pastoris partes expleret, quippe suos diæcesanos sibi commissos tam privatis, quam publicis admonitionibus juvabat, & ægrotos sæpe visitabat, ac viduarum, & pauperum miserias sublevabat Nosocomiis erigendis, eosque ad veram Catholicæ fidei institutionem reducebat, præcipue vero a Diæcesi sua hæresin avertere, ac Religionem Orthodoxam ibidem conservare cum tanto studio, ac successu satagebat, ut jam tum sanctissimis primorum sæculorum Episcopis comparari meruerit: insuper anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo ferventibus belli Belgici tumultibus, ubi Religio ad interitum properare videbatur, ipse sua prudentia Leodiensi Diæcesi tam sedulo providit, ut fides Catholica ibidem intacta servaretur: præterea seditionem, quam Hasseleti exiguo Diæcesis suæ

oppido

oppido quidam Proteſtantium Miniſtel- Sæcul. XVI.
lus conflaverat, extinxit, ac brevi hanc A.C.1580.
urbem denuo ſibi ſubjectam ad officium revocavit, rebelles vero ſumma benignitate in gratiam recepit, imo pro Trajectenſibus, quos Belgii Gubernatrix ob ſeditionis crimen plectere parabat, ipſus deprecabatur: poſtea quoque cum rebelles denuo Leodium ſubigere molirentur, ſuam urbem tuebatur, hoſtesque ſuos ſuperabat, & Calviniſtas, ne Trudonopoli convenirent, præpediens coram Ludovico Naſſavio ſeſe excuſabat, exponendo, legibus Cæſareis ejusmodi conventicula eſſe vetita. Denique Gerardus anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio mortalitatem exuit, ſepultusque fuit in ſua Eccleſia Cathedrali ad ſanctum Lambertum.

§. LXIX.

Franciſci Alciati Cardinalis mors.

Hujus obitum excipiebat mors Fran- *Ciacon. t. 3. pag. 972. Janut Nic. Ength. Pinac. imag. il.uſtr. p.2. cap. 47.*
ciſci Alciati patria Mediolanenſis, qui ex Martino nobili Mediolanenſi ortus die prima Februarii Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo primam lucem aſpexit, & non modo ſanguine junctus, ſed etiam educatus erat ab illo celeberrimo Jurisconſulto Andrea Alciato, cui Respublica literaria in acceptis referre tene-

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

tur, quod ceteris prior jurisprudentiam in variis libris usque ad illius ævum editis a barbarie liberaverit, hancque scientiam pristino suo splendori reddiderit. Ceterum Franciscus maximum jurisprudentiæ ornamentum æque ac Andreas etiam Papiæ eandem disciplinam profitebatur, atque inter alios Auditores sanctum Carolum Borromæum Cardinalem habebat, cum autem hic sub Pio IV. Patrui sui Pontificatu administrandis Ecclesiæ rebus præficeretur, Alciatum Romam accersivit, atque in Datariæ officio ipsius opera utebatur: postea vero Franciscus ab eodem Papa utriusque, ut vocant, signaturæ Referendarius renuntiabatur, & Civitatensis in Provincia Beneventana Episcopus, ac tandem ad annum Domini millesimum quingentesimum sexagesimum quintum Cardinalis nominabatur. Postea supremus sacræ Inquisitionis Præfectus præter alios ad interpretanda Concilii Tridentini decreta selectus erat, sub Pio V. autem Majoris Pœnitentiarii officio defungebatur: refert quoque Muretus in sua oratione funebri, quod hic Cardinalis æque, ac Sirletus illius ævi ornamentum, literarum fulcrum, ac vera virtutis, eruditionisque norma exstiterint. Interfuit Alciatus sacris comitiis, in quibus

quibus Pius V, & Gregorius XIII. ad Divi Petri Cathedram fuerant evecti: denique Romæ feria tertia die decima septima Februarii hoc anno nonnisi quinquaginta octo annos natus extremum clausit diem, corpusque ejus in Ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum sepultum jacet: ceterum Alciatus Ordinis Carthusiani, ac Fratrum Minorum Protector erat, & Bibliothecam prorsus eximiam relinquebat. Sæcul. XVI. A.C.1580.

§. LXX.

Moroni Cardinalis extrema.

Hoc item anno mortis invidia Reipublicæ Christianæ eripiebat Joannem Hieronymum Moronum, qui itidem natione Mediolanensis, ac Hieronymi Mediolanensis Cancellarii civili prudentia suo ævo longe clarissimi, ac Carolo V. Imperatori percari Filius fuit. Is die vigesima sexta Januarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo nono natus Patavii jurisprudentiæ operam navans adeo inter suos profecit, ut a Clemente VII. Romano Pontifice juvenis adhuc Episcopatu Mutinensi donaretur, a Paulo III: autem ad Ferdinandum Romanorum Regem, Petri Pauli Vergerii loco, Sedis Apostolicæ Internuntius decerneretur, ubi omnibus Germaniæ con-

Ciac. p. 680. Ughel in Italia sacra. Andr. Victorel. in add. ad Ciacon.

Sæcul. XVI. A.C.1580.

ventibus, præsertim vero Ratisbonensi tum Turcis resistendi, tum religionis caussa coacto interfuit: in Italiam vero reversus anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo ab eodem Paulo III. Cardinalis unacum Petro Paulo Parisio, & Reginaldo Polo Cardinalibus, ut Concilium Tridenti inchoarent, tanquam Apostolicæ Sedis Legatus mittebatur, atque in urbe permansit usque ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum quartum. quo Synodo Bononiam translata, ejusdem urbis legationem jubente Pontifice accepit, quam etiam usque ad annum a partu Virginis millesimum quingentesimum quadragesimum octavum retinuit, & sub idem tempus Mutinensem Ecclesiam in favorem fratris Ægidii Fuscarii nobilis Bononiensis dimisit, & Novariensis Episcopus quadriennio post renuntiatus est, eo etiam proponente Romæ Collegium Germanicum pro adolescentibus pietate, & literis instruendis ædificatum est: tandem is anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto ad Comitia Augustana decernebatur, ubi autem de Pontificis morte nuntium accepit, Italiam versus iter arripuit, atque post Marcelli II. obitum a Paulo IV. ejus Successore captus in arce Sancti

Sæcul. XVI. A C. 1580.

ſancti Angeli cuſtodiri jubebatur, cujus tamen fati cauſſa ignoratur, quamvis quidam conjiciant, eum haud alterius criminis reum fuiſſe, niſi quod nonnulli huic Viro ſuam æquitatem, animi integritatem, ceterasque virtutes invidérent, cum tamen ob harum eminentiam potius ab omni vexatione immunis eſſe debuiſſet, niſi aliunde ſat familiare foret præclaræ virtuti, quod ſemper communis quaſi ſit ſcopus, in quem calumnia, atque æmulatio ſua ſpicula contorquent.

Ceterum Moronus uſque ad Pauli IV. obitum in cuſtodia tenebatur, ac cum eo idem quoque fatum ſubibat Cardinalis Polus Morono intimæ amicitiæ vinculo junctus, qui itidem captus, incluſusque hæſit, donec Paulus IV. Moroni cauſſam a quatuor Cardinalibus ſevera admodum inquiſitione examinari curaſſet, cum vero nullius criminis reus comperiretur, e carcere ſuo exeundi libertas eidem conceſſa eſt, qua tamen facultate uti renuit, donec ejus innocentia manifeſtius vindicata eſſet: Paulus tamen hujus nominis quartus Moronum abſolvere cunctabatur, ne ipſus ſuam agendi rationem damnare videretur, hinc Cardinalis in carcere relictus eſt, Pius vero quartus Pauli ſucceſſor cognita Moroni in-

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

nocentia eum non modo ab omni injuria, & suspicione vindicabat, sed etiam ex Presbytero factum Episcopum Albanensem, mox Sabinensem, & tandem Præneſtinum, etiam dignum judicabat, quem anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio in Herculis Gonzagæ Cardinalis Mantuani locum, primum Legatum, & Præſidem ad generalem Tridentinam Synodum iterum a ſe convocatam mitteret: porro de proſpero Legationis ſuæ ſucceſſu apud Imperatorem Oeniponti agentem, necnon de illius itinere jam alibi mentionem fecimus.

Poſtea abſoluto Concilio Moronus Romam reverſus Oſtienſis Epiſcopus, necnon ſacri Collegii Decanus mortuo Piſano Cardinale renuntiabatur, atque a Pio IV. ad conciliandum fœdus contra Turcas nominabatur, demum a Gregorio XIII. pro componendis diſſidiis Nobiles inter, & plebem Genuam miſſus. Defuncto Pio IV. Moronus, cum jam antea in alio conclavi viginti octo ſuffragia tuliſſet, nunc quoque ſanctum Carolum Borromæum ſibi ſuffragantem habuit, non tamen in Pontificem electus fuit, ſed in Germaniam reverſus feria quinta die prima Decembris Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo, ætatis vero ſuæ ſeptuageſi-

gesimo primo Romæ obiit, corpusque ejus in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam prope majoris Aræ gradus terræ mandatum est. Hic idem Cardinalis Mutinæ tres celebrabat Synodos, nec unquam pii Præsulis partibus defuit, exstruxitque in eadem urbe Fratrum Capuccinorum monasterium; insuper pro mulieribus, ac puellis a vitiorum cœno conversis quoddam receptaculum construi curavit, plurimumque ad ædificandum Jesuitarum Collegium contulit, necnon sacram Lauretanam Domum Beatissimæ Virginis amplis beneficiis cumulavit. Ceterum dexteritate, animi promptitudine in consiliis, & immota in adversis fortitudine erat insignis, præcipue vero primævo naturæ beneficio lenis, honestatisque amans, qui merita omnium, cujuscunque conditionis essent, passim magni habere solitus integritatis, æquitatisque studiosissimus audiebat. Porro posteritati reliquit Constitutiones, quas idem, cum adhuc Novarrensis Episcopus esset, typis edidit: præterea vulgavit acta Mutinensium Synodorum, suamque orationem ad Concilium Tridentinum habitam, pluresque epistolas ad Paulum, & Cortesium Cardinales, necnon ad Jovium, & Fridericum Nauseam datas: insuper ejus cura prodiere Divi Hieronymi

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Sæcul. XVI. A. C. 1580

opera ab Erasmo emendata: ipsius vero vitæ historiam exacte descriptam nobis reliquit Ludovicus Jacobillus Fuligniatensis in Umbria Episcopus.

§. LXXI.

Cardinalis de Blanchis mortuus.

Ciac. p. 1048. tom. 3 Andr Victorel. ad Ciac. Aubery & Ughel. l. c.

Pariter ineunte hoc anno Franciscus Archangelus de Blanchis ex Mediolanensi Ducatu in Papiensi territorio natus vivis ereptus est. Is adolescens Ordinem sancti Dominici ingressus inter suos eruditione, pietate, ac vitæ sanctitate eminuit, simulque Philosophiam, & Theologiam cum eximia nominis sui fama professus, demum præcipua Ordinis sui munia cum tanto omnium applausu obibat, ut Alexandrini Cardinalis in Inquisitoris officio socius eidem etiam a Confessionibus esset: postquam vero hic idem Cardinalis sub Pii V. nomine Pontificatum adeptus erat, Franciscus ab eodem summo Pontifice præter Episcopatum Teanensem Cardinalis titulo sancti Cæsarii in Palatio creabatur: demum Theanensem Ecclesiam, quam per integros novem annos rexerat, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto abdicabat, a Pio autem quinto, postquam Ordinem Fratrum Humiliatorum ob rationes alibi recensitas extinxerat,

Præ-

Præpoſituram ſancti Abundii Cremonenſis obtinuit: denique eidem, cum concinnando librorum prohibitorum catalogo inſudaret, Romæ mors calamum excuſſit feria ſecunda die decima octava Januarii Cathedræ Divi Petri ſacra, poſtquam ſexaginta octo annos, tres menſes, & quindecim dies vixerat, ſepultusque fuit in Eccleſia ſanctæ Sabinæ, quam pluribus piis Legatis auxerat. Sæcul. XVI, A.C. 1580.

§. LXXII.

Hieronymi Oſorii obitus.

Inter Scriptores Eccleſiaſticos, qui hoc anno deceſſerunt, primo loco recenſendus venit Hieronymus Oſorius Ulyſſipone in Luſitania ex Joanne Oſorio de Fonſeca, & Franciſca de Govea natus. Hic Salmanticæ percurſo ſtudiorum curriculo nonniſi decimum nonum ætatis ſuæ annum egreſſus Pariſiis Philoſophiæ operam dabat, inde vero Bononiam contendens linquarum, ſacrarumque literarum peritia inclareſcebat, tantaque facilitate, atque elegantia perorabat, ut Luſitaniæ Cicero paſſim nuncuparetur: poſtea vero ſacræ militiæ adſcriptus, atque in patriam reverſus a Joanne III. tum Luſitanorum Rege ſacras Paginas in Univerſitate Conimbricenſi interpretari jubebatur, quo etiam munere cum tam amplo fungebatur progreſſu, ut eidem

Andr. Scotus & Nic. Ant. Bibl. Script. Hiſp. Oſor. in vita Hier. Oſorii. Dupin. Bibl. des Aut Eccl. Siecle XVI. p. 4. p. 418.

Sæcul. XVI. A C 1580

dem Taveranæ Eccleſiæ adminiſtratio committeretur: demum autem cum Sebaſtianus vivis ereptus, atque Henricus Cardinalis ad Luſitaniæ ſolium evectus eſſet, ab hoc Eboræ Archidiaconus, ac poſtea Sylvæ in Algarbia Epiſcopus nominabatur, qua dignitate auctus cunctis exemplo præluxit, pauperesque tenero affectu fovens, eisdem largas eleemoſynas erogavit, aliisque pietatis operibus plurimum ſeſe commendandum reddidit: verum calamitates, quæ poſt Henrici Cardinalis obitum ex Hiſpanorum invaſione patriam ejus depopulabantur, tam intimo ſenſu ejus animum commoverant, ut morbo correptus die trigeſima Auguſti hoc anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo, atque ætatis ſuæ ſeptuageſimo quarto Taviræ in ſua Diæceſi animam Deo redderet. Hujus Viri vitam Hieronymus Oſorius ejusdem Nepos Eburanus Canonicus deſcripſerat: ipſe vero hic Præſul ex eorum numero erat, qui Philippum II. tanquam Luſitaniæ Regem eſſe agnoſcendum cenſebant. Ceterum plura ingenii ſui monumenta Romæ in quatuor tomis anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo excuſa poſteris reliquit, quæ plures tractatus morales, commentarios, & Paraphraſes in

in diversos sacri Codicis libros complectuntur. Sæcul. XVI. A.C. 1580.

§. LXXIII.

Petri Emottæ mors.

Alter erat Petrus Emotta Augustodunensis, qui Parisiis in Collegio Navarrico studiis vacans, ac literarii honoris gradus emensus in eodem Collegio anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Doctoris laurea decorabatur, & postea Laudensis Ecclesiæ Theologus anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo octavo præfatæ Ecclesiæ, ac Capituli Decanus creabatur: cum vero ad annuntiandum Dei Verbum sese satis idoneum cerneret, ingenium suum magis excultum reddere satagebat, quamvis juxta insulsam illius ævi Prædicatorum consuetudinem, sine selectu, ac rationum soliditate sermones suos elucubraret, qui tamen post ejus obitum, qui die prima Augusti hoc anno contigit, typis evulgabantur. In ejus concionibus continentur Gallico idiomate adhortationes Catholicæ in Evangelia pro diebus festis, ac dominicis, necnon instructiones circa Sacramenta, quæ omnia tribus tomis comprehenduntur: præcipuum vero illius opus est tractatus latinus, cui titulus: *Dupin. l. 6. p. 423.*

Con-

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Confessio fidei Catholicæ confirmata testimoniis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, qui primis duobus Ecclesiæ sæculis floruerunt: hoc opus vivente adhuc Auctore anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo editum, atque in quatuor libros divisum exstat, in quorum primo Auctor agit de veneratione, & cultu Angelorum, & Sanctorum, in secundo autem de homine, divinaque providentia erga illum, & de Prædestinatione, ac justificatione. In tertio differit de Sacramentis in genere, & in specie, ac denique in quarto de ultimo fine hominis.

§. LXXIV.

Cuneri Petri mors.

Bajana inter opera Baji p. 208. Miræus de Script. sæculi XVI. Havensius de erect. nov. Episc. Belg.

Tertius erat Cunerus Petri Duivindiciæ quodam Zelandiæ oppido natus, qui Lovanii percurso literarum stadio ibidem Doctoratus honore insignis evadebat, & primus Leowardiæ in Frisia Occidentali Episcopus seligebatur, hujusque Ecclesiæ possessionem die septima Februarii anno post Christi Nativitatem millesimo quingentesimo septuagesimo accipiens die vigesima quinta Aprilis Synodum celebrabat, Leowardiensi autem urbe paulo post a Calvinistis capta ipse in Harlingana arce in-

Sæcul XVI. A.C.1580.

incluſus tamdiu in carcere tabeſcere coactus fuit, donec ad Monaſterienſem urbem contendere juberetur, ut in hujus Principis locum aliquamdiu Co-Epiſcopi munus obiret: inde vero poſtea Coloniam pervenit, ubi ſacras literas publice tradens tandem die decima quinta Februarii anno Redemptionis noſtræ milleſimo quingenteſimo octogeſimo nonniſi quadraginta novem circiter annos natus extremum diem clauſit. Scripſit varios tractatus, atque illi, qui anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono Colonienſibus literis excuſi prodiere, ſunt ſequentes I. De Sacrificio Miſſæ. II. De concordia meritorum Chriſti Domini cum Sanctorum meritis. III. De quæſtionibus Paſtoralibus, & de cælibatu Sacerdotum. IV. De notis, ex quibus veram, & legitimam Chriſti Eccleſiam dignoſcere licet. V. De Officio Chriſtiani Principis. VI. De gratia, libero arbitrio, Præceſtinatione, juſtificatione, indulgentiis, & de firmitate Cathedræ Divi Petri: exſtat inſuper aliud hujus Auctoris ſcriptum in propoſitiones, quæ in Pii V. Bulla contra Bajum continentur, præterea quædam opuſcula Flandrico idiomate edidit contra Anabaptiſtas: Denique ut Synodi ſuæ ſtatuta taceamus,

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

mus, inter alia reliquit tractatum de obedientia Principibus Christianis debita.

§. LXXV.

Georgii Ederi fata.

Dupin. p. 4. pag. 416.

Quarto loco recensendus est Georgius Eder, qui hoc anno defunctus creditur. Is erat in Germania celebris Jurisconsultus Frisingæ natus, ac trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II, & Rudolphi II. Consiliarius, de quo tamen nil memoratu dignum ad nos fuit transmissum, nisi quod quædam illius opera variis temporibus Coloniæ, Dilingæ, Viennæ in Austria, & alibi impressa prodierint, inter quæ celebrantur I. *illius partitiones Theologicæ, seu Oeconomia Sacræ Scripturæ* in quatuor libros divisa II. Partitiones Cathechismi Concilii Tridentini. III. Hæreticorum malleus. IV. Babylonia hæreticorum, seu summa fabularum hæreticarum. V. Sermo de fide Catholica. VI. Disquisitio Evangelica inter veram, & falsam doctrinam. VII. Historia Rectorum, & illustrium Virorum, qui Viennæ in Austria ab anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo usque ad annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum in hac Universitate floruerunt.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI. A. C. 1580.

Laurentii Villavicentii deceſſus.

Quintus erat Laurentius de Villavicentio, cujus tamen obitum nonnulli ad annum ſequentem rejiciunt. Is Xeræ in Andaluſia natus, adoleſcens Ordinem Eremitarum ſancti Auguſtini ingrediebatur, ubi tantam ſibi laudem comparabat, ut Lovanii Theologiæ Doctor creatus, ac regius ſacræ Scripturæ Profeſſor nominatus a Philippo II. Hiſpaniarum Rege ad conſcientiæ ſuæ regimen ſeligi mereretur: præcipue vero celebrem ſeſe reddebat quodam opuſculo, in quatuor libros diviſo, quod inſcripſit, *de recte formando ſtudio Theologico*, in quo tamen Andreæ Hiperii Lutherani, & Marpurgenſis Profeſſoris tractatum, cui titulus: *de Theologo*, ſeu *de modo Theologiæ ſtudendi*, ferme integrum deſcripſerat, ſolo hoc inter utrumque diſcrimine, quod Villavicentius plura expunxiſſet loca, in quibus hic Lutheranus juxta ſectæ ſuæ dogmata nimium a vero aberrabat, quibus tamen Villavicentius nonnulla alia loca ad tuendam fidei Catholicæ doctrinam magis apta ſubrogaverat: eodem quoque artificio uſus eſt in elucubrandis tribus aliis libris *de formandis ſacris Concionibus*, ubi rurſus ferme totum ex præfato

Valer Andr. Bibl. Dunin. p. 4. p. 570.

Sæcul. XVI. A.C. 1580.

Hyperio desloravit: ceterum genuinus ingenii sui partus sunt ipsius sermones duobus voluminibus comprehensi, qui anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Parisiis excusi prodierunt.

§. LXXVII.

Claudius Gouste mortuus.

Dupin. part. 5. p. 412.

Sextus erat Claudius Gouste Senonensis Urbis Præpositus, qui tractatum de potestate regia in Ecclesiam scripsit, ad quod opus ei occasionem dedit petitio Aurelianensium Ordinum, qui regnante Carolo IX. conventum de religione haberi postulabant, ubi exinde controversia oriebatur, quinam vel Ecclesiastici, vel Laici huic colloquio præessent, cum Clerici hoc jus ad se omnino devolvi contenderent, eoquod ipsis solis illorum, quæ ad religionem spectant, cognitio competeret: verum Claudius adversæ sententiæ suffragatus propugnabat, quod in ejusmodi conventibus præesse, concludere, decidere, atque ibidem sancita effectui mandare, Regis esset: porro hic tractatus erudite quidem, atque eleganter conscriptus videtur, nihilominus cuivis passim obvie occurrit, quod ejusmodi scribendi ratio magis Anglicano Scriptori, quam Catholico Auctori propria sit,

sit; cum enim ibidem ostenderet, quantum regiam dignitatem revereri oporteret, rem ab ipsis etiam veteris Testamenti historiis repetens demonstrare nititur, quod Judæorum Reges sese religionis negotiis, & Sacerdotii officiis immiscuerint, unde is propugnare audet, quod Concilia convocandi auctoritas Regibus conveniat, quinimo comminiscitur, quod eorum nonnulli hisce Conciliis præfuerint, ac leges circa Ecclesiasticam disciplinam condere valeant. Sæcul. XVI. A C. 1580.

§. LXXVIII.

Nicolai Sanderi extrema.

Denique postremus Scriptor erat Nicolaus Sanders, seu Sanderus Anglus in Surregiensi Comitatu Viacomiensis Diæcesis natus, qui Oxoniæ literis excultus regius Canonici juris Professor in ejusdem Urbis Universitate juvenis adhuc nominabatur, eoque munere per aliquot annos defungebatur usque ad Elisabethæ regimen: cum vero eo tempore Religionem Catholicam ex Anglia penitus eliminari cerneret, ultroneo sese exilio mulctabat, ut fidei suæ libertatem sartam servaret, hinc Romam secedens, ibidemque sacro Presbyteratus Ordine insignitus, Doctoratus lauream adeptus est, ac poste- Po- *Dupin p. 427. Pitseus de illust. Angl. Script.*

Sæcul. XVI. A C. 1580

lum Cardinalem ad Tridentinum Concilium, necnon in Poloniam, aliisque in itineribus comitabatur: inde vero reversus Lovanii detinebatur, ut regius Theologiæ Professor esset, atque in eadem urbe suum tractatum in octo libros divisum *de visibili Monarchia Ecclesiæ* elucubravit, typisque edidit: verum Pius V. postquam hoc opus pervolverat, illius Auctorem Romæ detinere, ejusque opera uti constituit: attamen hoc Pontifice paulo post ipsius adventum mortuo Sanderus in Comitiis Augustanis Commendonum convenit, ejusque benevolentia usus est, ibidemque aliquot annis commoratus, atque a Gregorio XIII. Nuntius Apostolicus in Hispaniam decretus, inde in Hiberniam eadem dignitate conspicuus mittebatur. Ibidem post plurimas calamitates, ac miserias extrema paupertate pressus in quadam sylva animam Deo reddidit. Ceterum Pitseus ejusdem Nepos, qui historiam de illustribus Angliæ Scriptoribus concinnabat, hujus Viri obitum ad hunc annum revocat, quamvis alii illius mortem uno, duobus, imo & tribus annis maturius accidisse referant.

Porro Sanderus in suo tractatu *de visibili Ecclesiæ Monarchia* probare aggreditur, quod Ecclesiæ regimen nec democraticum, nec Aristocraticum, sed mere

Sæcul. XVI. A.C.1580.

mere Monarchicum sit, insuper in septimo libro succinctam Ecclesiæ historiam describit, ac Pontificum successionem recenset, eorumque Primatu stabilito de hæresibus mentionem facit, quas ex Sanctorum Patrum testimoniis refellit: in octavo autem libro rationes confutat Protestantium, qui Pontificem esse Antichristum asserere non erubescunt: præterea pro tuenda summi Pontificis auctoritate aliud elucubrabat opusculum, cui titulus: *Clavis David*; hoc autem opus in sex libros divisum integra fide Ultramontana complectitur principia, quibus Pontificis auctoritas Conciliis superior dicitur, ac suprema Christi Vicariorum potestas stabilitur: verum præ ceteris acrius impugnabatur ejusdem historia de Schismate Anglicano in tres libros divisa, quam nonnisi post obitum suum typis vulgatam, dum in Hispania Papæ Nuntium agebat, composuerat: quidam etiam Sandero objectabant, quod hoc opus non ea, quæ Historicum decet, moderatione conscriptum foret, ac ipse nonnunquam gesta de falsitate suspecta retulisset: insuper hic idem Auctor Anglico idiomate posteris reliquit duos tractatus postea latine redditos, quorum primus de sacris Imaginibus, atque alter de sanctissima Eucharistia agit: scripsit etiam I. tractatum

Sæcul. XVI. A.C. 1580

ctatum de Sacrificio Missæ. II. commentarium in caput sextum sancti Joannis. III. tractatum de libero hominis arbitrio. IV. Dissertationem de Justificatione contra Altemburgense colloquium. V. opusculum de Primatu Pontificum Anglice, & latine editum. VI. Apologiam excommunicationis in Elisabetham vibratæ. VII. tres sermones Lovanii habitos de Transubstantiatione, Missis privatis, & de celebratione Divini Officii in lingua vulgari. VIII. tres libros contra Helhusium, & adversus quemdam Jesuitam Apostatam. IX. tractatum de Usura in Anglia.

§. LXXIX.

Emanuelis Tremellii interitus.

Thu. l. 71. circa finem. Simon hist. critiq. du nouv. Test.

Inter Scriptores Protestantes hoc anno vivis ereptos recensetur Emanuel Tremellius Ferrariæ in Italia ex Judæo parente circa annum Domini millesimum quingentesimum decimum natus. Is in juventute sua linguæ hebraicæ studio intentus eximios fecerat progressus: cum vero Lucæ cum Petro Martyre Vermillio, aliisque, qui clam Protestantium sectam profitebantur, arctissimum foveret commercium, unacum illis relicta Italia in Germaniam venit, ac primo Argentinæ sedem fixit, inde autem in Angliam secessit regnante adhuc

huc Eduardo VI. Rege, quo defuncto in Germaniam reverti compulsus Hombachii morabatur, ibidemque aliquamdiu Wolfgangi Bipontini Ducis patrocinio tutus in Collegio subsistebat, donec Heidelbergam vocaretur hebraicam linguam publice traditurus, ubi etiam syriacam novi Testamenti versionem latine reddebat, ac demum novam veteris Testamenti versionem ex textu hebraico adornare aggrediebatur, in laboris socium advocato Francisco Junio Bituricensi, qui mortuo Tremellio hoc opus, cujus tamen Author non erat, correctionibus nimium liberis depravabat, illiusque editionem multo quidem ampliorem, nequaquam tamen meliorem procudebat. Ceterum Tremellius Heidelberga discedens Metin contendit, ubi ex Italia reversus uxorem duxerat: verum brevi a Bullionio Duce Sedanum accersitus in nova Academia ab eodem erecta linguam hebraicam tradere jubebatur: tandem vero hoc anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo, septuaginta annos natus animam exhallavit. Hic Scriptor in sua sacri Codicis versione non raro a genuino sensu deflectebat, ac latinitate ad nauseam crispata, erroribusque scatente utebatur: insuper pluribus in locis manifestabat, quod is, priys-

Sæcul. XVI. A C. 1580.

Saecul. XVI. A. C. 1580.

priusquam Christianam religionem amplexatus fuerat, Judaica superstitione infectus fuerit.

§. LXXX.

Hieronymi Wolffii obitus.

Thuan. l. c. Mich. Adam Bruit. Philos. Gem.

Ex ceteris eruditis illius ævi Viris hoc anno obierat Hieronymus Wolffius ex nobilissima, ac pervetusta Rhætiorum familia Oettingæ natus, qui a nativitate sua adeo infirmam corporis habitudinem sortiebatur, ut literarum laboribus omnino impar crederetur, quapropter ejusdem Parens nullum non movebat lapidem, ut Filium suum nonnihil ætate profectum a literarum studio arceret: ast scientiarum ardor in Hieronymo naturæ parcitatem superabat, hinc cum tanta literarum aviditate studiis vacabat, perinde acsi integra valetudine frueretur, cum vero ejus parens pecuniarum subsidia, quibus in Universitatibus literis incumbere posset, denegaret, adeo is sese demittebat, ut etiam in Tubingano Collegio apud nobiliores Scholares famuli obsequium deferre non recusaret, qua opportunitate usus cunctas temporis reliquias a famulatu suis Heris præstito liberas adeo utiliter impendit, ut tam græci, quam latini idiomatis perfectam cognitionem aquireret, ac postea utramque linguam non

sine

sine magno applausu Comitum de Fugger liberalitate adjutus publice traderet: insuper præcipuos Constantinopolitanæ Historiæ Scriptores Zonaram, Nicetam, & Nicephorum Gregoras latine reddebat: demum vero in Collegio Augustano, ubi Bibliothecarii, & Rectoris munere fungebatur, ineunte mense Octobri anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo, ætatis suæ sexagesimo quarto calculi doloribus confectus obiit. Ceterum semper cælebs, atque ab omni rerum cupiditate alienus vixerat, præcipue vero hæc ingenii sui monumenta posteris reliquit I. tractatum de vero, & legitimo usu Astrolabii. II. opusculum de facili græcam, & latinam linguam addiscendi methodo. III. Orationes Demosthenis, & Isocratis, præter alias quasdam versiones. Sæcul. XVI. A C. 1581.

§. LXXXI.

Primi Parisinæ Curiæ Præsidis oratio ad Regem.

Cum in Blessensibus comitiis, quod Pragmatica Sanctio circa electiones ad beneficia restauranda esset, sermo incidisset, hancque in rem Universitas, & Parisiensis Senatus Regi libellum supplicem esse porrigendum decrevis- *Argentre coll. jud. tom. 2. p. 452.*

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

set(*), hinc primus Præses die vigesima nona Januarii suis sociis declarabat, quod coram Rege adversus concordata inter Leonem X, & Franciscum I. inita palam reclamasset: hic itaque in suo sermone hanc in rem habito præprimis fusius exaggerabat illud jus, quo Parisiensem Senatum semper gavisum fuisse ajebat, ut suas Regi rationes exponere posset, quoties de edictis ad tabulas referendis ageretur, præcipue si Senatus ea minus congrua censeret, porro his dictis ea subjunxit: „pariter Pa„risinæ Curiæ jus competit, vi cujus „ejusmodi edicta ad acta non refert, nisi „Regis mandato adigatur, eique signi„ficetur, quod hæc sit expressa Regis, „non vero Magistratuum voluntas: ast „incassum leges, & edicta conduntur, „si ea non observantur: Deo autem „grates rependendæ sunt, quod tam „pia Majestati vestræ consilia inspirarit „quoad

(*) In Blessensibus comitiis de restauranda, & non abolenda Sanctione Pragmatica actum fuisse testatur Argentreus a Continuatore citatus, his verbis: *Cum in comitiis Blessensibus trium Regni Ordinum aliquid statutum fuisset contra Pragmaticam Sanctionem, Universitas, & Senatus Parisiensis Regi supplicandum esse dixerunt, ne abrogaretur præcipue quoad collationem beneficiorum.*

„quoad ea, quæ nominationem ad Ar- Sæcul. XVI.
„chiepiſcopatus, Epiſcopatus, regni- A.C.1581.
„que Abbatias concernunt: verum mi-
„hi ſpeciatim injunctum eſt, ut demon-
„ſtrem, quod Pariſienſis Curia immoto
„ſtudio Pragmaticam Sanctionem in
„uſum deduxerit, ac concordatorum
„vim enervare ſemper ſtuduerit, eoquod
„ea nonniſi ex ſpecialiſſimo Regis man-
„dato præſente Tremollio a regia ſua
„Majeſtate hunc in finem deputato fuiſ-
„ſent recepta.

§. LXXXII.

Pragmaticæ Sanctionis reſtauratio a Præſide poſtulata.

His prolatis ita hic Præſes proſeque- *Argentre*
batur: „ſemper Pariſienſis Senatus *l. c.*
„poſteris notum fieri deſiderabat, quod
„juxta Senatusconſulta Concordatum
„abrogandi, & pragmaticam ſanctio-
„nem merito a priſcis Franciæ Palla-
„dium appellatam reſtaurandi voluntа-
„tem nunquam dimiſerit, quamdiu
„enim hæc vim ſuam obtinuerat, ſem-
„per Franciæ res proſperitate florebant,
„ea autem abolita, mox cuncta ſus de-
„que vertebantur: aliunde vero per
„præfatam pragmaticam nequaquam
„nominatio ad vacantes regni ſui Præ-
„laturas Regi adimebatur, cum diſertis
„verbis cautum fuiſſet, ut beneficio va-
„cante

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

„cante mox apud Electores Rex insta-
„ret, ut Viros de Rege, ac regno bene
„meritos eligerent, quamvis enim Pa-
„pa magnum favorem nostris Regibus,
„dum eisdem ad regni Prælaturas no-
„minandi facultatem indulserat, se con-
„cessisse persuasum sibi habeat, certum
„tamen constat, quod nostri Reges hoc
„jure omni tempore fruerentur, nam
„id ab universa Ecclesia in Persona Ca-
„roli Magni Franciæ Regis, & augusti-
„simi Cæsaris concessum fuit (*), quia
„hi Desiderium Longobardorum Regem
„expulerunt, & Pontificem suæ Sedi,
„omnibusque suis bonis restituerunt:
„equidem Ludovicus Pius Caroli Magni
„Successor hoc jus abdicasse dicitur: ve-
„rum

(*) Inepte prorsus hic Præses ista in sua oratione retulit, si enim Reges Franciæ jus nominandi, quod eis Papa per concordata indulsit, omni retro tempore a Caroli Magni ætate possederunt, hic Præses inique illos spoliare intenderat per innovationem pragmaticæ: præterea inauditum est, quod aliquis Imperator, vel Rex universalem Ecclesiam repræsentare, atque hoc titulo jus quoddam Ecclesiasticum concedere dicatur: ecce! qualiter terminus a Constantiensi, & Basileensi Concilio recens adjuventus a Synodo universali etiam ad profanos Principes extenditur.

„rum hæc cessio duntaxat ad tempus „valuit, cum hoc jus perpetuo acqui„situm sit, atque a Franciæ corona re„vocari nequeat, aliunde autem nostri „Reges haud aliud medium præter „Pragmaticam in promptu habeant, vi „cujus sese adversus Pontificum poten„tiam tueri possent, si hi Gallicanæ „Ecclesiæ jura labefactare aggrederen„tur.„ Hæc quidem iste Præses exposuerat, verum ejusdem rationes nil nisi ventum verberabant. Sæcul.XVI. A.C.1581.

§. LXXXIII.

De excutiendo Hispaniæ Regis imperio a fœderatis Belgii Ordinibus actum.

Interea Philippi II. Regis Hispaniæ res in Belgio minus prospere fluebant, quippe fœderati Ordines die vigesima sexta Julii Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo conventu Hagæ Comitis habito sanxerunt, ut id, quod in Antverpiensi colloquio, anno priori celebrato decretum fuisset, promulgaretur; tum enim statuebant, quod Philippo haud ultra obtemperare vellent, insuper declarabant, quod is jure suo, ac Belgii Principatu excidisset, ejusque subditi a jurata fide liberi essent, idque ob Hispanorum crudelitates, & violatam fidem Flandris promissam: *Strad. l. 4. Thu. l. 74.*

ne

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

ne vero Provinciæ ſuo carerent Principe, Andegavenſem Ducem, qui interea provincialibus comitiis præerat, eligere (*) decernebatur: inſuper ſtatuebatur, ut in Hollandia, & Zelandia publica diplomata ſub Orangii Principis nomine expedirentur, ac Magiſtratus, Rectoresque novo Sacramento coram Ordinum Deputatis ſeſe obſtringerent: huic ergo deciſioni edictum ſat congruum concipiebatur latino, Gallico, & Belgico idiomate promulgatum: cum autem hujus edicti promulgatio innoteſceret, continuo Regis imagines ubique locorum ſublatæ ſunt, dejecta ejus inſignia, eraſæ ubique nomina, ac honorificæ inſcriptiones, fractique ſignatorii annuli: ad hæc cautum, nequid Philippi Regis nomine in poſterum obſignaretur: præterea mandatum

(*) His nempe adminiculis Calviniſtarum ſectam propagare oportuit; nihil enim hæreſi magis commune, ac familiare eſt, quam ut ejus Aſſeclæ ſub conſcientiæ libertatis obtentu arma in ipſos ſuos Principes ſumant, ſeditiones concitent, ſuosque Reges propria auctoritate regnis exuant, ac demum per haſce vias Religionem Catholicam eliminent, in Orthodoxos impune ſæviant, ſuamque ſectam, uti olim Mahomet, ferro, flamma, atque armorum vi diffundant.

datum est Præfectis monetalibus, ne aurum, argentum, aut æs cum regiis insignibus, aut nominibus ferirent: insuper præcipiebatur locorum Gubernatoribus, Magistratibus, ac militiæ Ducibus, ut ejurato Hispani Regis obsequio, novum Sacramentum in verba Ordinum fœderati Belgii, usque dum Princeps Alenconius adveniret, præstarent: permissum tamen interim Hollandis, Zelandisque, ut in Orangii, ac provinciarum nomina jurarent: præceptum denique est omnibus, ut illi qui forensia, aut urbana munia a Rege impetrassent, diplomatibus allatis, rescissisque, alia ab Ordinibus eorundem munerum diplomata postularent: en! hoc editum erat fundamentalis lapis Reipublicæ Hollandicæ. Sæcul. XVI. A.C.1581.

Hac rebellione hæretici opportune utebantur; nam vix ejurato Regis sui imperio confestim innumeris sacrilegiis, ac crudelitatibus in plures Ecclesias Antverpiæ, Bruxellis, & alibi desævire cœperant, quippe per eos dies sacræ imagines aut dejectæ, laceratæque, aut ob artis præstantiam, e cultu in templis ad profana domorum ornamenta translatæ: Sacerdotibus sacrosanctæ Hostiæ immolatio interdicta, ipsique Sacerdotes urbibus ejecti, demum vetus Catholicæ Religionis cultus, Majorum

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

jorum ſacra, priſcique Eccleſiæ ritus paſſim abrogati, inde vero alia Belgio facies ipſi non agnoſcenda Belgio, dein certe deploranda inducta eſt, clauſisque Eccleſiis, ac Monaſteriis omnes Catholici conſcientiæ libertate privabantur. (*)

§. LXXXIV.

Continuata ſævitia in Anglia contra Catholicos.

Thuan. l. 74. Sacchini hiſt. Societ. p. 5. l. 1. fol. 34.

Interea in Catholicos, præcipue in Sacerdotes, & Monachos pariter in Anglia continuato furore ſæviebatur, quippe Eliſabetha, ne Papa in eam legum ſeveritate ageret, ſemper verita, quotquot in Regno ſuo Catholicos eſſe compererat, tot quoque Curiæ Romanæ emiſſarios imo, & conjuratos eſſe arbitrabatur: quocirca inſana hac ſuſpicione agitata clam Romam, Rhemos, aliasque in urbes exploratores emittebat, qui Religionis cauſſa ſeſe ex Anglia profugiſſe mentiebantur, & quandam cum ſuis popularibus Catholicis amicitiam ſimulabant, qua fraude eorum conſilia, atque arcana dextre dete-

(*) Perinde ac ſi ea duntaxat Novatoribus concedenda foret, vel duntaxat mentium Rex Deus ſit, quando agitur, de amplectenda hæreſi.

detegebant, hacque de re Reginam certiorem reddebant, quæ non raro exinde ea inferebat, quæ tamen plurimum a veritate aberrabant, insuper in omnes Catholicos, qui in suo regno eidem designabantur, inquiri, repertosque in vincula conjici jussit, adeo, ut eorum plures carcerum squallore confecti inter hasce calamitates vitam misere finire cogerentur: cumque inter alios eidem referretur, quod Edmundus Campianus, Rudolphus Skerwinus, & Alexander Briantius omnes Jesuitæ clam in ejus regno Catholicæ Religionis præcepta traderent, solo eo capite in eos omni severitate furere constituit, ac propterea Campianum comprehendi, ac Londinensi turri includi præcepit, opera utens cujusdam proditoris nomine Georgii Elioti, qui hunc in cujusdam Catholici Nobilis ædibus diversari manifestabat: ubi mox etiam ejusdem Campiani sodales capti in variis carceribus detinebantur, falso accusati, quod in Reginæ vitam insidias struere moliti sint, atque ejusdem subditos auro corrumpere attentarint, ut eos a fide Reginæ debita averterent, illamque suo sceptro privare possent: porro ad firmandam hanc calumniam etiam Georgium Eliotum, aliosque testes sollicitarunt, qui contra hosce tres Jesuitas de- Sæcul. XVI. A.C.n. 581.

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

ponerent, quod quinquaginta Viros ad sua studia pertraxerint, eo fine, ut arma sub vestibus occultantes in Reginam, Liceſtriæ Comitem, Cecillum, & Walsingamum irruerent, illosque eo tempore trucidarent, quo Regina quasdam Regni sui Provincias lustratura esset, perpetrato autem crimine ex illis præcipuus, cujus tamen nomen non exponebant, quantocius exclamet: *Vivat Maria Regina.* His mendaciis calumniatores isti addebant, horum molimina Romæ, ac Rhemis fuisse procusa. Falsis hisce delationibus freti Judices turrim accesserunt, seorsim Campianum interrogantes.

Verum hic Jesuita captiosis eorum quæstionibus, minisque nihil territus cuncta falsa hæc crimina sibi impacta constanter pernegabat, affirmans, quod pro Reginæ salute, ejusque conservatione semper ad Deum preces fuderit, easque continuo prosequi paratus sit: cum vero Carolus Howardus tum præsens ex eo sciscitaretur, de quanam Regina id intelligeret, an de Elisabetha, vel de alia Regina, Campianus reposuit, de Elisabetha vestra, & mea Regina: nihilominus insuperhabito hoc innocentiæ suæ argumento, postquam omnes præsentes ad amplectendam fidem Catholicam hortatus fuerat, laqueo

queo ſuffocatus, ejusque caput a ſuo cadavere abſciſſum, corpus vero in quatuor partes diſſectum eſt, qua etiam ſupplicii immanitate ambo ejus Socii e medio ſublati fuere. Sæcul XVI. A.C. 81.

Ceterum Campianus plura elucubrabat opuſcula, inter quæ præcipue erant univerſale Chronicon, & brevis tractatus de comprobanda veritate fidei Orthodoxæ ad Angliæ Univerſitates directus. Interea adeo inſolens, frequensque adverſus Catholicos Sacerdotes calumniandi libido in Anglia paſſim graſſabatur, ut malevoli illos etiam accuſare non horrerent, quod in Eliſabethæ vitam inſidias ſtruere, eidemque Scotiæ Roginam ſubrogandi ſtudio conſpirationem conflare molirentur: inſuper alii eo etiam temeritatis prolapſi ſunt, ut in vulgus ſpargere non erubeſcerent, quod Catholici Presbyteri in Angliam venerint facultate Apoſtolica inſtructi, vi cujus quemlibet ſeorſim ſolvere poſſent ab eo juramento, a quo jamjam generatim Univerſa Natio per Pii V. Bullam ſoluta declarabatur: porro harum accuſationum falſitas, horumque Sacerdotum innocentia plurimis apologiis ubique divulgatis comprobata reddebatur, ac præcipue Guilielmus Alanus Lancaſtrienſis, qui ſexto poſt anno Cardinalium Collegio adſcriptus erat,

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

ad vindicandum Catholicorum popularium ſuorum honorem calamum ſuum exercebat; hic enim tum Rhemenſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicus iſtorum innocentiam manifeſte demonſtrans, cunctas rationes, propter quas Romæ, ac Rhemis Angli Sacerdotes morati fuerint, exponebat, ſimulque demonſtratum ibat, quod ſuos Fratres pariter ab Eccleſiæ unione avulſos revocare intendant, nec ullo pacto Regni tranquillitatem perturbare cogitent.

§. LXXXV.

Moſcoviæ Ducis Orator ad Gregorium XIII. Papam.

Victorel. in ad Ciac. t. 4. pag 10. Raynold. Heindſtein de bello Moſcov. Thuan. l. 73

Interea ob Livoniam, quam Poloniæ regno obnoxiam Joannes Baſilowitzius magnus Moſcoviæ Dux uſurpaverat, ferme per integros duos annos inter hunc Principem, & Stephanum Battorium Poloniæ Regem bellum exarſerat; quamvis enim Joannes iterato prælio cæſus jam plurimas urbes amiſiſſet, atque exinde a Polonis ad incitas redigeretur, nihilominus a Papa, & Cæſare opem efflagitans utrique ſpondebat, ſe bellum in Turcas moturum, dummodo Poloniæ Rex inita pace ſuas vires jungere vellet: hanc in rem idem Moſcoviæ Dux Legatum ad Gregorium XIII. decernebat, qui perbenigne exceptus

ceptus ſcriptotenus Ducis ſui nomine ingens cum Papa, ceterisque Principibus Chriſtianis ſocietatem ineundi deſiderium exponebat, ſupplicans, ut Gregorius ad placandum Poloniæ Regem ſuam operam impendere vellet, quatenus hac ratione unaomnes junctis viribus adverſus communem Religionis Chriſtianæ hoſtem arma ſua convertere poſſent: inſuper petebat, ut Sanctitatis ſuæ nomine quidam Legatum ſuum in Moſcoviam revertentem comitaretur. Ceterum quamvis unica hujus Legationis cauſſa eſſet timor, quo Moſcoviæ Dux Polonorum potentiam verebatur, adeo, ut Religio nonniſi obtentum ſuppeditaret, nihilominus Pontifex ſuarum partium eſſe arbitrabatur, ut ad reconciliandos Principes Chriſtianos omnem ſuam impenderet operam, nihilque eorum prætermitteret, quæ ad Religionem Catholicam in hiſce Regionibus firmandam conferre poſſent. Sæcul. XVI. A. C. 1581.

§. LXXXVI.

Poſſevinus Jeſuita Papæ Legatus in Moſcoviam, & Sueciam miſſus.

Ea ex cauſſa ſummus Pontifex ex ſententia Farneſii, Madrutii, Comenſis, & Commendoni Cardinalium Antonium Poſſevinum Jeſuitam nominabat, qui hunc Moſcoviæ Legatum comita- *Thuan. l. c. Spond. hoc ann. n. 1. Vie de Poſſev. par le P. Dorignus.*

Sæcul XVI A C. 1581

mitaretur. Hic idem Jesuita patria Mantuanus anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Societatem ingressus, sua eruditione semper inclarescebat, atque eximia peregrinorum idiomatum peritia, facilique earum usu celebris inter Divini Verbi Præcones eminebat, atque ad Principes Christianos jam sæpius ablegatus in maximi momenti negotiis utiliter suam navabat operam, præcipue vero digne obibat Legationem suam ad Sueciæ Regem Joannem III. Gustavi I. Filium, & Erici XIV. Fratrem, qui quamvis secta Lutheranus esset, cum tamen Catholicam fidem in suo regno restaurare vellet, Laurentii Nicolai Jesuitæ ministerio utebatur, hinc eum anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Stockolmiæ Collegii Rectorem nominans, eodem tempore novam divulgabat Liturgiam a semetipso compositam, eo fine, ut sensim Lutheranæ sectæ abominationes aboleret: præterea per Pontum de Gardia a summo Pontifice plura efflagitabat, inter quæ erant ea, quæ sequuntur. I. Laici in bonorum Ecclesiasticorum possessione non turbentur. II. Episcopis, & Sacerdotibus uxores, quas jamjam duxerant, relinquentur, ea tamen lege, ut imposterum initiandi ad continentiæ votum adstrin-

adstringerentur. III. Laicis communio sub utraque specie permittatur. IV. Officium Divinum in idiomate patria in omnibus Ecclesiis persolvatur. V. Denique quidam Vir idoneus submittatur, qui revocandæ Religioni insudaret, ac Sueciæ Regnum ad Sedis Apostolicæ obsequium reduceret. Igitur Possevinus anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo ad Joannem Regem ablegatur, qui hunc Principem ad Lutheri hæresin clam ejurandam inducebat, ac demum Romam revertebatur, hoc autem anno, priusquam in Moscoviam pergeret, rursus in Sueciam contendit unacum literis, quas summus Pontifex, Cæsar, Poloniæ Rex, Bavariæ Dux, pluresque alii Principes Catholici ad Joannem Regem perscribebant, suam eidem abjurationem gratulantes: verum Possevinus experiri cogebatur, quod hic Princeps ad importunas preces Caroli Sudermanniæ Ducis Fratris sui, necnon Regni Procerum, pluriumque aliorum Protestantium Germaniæ Principum sollicitationes rursus Lutheri erroribus nomen dederit: quinimo hic idem Rex Possevino exprobrabat, quod Pontifex postulatorum, quæ ipse ad promovendam Suecorum conversionem exposuisset, exiguam rationem habue- Sæcul.XVI. A.C.1581.

Sæcul. XVI A. C. 1581.

rit: attamen exinde Possevinus facile colligebat, quod hujus Regis animum haud flectere posset: quamvis enim interius Religioni Catholicæ admodum propensus esset, nihilominus suis subditis complacendi studio abreptus Patrem Nicolaum Possevini Socium e regno expulit, atque hæreticos revocavit: quapropter Possevinus relicta Suecia in Moscoviam perexit, ut demandato sibi munere apud Joannem Basilowitzium fungeretur.

§. LXXXVII.

Pacis fœdus inter Poloniæ Regem, & Moscoviæ Ducem.

Thuan. l. 73. Spond. n. 2.

Interea Poloniæ Rex jam tertia expeditione Livoniam, & Russiam infestis armis invadebat, pluresque urbes suo subjiciebat imperio: tum autem Possevinus sua sollicitudine, literis, crebrisque itineribus tantum profecerat, ut ambo Principes ad eundem locum, ubi Possevinus agebat, suos Oratores ablegarent, ac die decima tertia Decembris pacis colloquia inchoarentur, quibus usque ad decimam quintam Januarii diem protractis induciæ ad decennium sancitæ, ac jurejurando firmatæ fuerunt, easque Possevinus summi Pontificis nomine ratas habebat, adjecta conditione, ut Moscoviæ Dux Poloniæ Regi

Regi, quæ in Livonia poſſidebat, cederet, Rex vero viciſſim Moſcoviæ Duci omnes arces hucusque occupatas reſtitueret, excepta Voelſia. Verum in hoc fœdere non comprehendebatur Joannes Sueciæ Rex, eoquod ſuos Oratores non ablegaſſet, eo fine, ut quasdam Livoniæ, & Ruſſiæ urbes occupandi obtentum nanciſceretur, ex qua tamen uſurpatione poſtea novi tumultus oriebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1581.

§. LXXXVIII.

Papa Moſcovitarum unioni intentus.

Poſſevinus ut haſce inducias adhuc firmiores redderet, præprimis Moſcoviæ Ducem, ac poſtea Poloniæ Regem convenit, ubi mox ambo hi Principes ad ſummum Pontificem ſuos ablegabant Oratores, qui ob pacem tam paterna ſollicitudine procuratam grates eidem rependerent: viciſſim vero Papa ad utrumque Principem officioſas dabat literas, atque in epiſtola ad Magnum Moſcoviæ Ducem ſcripta eundem hortabatur, quatenus Romanæ Eccleſiæ fidem in Florentina Synodo explanatam amplecteretur, porro hanc in rem Papa præfati Concilii exemplar a Græcis ſubſcriptum transmittens plurima adjunxit dona pro Anaſtaſia Magni Ducis uxore, quam etiam rogabat, *Vitloreli l. c. pag. 11. Poſſev. in ſua relat.*

Sæcul. XVI A. C. 1581.

ut Maritum ad deteſtandum Græcorum ſchisma induceret; eapropter Poſſevinus quoque ſæpe poſt pactas inducias cum Metropolita egit, Græcorumque errores confutavit in tribus diſputationibus publicis, quarum acta poſtea fuere typis edita unacum deſcriptione de Statu Moſcovitarum, eorum moribus, Religione, & mediis, quibus ea gens ad veram Religionem revocari poſſet.

§. LXXXIX.

Supremi Melitenſium Magiſtri diſſidia cum ſui Ordinis Equitibus.

Nec minori prudentia, ac Zelo ſummus Pontifex illud componebat diſſidium, quo ſupremus Melitenſis Ordinis Magiſter cum quibusdam Equitibus, ac nonnullis Commendatoribus collidebatur: porro ex iſtis princeps erat Muthurinus Scutus vulgo Romegaſſius dictus, ſupremi autem Magiſterii dignitate tum Joannes Epiſcopus Caſſerius genere Avernus fungebatur, qui antea ſupremus Avernæ Nationis Mareſcallus erat, atque Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Petro Montano, ſeu de Montibus primo Capuano Priori ſucceſſerat: verum circa annum Chriſti milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum octavum octo Equites Hiſpani de ſupremo Magi-

Magiſtro querebantur, cauſſati, ſibi, totique Nationi injuriam fuiſſe illatam, eoquod Caſtellanum, & Legionenſem Prioratum, necnon Loranum prædium per Papam, atque Hiſpaniæ Regem Wenceslao Archiduci tradi conſenſiſſet: aſt hi Equites ſupremo Magiſtro deprecari, ſuæque audaciæ veniam petere compellebantur, quamvis hæc ipſa ſubmiſſio nonniſi majoris odii ſomes exſtitiſſet, quippe Gargallus Melitenſis Epiſcopus novum jus ſibi arrogans ex jurisdictione ordinaria Noſocomium majoris Urbis luſtrare aggrediebatur, reluctantibus illius Adminiſtris, qui præter ſupremi Magiſtri, ſuique Senatus auctoritatem nulli alteri ſeſe ſubjectos eſſe reputabant, quapropter ab Epiſcopo anathemate perculſi patrocinium Romani Pontificis implorabant, qui etiam hujus rei cognitionem Panormitano Archiepiſcopo committebat: verum hic Præſul Melitam perveniens, Equitum animos tantopere exacerbatos repererat, ut hujus negotii diſcuſſionem ad ſacram Sedem devolveret, ipſe vero Epiſcopus ſuam agendi rationem vindicaturus Romam contendit. Sæcul. XVI. A.C. 1581.

§. XC.

Senatus in ſupremum Magiſtrum exurgens.

Inter-

Sæcul. XVI. A C. 1581.

Interea illorum, qui ſupremo Magiſtro adverſabantur, numero indies aucto illum cuſtodiæ dandum decernebatur, ſimulque tres alii ob cujusdam criminis ſuſpicionem in vincula fuere conjecti, cum tamen hi culpam in plures Equites, atque ipſos Commendatores, præcipue vero in Petruccium Melitenſem Inquiſitorem rejicerent, ex tribus Nationibus Itala, Arragonenſi, & Caſtellana nonnulli Equites impetu facto Senatum ingrediebantur, nullaque dignitatis ſuæ habita ratione in ſupremum Magiſtrum inſurgentes eundem provocabant, ut tandem, quo argumento ejus vitæ inſidias fuiſſe ſtructas comprobare poſſet, declararet: tum equidem ad acerbiora non erat deventum: verum anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo ipſe Senatus plurimorum Equitum auctoritate fretus contra Magiſtrum ſeditionem conflans adverſus eum hæc accuſationum capita produxerat. I. Variæ Nationis Equitibus inhibuit, ne in favorem ſuæ Nationis, ſuorumque Principum, quorum imperio ſubditi ſunt, ſuffragia ferrent. II. Accuſabatur, quod edicto publico tam ex Vico, quam ex Valettana civitate puellas, ac proſtitutæ pudicitiæ fœminas ejecerit, easque ex Inſula emigrare, vel ſaltem in pagos

Vertot. l. c. Spond. hoc ann. n. 14.

pagos remotiores ſecedere juſſerit. At- Sæcul. XVI, A.C.1581.
tamen frivolæ hæ accuſationes ortum trahebant ex ambitione quorumdam Commendatorum, qui ſupremum Magiſtrum, licet octogenarium, robuſta valetudine pollere ægre ferentes, eundem a ſumma dignitate deturbare nitebantur, ut ipſi ejus locum occupare valerent, quapropter ſtudioſe divulgabant, quod Magiſter ingenio hebes rei adminiſtrandæ haud ultra idoneus eſſet.

Inſuper nonnulli Equites patria Caſtellani, Luſitani, Arragonenſes, Germani, & Galli Romegaſio ductore ineunte Menſe Julio adverſus eundem Magiſtrum ſuas querelas deferebant, eique vitio dabant, quod nimio ſenio confectus Ordinis negotia negligenter procuraret, magisque mulierum Melitenſium moribus intenderet, quam Turcarum, ac Pyratarum ex Barbaria excurrentium inſultibus invigilaret, inſuper eum arguebant, quod horrea neceſſario apparatu deſtituta relinqueret, ſemperque durante Senatu indormiens nonniſi ad vexandos ſuos Religioſos vigil eſſe videretur. His accuſationibus freti ad illum quosdam ablegabant, qui eundem monerent, ut ſpectata virium ſuarum imbecillitate quemdam Vicarium ſibi ſeligeret: ſi autem id abnueret, minitabantur, quod Sena-

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

Senatus habito consilio Romegasium qui Tolosæ, & Hyberniæ Prior erat, in supremum Ordinis Legatum creaturus esset. Præterea summus Magister quatuor alios, eosque potentissimos hostes numerabat, quorum primus erat Cressinus Eccleſienſis Prior præ ceteris omnibus vehementissimus, II. Riwaltus Prætor per Montani electionem supremo Magisterio frustratus, III. Duerus Vicarius, IV. Maillus Sacquenvilla Commendator, qui a Romegasio ad dignitates evectus secretorum illius arbiter erat. Hi quatuor conjurationis Duces ex Senatus decreto supremum Magistrum comprehendunt, eumque tanquam reum ad arcem sancti Angeli deducunt, ut ibi captus detineretur: verum hi rebelles, cum vererentur, ne Papa utpote totius Ordinis Superior, in hoc scelus inquireret, atque eorum temeritatem detestaretur, Romam tres ablegabant Oratores.

§. XCI.

Nuntius a Papa Melitam hac in causſa decretus.

Thu. l. c. Vertot. t. 4.

Nihilominus supremus Magister, quamvis arcte incluſus, quadam tamen temporis opportunitate usus Romam quatuor Equites sibi addictos ablegabat, qui summo Pontifici exponerent, quod

Sæcul. XVI. A.C.1581.

quod ſpe fretus viveret, ſe a ſummo Pontifice utpote ſupremo Ordinis Capite adverſus ſuorum Fratrum rebellionem eſſe protegendum, cum absque ulla cauſſa, & ſine ulla legitima auctoritate ab illis ſua dignitate ſpoliatus, & cuſtodiæ datus fuiſſet: poſtquam igitur utriusque partis Deputati Romam venerant, hi, qui Magiſtro adverſabantur, Pontifici exponebant, quod Magiſter gravi Senio preſſus, cunctisque viribus exhauſtus adminiſtrandæ Reipublicæ omnino incapax eſſet: verum Papa horum relationi nequaquam fidem adſtruens quantocius Caſparum Vicecomitem Rotæ Auditorem tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum Melitam decernebat, dato negotio, ut Pontificis nomine tam Magiſtro, quam Romegaſio denuntiaret, quatenus ambo nulla mora Romam venirent, ibidem cauſſam ſuam coram ſacra Sede defenſuri: interea vero Vicecomes unacum Senatu ex ſaniori, ac ſeniori parte conflato Ordini præeſſet. Legatus hic Melitam delatus omnium Equitum comitia indixit, in quibus Papæ mandata exponebat: interea vero quidam Eques Franciæ Regis nomine pariter Melitam venit, qui ſupremo Magiſtro ſignificaret, quod Galliarum Rex indignam agendi rationem, quam a ſuis Religioſis

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

sis sufferre coactus fuit, iniquo prorsus animo ferret, fidemque faceret, se ad compescendos hosce rebelles omnes vires suas impensurum.

§. XCII.

Supremus Magister Romam delatus, atque a Pontifice perbenigne exceptus.

Thuan. & Spond. l. c.

Supremus Magister æque, ac Romegasius ejusdem delator Melita discedunt, Magistrum vero plusquam trecenti Equites comitabantur, eumque Romam usque deducebant, ubi die vigesima sexta Octobris adventans, triumphatoris more a Cardinalibus, Principibus, & Oratoribus excipiebatur, atque ex illis plures eidem etiam obviam procedebant: postea autem Magister ad palatium Atestini Cardinalis, qui Gallorum Protector erat, divertens ab eodem Purpurato ad Pontificis alloquium deducebatur, quem etiam idem Papa unacum decem Cardinalibus præstolabatur, eumque insolitis benevolentiæ, amorisque signis excipiens illius sortem condolebat, atque eum solabatur: mox vero Magister Pontificis pedes deosculatus, repensis gratiis pro vindicanda sua innocentia his verbis coram Papa perorabat: „Habeo im„mensas omnipotenti Deo gratias, quod „mihi

„mihi, antequam vivis excederem, in „ea ætate, in qua beatiſſimorum Apo- „ſtolorum limina adeundi nulla ſpes e- „rat, huc incolumi veniſſe contigerit, „quamvis id, quod tanquam reus „comparere cogar, animum meum an- „gat: aſt nemo reus eſt, niſi qui ſibi „male conſcius judicum conſpectum re- „formidat: ut autem ad te venirem, „ſtatim ab illo tempore, ex quo inſidiis „meorum petitus ſum, optavi, & petii, „& accepto mandato nulla mora inter- „jecta, neque valetudinis infirmæ ha- „bita ratione, me in viam dedi, inno- „centiæ meæ lauream laturus: porro „jam loquor ad te ſanctiſſime Pater, & „ad homines, non crimina purgaturus, „nam ut miles, ac eques inculpate vixi, & „omnibus honoratiſſimæ toto Chriſtia- „no orbe militiæ gradibus, ac muneri- „bus cum aliqua virtutis, & integri- „tatis laude decurſis tandem merui, ut „non prenſationibus, ſed legitimis ſuf- „fragiis in ordinis Principem electus „ſim: hinc quomodo id, quod puero, „adoleſcenti, & viro jam inclinata æ- „tate minime improperatum eſt, jam „mihi octogenario, & propediem vitæ „rationem reddituro ſeni juſte imputari „poſſit, tuæ prudentiæ, & æquitatis „erit conſiderare: ſic eſt, beatiſſime Pa- „ter, vita mea longa pro crimine eſt, Sæcul. XVI. A.C. 1581.

Sæcul. XVI. A.C. 1581.

„quæ mihi ipsi fortasse molesta spes „eorum, qui me accusant, nimis avi„das remoratur, hinc factione, non „criminibus obruor, quippe in hos ca„nos vix eorum suspicio cadit: Magi„strum, non me petunt adversarii, & „quidem scelerate petunt, dum festi„nato ordine ad illum pervenire cu„piunt: dum vero id conantur, etiam „hoc faciunt, ut nationem Gallicam „semper bene concordem factionibus „divellant, & per discordias imminen„tibus Turcis viam non solum ad in„sulam invadendam, sed Italiam pro„ximam vastandam aperiant: porro „hæc apud supremum æquitatis tribu„nal pro me dixisse satis est: ad tuam „autem prudentiam pertinet, concor„diam in nostro ordine sarcire, & pub„licam securitatem, quæ in meo pe„riculo vertitur, contra pernicioſas „factioſorum conjurationes asserere, „meamque injuriam cum tua ipsius, & „Christiani orbis salute conjunctam „digna pastorali fastigio securitate vin„dicare, interim hunc ex mea calami„tate fructum capio, quod optatissimo „conspectu tuo, quod alloquio, ac gra„tia præter spem frui liceat, ut mihi „mors amplius molesta esse non possit, „quando animam veluti in sinu tuo de„ponere dabitur, ubi cum Simeone „sene

„Sene exclamabo: *Nunc dimitte Domi-* Sæcul. XVI.
„*ne ſervum tuum in pace.* A C. 1581.

§. XCIII.

Romegaſii obitus, ac Magiſtri hoſtes ad ejus obſequium revertentes.

Abſoluto hoc ſermone ſummus Ponti- *Vertot. &*
fex ad Magiſtrum converſus, quod *Thu. l. 74.*
de ejus adventu ſummam concepiſſet lætitiam, eidem teſtabatur, eumque bono animo eſſe jubebat, ac demum honorifico in loco quatuor Cardinalibus huic colloquio præſentibus proximum ſedere voluit: inde vero poſt varios, & familiares de itinere ſuo ſermones Magiſter dimiſſus, & in hoſpitium eadem pompa ad Eſtenſis Cardinalis ædes reductus eſt: porro Romegaſius, qui paulo ante Romam venerat, nec-dum Pontificem alloquendi copiam nanciſci poterat, cum autem audiri vehementius rogaret, Pontifex eidem ſignificari juſſit, quod illum ad alloquium non admiſſurus eſſet, niſi prius debita demiſſione ſua obſequia ſupremo Magiſtro detuliſſet, ac Vicarii Officium dimiſiſſet: verum hic inde animi ægritudine corripiebatur, adeo, ut deliquio oppreſſus ingraveſcente febre paucis poſt diebus quarta Novembris vitam cum morte mutaret, honorifica pompa in Nationis Gallicæ Templo Sanctiſſimæ Trini-

Sæcul. XVI A.C. 1581.

tatis ſepultus. Funeſto hoc eventu territi ejus ſocii ſeſe ſupremo Magiſtro ſubjecerunt, ac unacum ceteris Sacquenvilla Commendator eundem accedebat, & genuflexus Principis ſui dexteram deoſculabatur, cui tamen Montaltus Cardinalis inquiebat: „rebellis Eques, „niſi digniſſimi Magiſtri tui clementia „obſtitiſſet, jam ante plures dies in Na„vonnæ foro capite plexus fuiſſes.„

§. XCIV.

Supremus Melitenſium Magiſter Romæ mortuus.

Thuan. & Spond. l. c.

Poſtea Melitæ unaomnes in Magiſtri obſequium redibant, Pontifex vero eundem priſtinæ ſuæ dignitati reſtituens præceperat, ut nulla mora Melitam reverteretur, ſui Magiſterii munia obiturus: aſt Deo aliter diſponente præclarus hic Vir die vigeſima tertia Decembris, Romæ nonniſi tertio menſe moratus, mortalitatem exuit, atque a Marco Mureto celebri Oratore Gallo funebri oratione, atque inſcriptione honoratus eſt: corpus autem ejus inſigni funeris apparatu in S. Ludovici Eccleſia Nationis Gallicanæ deponebatur, poſtea Melitam deducendum ad mauſolæum Magiſtrorum. Equidem Mayolanus Antiſtes, qui rebus ita agitatis Romæ agebat, veluti eventum prorſus ſingula-

rem

rem enarrat, quod accuſator, accuſatus, judices, & teſtes ante hujus cauſſæ ſententiam obierint, nullaque hujus judicii acta amplius exſtent; teſte enim hoc Scriptore Romegaſius Romam delatus animi mœrore contabuit, ſupremus vero Magiſter ſex ſeptimanis, paucisque diebus eidem vita ſuperſtes fuit, teſtes vero Romam profecti unacum omnibus inchoatæ hujus cauſſæ actis naufragio periere, luculento indictio, quod ipſemet Deus hujus litis deciſionem ad ſuum tribunal evocare voluerit: attamen econtra Paulus Foxius Toloſanus Archiepiſcopus, ac Romæ Galliarum Regis Orator teſtatur, quod ſummus Pontifex, poſtquam Vicecomes hæc acta ad eundem detulerat, ea quatuor Cardinalibus, & Patriarchæ Jeroſolymitano examinanda tradiderit, atque hi ſupremum Magiſtrum prorſus innocentem eſſe declararint, adeo, ut propterea a ſummo Pontifice eorum judicium Menſe Septembri confirmatum fuerit, edito diplomate, quo hujus negotii cognitio circa ſupremum Melitenſis Ordinis Magiſtrum ſoli ſummo Pontifici, excluſis Equitibus, reſervaretur.

Sæcul. XVI. A. C. 1581.

§. XCV.

Tres Equites a Papa nominati ad Magiſterium eligendi.

Sæcul. XVI A. C. 1581.

Post supremi Magistri obitum Ordinis Equites verebantur, ne summus Pontifex utpote supremus hujus Religionis Superior Successorem nominare vellet, hinc celebrem Legationem anno sequenti ad Gregorium XIII. decernebant, supplices, ne Ordinem electionis jure privare vellet: equidem Papa nullum certum responsum Legatis dabat, eos tamen dimittens pollicitus est, quod brevi sinceri sui affectus specimina deprehensuri essent: nec promissis fides defuit; quippe die duodecima Januarii convocato cœtu Vicecomes Nuntius Apostolicus diploma exhibuit, vi cujus Papa tres nominabat Equites, data plena libertate unum, quemcunque vellent, ex his eligendi: porro hi tres erant sequentes, primo Hugo Lupus Verdala Vasconicæ nationis Eques, supremus Commendator, alter Panissus supremus Santægidii Vicarius, ac tertius Chabrillantius summus Manuascæ Prætor, ex quibus Verdalla summo Pontifici percarus magno omnium consensu in Ordinis Magistrum eligebatur, qui sexto post anno a Sixto V. in Cardinalium Collegium cooptatus cum summa prudentia, ac moderatione Ordini præfuit.

INDEX

INDEX
TOMI XLIX.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

Alanus Guilielmus Anglus Catholicorum innocentiam vindicat. 659.

Alanus Presbyter Hybernus Jacobum Fizmoris ad Papam introducit, 503. occiditur. 505.

Albertus Auſtriæ Archidux Cardinalis creatur, 422. relicta purpura uxorem ducit, 422.

Alciatus Franciſcus Mediolanenſis Cardinalis, vitæ hiſtoria, ejus munia & obitus. 627.

Aldegundus Philippus Marnixius Calviniſta Bajum ad diſputandum provocat, 495. 589.

Aldobrandinus Joannes Cardinalis: ejus vita & obitus. 191.

Alenſonius Dux ab aula profugit, 289. ſuam ad Proteſtantes fugam apud Papam excuſare nititur, 289. hæreticis in Belgio rebellibus auxilia promittit. 448.

Alexander Farneſius Parmenſis Dux auxiliares copias contra Belgas ſubmittit, 447. Joanni Auſtriaco in Belgici exercitus imperio ſuccedit. 463.

Alvareſius Mediolanenſis Gubernator ſanctum Carolum Borromæum divexat. 203.

Anſtellodamum ſe Oranio Principi ſubmittit, 447 hæretici ibidem crudeliter deſæviunt. 448.

Anabaptiſtæ: eorum Regnum per Joannem Ruremundanum redintegratur, 614. capitur, 615. lento igne toſtus perit. 615.

Andreas Ferdinandi Auſtriæ Archiducis Filius creatur Cardinalis. 383.

Anglerius Nicolaus Briocenſis Epiſcopus pro Clero perorat, 535. ejus petitio a Rege eluditur. 538.

Anglia: ibidem Catholici dire a Regina vexantur, 419. Catholici Sacerdotes eo appellunt, 609. dire vexantur. 656.

Anjou, ſeu

Andegavenſis Dux Regi perſuadet, ut ſe cædis patratæ cauſſam extitiſſe fateatur, 55. de eo in Poloniæ Regem eligendo agitur, 76. 145. eligitur Rex Poloniæ, 165. Polonorum Legatos excipit, 168. eos alloquitur, 170. Religionem tueri rogatur, 172. juramentum præſtat, 175. Pariſios venit, 177. in Poloniam diſcedit, 179. advenit, 208. ejus inaugurationi obſiſtitur, 210. vide Henricus III.

Andegavenſis Dux Henrici III. Regis Frater, ejus obitus. 151.

Antonius Cratenſis Prior ad Luſitanum diadema aſpirat, 445. in Regem proclamatur, 597. fruſtra Regnum vindicare molitur, 605. profligatur. 006. 607.

Anto-

Antonianus Sylvius poſtea Cardinalis pro Nobilium inſtitutione regulas conſcribere jubetur. 263.
Antverpia: Calviniſtæ ibidem Catholicos invadunt, 511. Sacerdotes indigne habent. 512.
Aquaviva Cardinalis Arragonenſis: ejus vita & obitus. 239.
Aretius Paulus Cardinalis moritur. 423.
Aretius Benedictus Calviniſta: ejus interitus & opera. 249.
Avenionenſis Comitatus, ibidem bellum Catholicos inter & hæreticos exoritur, 475. pacis articuli ſanciuntur. 475.
Bajus a Lovanienſi Facultate damnatur, 123. ejus errores denuo proſcribuntur, 127. Decanus creatur, 493. quasdam erroneas propoſitiones enuntiat. 493. a Marnixio Calviniſta ad diſputandum provocatur, 495. 589. ſegniter ſe defendit, 497. Papæ diplomati ſe ſubjicit, 578. fidei confeſſioni ſubſcribit, 580. Pii V. diploma recipit, 583 circa operum merita cum Reinerio diſputat. 586.
Balagnyus Spurius Montluci filius Epiſcopus Valentinenſis. 76.
Balduinus Proteſtantium cædem vindicare recuſat, 80. moritur, ejus opera. 114. 115.
Barrierus Joannes Fulienſem Congregationem erigit. 442.
Baſilii S. Ordo reſtauratur. 506.

Batthorius Christophorus in Transylvania Religionem Catholicam tuetur, 465. Davidem Arianum proscribit, 466. eundem includi jubet. 468.

Baudinottus ob propositiones contra Regem pronuntiatas damnatur. 491.

Baume Claudius a Gregorio XIII. creatur Cardinalis 478.

Bearnenses cum omni obsequio ambos Colinii Filios excipiunt, 67. Catholicam fidem amplecti renuunt. 74.

Behem Colinium Architalassum trucidat, 30. ejusdem corpus per fenestras in aream projicit 31.

Belleverius a Rege deputatus pro subsidiis a Clero petendis. 531.

Belgæ hæretici profligantur, 447. suam rebellionem honestare moliuntur, 450. vid. *Calvinistæ*.

Benedictus Renatus ob perversam Bibliorum versionem a Facultate excluditur, 122. ejus caussa rursus agitatur, 253. 311. Parisiensem Episcopum sibi faventem experitur, 253. se facultatis judicio submittit, 254. Facultati libellum supplicem porrigit, 255. suam versionem vindicare conatur. 312.

Biragus Cancellarius in comitiis Blesensibus perorat, 372.

Biragus Renatus Mediolanensis a Gregorio XIII. creatur Cardinalis. 479.

Bironius a Rupellensibus Calvinistis non recipitur. 86.

Bitu-

Bituricenſes in Calviniſtas irruunt. 61.
Blanchis Cardinalis moritur. 634.
Blandratus in Tranſylvania diſſidia concitat, 464. Arii hæreſin adoptat. 467.
Bleſſenſia comitia inchoantur, 367. Rex, & Biragus Cancellarius ibidem perorant, 367. 372. Ordines ſibi judices non ſuſpectos dari poſtulant, 373. Regis reſponſum ad hanc petitionem, 374. Ordines de Religionis negotiis deliberant, 376. Clerici ſolam Religionem Catholicam in Regno admittendam cenſent, 370. obſiſtit Joannes Bodinus. 377. Ordines nullam ſectam permitti rogant, 379. 412. Navarræ Rex, & Condæus ſuos Deputatos ad comitia ablegant, 380. viciſſim Ordines ad eos deputant quosdam Oratores, 380. novum pacificationis edictum promulgant. 413.
Bobba Marcus Antonius Cardinalis: ejus obitus. 299.
Bodinus Advocatus Religionem veram armis non eſſe tuendam cenſet. 377.
Bolognettus Albertus Venetæ Reipublicæ Diæceſes luſtrare jubetur, 570. a Senatu prohibetur, 571. hæc lis componitur. *Ibid.*
Boncompagnus Philippus a Gregorio XIII. creatur Cardinalis. 99.
Bonhomo Joannes Franciſcus Novarrenſis Epiſcopus a Papa Legatus ad Helvetios decernitur. 523.

Bor-

Borbonius Cardinalis: coram eo Condæus hæresin ejurat, 71. Calviniſtas Rothomago ejicit. 357.
Borgia Franciſcus, moritur. 118.
Briſſonetta Magdalena Calvinianæ ſectæ addicta trucidatur. 42.
Briquemontius Calviniſta morte plectitur. 84.
Bullingerus Henricus Tigurinus Præco animam evomit. 306.
Calendarium Romanum a Patriarcha Conſtantinopolitano acceptatur. 129.
Calviniſtæ: de iis morte promiſcua plectendis in Regis aula deliberatur, 4. 5. diſſuadetur, 6. habito conſilio deliberant, quid de vulnerato Colinio agendum, 15. minas in Guiſios Principes evomunt. 16. Pariſiis in feſto ſancti Bartholomæi interficiuntur, 26. multi factionis ſuæ Proceres trucidantur, 34, quinam ex Nobilibus in Luparenſi Palatio fuerint occiſi, 36. e Suburbio ſancti Germani fuga elabuntur, 40. in variis urbibus occiduntur, 59. in Provincia, & Delphinatu necnon in Lexovienſi ditione mitius habentur, 62. 63. ad varias Regiones profugunt, 66. Rupellæ Regem indigne habent, 86. San-Cæſarienſes obſidentur, 130. pax cum Calviniſtis initur, 131. varias urbes occupant, 134. eorum petulantia in Polonia, 152. 159. 160. per ſuos Legatos non minus iniqua, quam immodica petulanter poſtulant a Rege, 180. 183. Milialdi con-

conventiculum ſeditioſum habent, 184. novam Politicorum factionem in Galliis ſuſcitant, 186. Regem ſuum auffugere compellunt, 211. Navarrum, Condæum, & Alenſonium corrumpere ſatagunt, 212. rei cuſtodiæ dantur, 213. læſæ Majeſtatis rei puniuntur, 214. novos tumultus in Regno concitant, 215. 216. Reginam famoſis libellis proſcindunt, 220. rurſus a novo Rege multa poſtulant, 281. quædam impetrant, 282. jam quintum edictum in ſuæ ſectæ favorem extorquent, 338. ſacri fœderis potentia terrentur, 357. contra Bleſenſia comitia reclamant, 380. rurſus quædam ſibi indulgeri petunt, & obtinent, 413. ſectæ ſuæ libertatem in Belgio extorquent, 454. denuo quædam vi extorquent, 472. 513. in oppido S. Fidei conciliabulum habent, 488. Antverpiæ in Catholicos tumultuantur, 511. mitius habentur, 513. ſeſe Hiſpaniæ Regis imperio ſubtrahunt. 65.

Camerarius Joachimus Scriptor hæreticus moritur. 248.

Campianus Edmundus Jeſuita in Angliam venit, 609. in vincula conjicitur, 657. laqueo ſuffocatur, 659. ejus opera. 659.

Cantacuzenus Michael a Turcis ſtrangulatus obit, 129.

Caranza Bartholomæus Toletanus Archiepiſcopus ejus fata, obitus, & opera. 385.

Carmelitæ Diſcalceati a ſancta Thereſia fundan-

dantur, 620. a mitigatis ſeparantur. 622.

Carolus IX. Franciæ Rex Calviniſtas rebelles plectere ſtatuit, 4. 5. Architalaſſum vulnere affectum dolet, 9. ſe hujus facinoris inſcium teſtatur, 9. Sicarios capi jubet, 10. Colinium inviſit, 12. ad ejus ſermonem reſpondet, 14. Calviniſtas exterminare decernit, 17. in hoc propoſito a Regina Matre ſua firmatur 24. Navarræ Regem, & Condæum Principem ad abjurandam hæreſin, & fidem Regi ſervandam hortatur, 37. a cæde abſtinere jubet, 49. datis literis ſe cædis patratæ inſcium fuiſſe teſtatur, 50. in aliis Urbibus ejusmodi cædes patrari prohibet, 51. Guiſios in exilium amandare ſtatuit, 52. a Matre ſua prohibetur, 53. hujus cædis culpam in ſe recipere perſuadetur, 53. ſe cædis cauſſam extitiſſe in Senatu profitetur, 54. ob depreſſos Calviniſtas Deo grates rependit, 56. ſe ad hujus cædis conſilium neceſſitate coactum promulgato edicto declarat, 58. Navarrum & Condæum ſupplicii metu ad fidem adigere molitur, 67. apud Helvetios patratæ cædis culpam excuſare nititur, 77. a Calviniſtis Rupellenſibus indigne habetur, 86. 90. illos fruſtra ad pacem hortatur, 87. pro Proteſtantium ſecuritate edictum promulgat, 88. Synodum Tridentinam recipere cunctatur, 95. cum Calvi-

Calviniſtis pacem init, 131. Poloniæ legatos excipit, 168. iniquis Calviniſtarum poſtulatis moleſtatur, 180. 183. in ejus vitam conjurantes Calviniſtas plecti jubet, 214. moritur. 216.

Carolus Borromæus Mediolanum revertitur, 200. tertium Concilium ibidem celebrat, 201. a Mediolanenſi Gubernatore ob prohibitum feſtivum ſpectaculum divexatur, 203. rurſus a novo Gubernatore moleſtatur, 204. eum anathemate percellit, 106. ſuis arcibus abeodem ſpoliatur, 208. Collegium Nobilium erigit, 262. jejunium in Adventu obſervari urget, 264. Henricum III. e Polonia reducem inviſit, 265. pro jubilæi feſtivitate Romam pergit, 268. honorifice a Papa excipitur, 269. Eccleſias pie viſitat, 270. Pontifici ſalutaria monita ſuggerit, 271. Roma profectus Mediolanum venit, 272. peſte laborantibus cum eximia charitate aſſiſtit, 323. Mediolano recedere renuit, 325. varia charitatis auxilia adinvenit, 327. publicis ſupplicationibus Deum placare nititur, 329. omnia ſuæ Diæceſis loca peſte infecta luſtrat, 332. quartam Synodum celebrat, 333. ejus decreta, 334. indefeſſo ſtudio peſtiferis ſuccurrit, 435. jejunii verni initium ſtatuit, 437. a Gubernatore calumniis opprimitur, 438. apud Papam, & Hiſpaniæ Regem ſe defendit, 440. epiſtola Paſtoralis contra

Baccha-

Bacchanalia declamat, 513. edictum adversus spectacula promulgat, 514. a Gubernatore propterea vexatur, 515. novum Virginum Religiosarum institutum erigit, 516. Synodum quintam celebrat, 517. ejus decreta, 518. Corpus sancti Nazarii transfert, 521. ad Helvetios, & Grisones Nuntium Apostolicum decerni petit, 522. falso Romæ, & in Hispania accusatur, 524. Romam pergit, 526. per honorifice a Papa excipitur. 567.

Carolus Lotharingiæ Dux populis suis Protestantium sectæ usum interdicit. 75.

Carpenterius Jurisconsultus Protestantium cædem juste patratam scribit. 78.

Casserius Joannes Supremus Melitensium Magister, 666. vid. *Romegasius.*

Catharina Medicæa Franciæ Regis Matet Calvinistas exterminare statuit, 17. Guisios in exilium amandari prohibet, 52. mortuo suo filio tumultus sedare studet 218. a Calvinistis indigne habetur, 220. Alensonium aula profugum revocare nititur, 290. ad Lusitanum diadema adspirat, 445. Navarræ Regem reducere conatur, 473. Protestantibus quædam indulget. 513.

Cavagnius Calvinista morte plectitur. 84.

Cervantes Caspar Cardinalis moritur. 383.

Claudius de Sabaudia Provinciæ Præses Regis mandato de exterminandis Calvinistis non obtemperat. 62.

Clerus

Clerus Gallicanus comitia celebrandi facultatem petit, 520. Meloduni celebrantur, 521. immodica subsidia Regi dare cogitur, 530. varia statuta, 533. hæc subsidia oppositis conditionibus promittit, 540. repulsam fert, 541. ob denegatas decimas a Parisiensibus vexatur. 542.

Colinius Architalassus Franciæ Regem ad bellum Hispanis utpote Catholicam fidem propugnantibus nuntiandum sollicitat, 4. de eo trucidando agitur 5 sclopeti ictu vulneratur, 7. cum Rege colloqui petit, 11. ab eodem invisitur & cum eo colloquitur, 12 in suis ædibus invaditur, 27. simulata ejusdem constantia, 29. pugione confoditur, 29. per fenestras in aream projicitur, 30. a populo ejus corpus mutilatur, 31. in furca suspenditur, 32. a Francisco Montmorantio depositum Cantiliæ sepelitur, 32. etiam mortuus a Senatu damnatur, 82. ejus effigies patibulo affigitur. 85.

Commendonus Cardinalis Ernestum Austriacum in Poloniæ Regem eligi studet, 141. Razevillii Filiam ad veram fidem revocat, 142. sicut & Cothevicum, 143. ab hæreticis divexatur, 144 159. pro eligendo Ernesto in comitiis perorat, 150. in Italiam revertitur. 167.

Concordiæ liber a Lutheranis consarcinatur, 616. ejus fatum. 617.

Condæus Princeps in secta sua pertinax persistit,

fiſtit, 39. a Rege terretur minis, 67. blande ad ejurandam hæreſin admonetur, 71. circa ſectæ ſuæ veritatem dubitat & in manibus Cardinalis Borbonii hæreſin ejurat, 71. de ſua ejuratione Papam certiorem reddit, 72. cum Calviniſtis regnum invadere parat. 219, 618.

Confalonis confraternitas a Gregorio XIII. confirmatur. 382.

Conſtantinopolitani Patriarchæ, qualiter invicem ſuccedant. 127.

Corregius Hieronymus Cardinalis, ejus vita & obitus. 101.

Coſſenius ad Architalaſſi cuſtodiam deputatur, 21. ejusdem ædes vi effringit, 27. occiſi literas ad Reginam defert. 32.

Coſſobutus ad Proteſtantium poſtulata in comitiis Varſovienſibus reſpondet. 161.

Covarruvias Didacus moritur. 433.

Crequius Antonius Cardinalis, ejus vita & obitus. 236.

Cribellius Alexander Cardinalis moritur, 238.

Cunerus Petri Lovanienſis Doctor moritur, 638, ejus opera. 639.

Damvilla Henricus Montmorentius Colinium cum Rege colloqui velle ſignificat, 12. Summarium urbem occupat, 134.

Daneſius Petrus Vaurenſis Epiſcopus moritur, 428. ejus elogium. 429.

David

David Regius Advocatus ſacrum fœdus vindicat. 360.

Davidis Franciſcus Arii hæreſin in Tranſylvaniam invehit, 465. proſcribitur, 466. ejus petulantia, 466. a Blandrato divexatur, 466. ipſum Blandratum ad ſuos errores perducit, 467. arci includitur, 468. muris oppreſſus perit, 469. ejus perverſa opera. 470,

Davidſonius Angliæ Reginæ Legatus Gandevenſes ſeditioſos ad obſequium revocare nititur. 460.

Demondius Hiberniam invadere parat, 504. in fugam agitur, 505. pacis conditiones acceptare renuit, 505. læſæ Majeſtatis reus declaratur. 506.

Deza Petrus a Gregorio XIII. creatur Cardinalis. 479.

Drackius Franciſcus circa univerſum orbem navigat, 612. in Angliam revertitur. 613.

Duacenſis Univerſitas erigitur. 294.

Dudithius Andreas a Cæſare pro urgenda Erneſti electione in Poloniam decernitur. 154.

Durandus Jacobus Rupellas mittitur a Galliarum Rege. 87.

Duraſius Joannes Navarræ Regis nomine ad Papam ablegatur. 72.

Ederus Georgius Frisingensis, Scriptor Ecclesiasticus moritur. 640.

Edictum pacificationis, 62. 131. 282. 338. 413. 472. 513.

Elisabetha Angliæ Regina Catholicos in Anglia dire vexat, 419. contra Catholicos Sacerdotes sanguinarium edictum promulgat, 609. 611. eos extremo supplicio afficit. 656.

Emotta Petrus Scriptor moritur. 637.

Ernestus Austriæ Archidux, de eo in Poloniæ Regem eligendo agitur. 141.

Facultas Theologica Parisiensis Renatum Benedictum ob perversam Bibliorum versionem a suo consortio excludit, 122. novi Testamenti hispanam versionem proscribit, 251. Renati caussam prosequitur, 253. ad ejus libellum respondet, 256. hanc caussam ad summum Pontificem devolvit, 257. hanc in rem ad Pelleveum Cardinalem Romam perscribit, 260. Maldonati doctrinam notat, 317. a Parisiensi Episcopo suggillatur, & ab ejus sententia necnon excommunicatione ad Senatum provocat, 318, 320. Parisiis solam Religionem Catholicam admitti petit. 444.

Ferrariensis Hypolitus Estensis Cardinalis, ejus vita & obitus. 103.

Fickler Joannes Baptista Stanislai librum contra

contra Lutheranos ſcriptum refellere nititur. 128.

Fitz-Morris Jacobus Angliæ Regnum Gallis ſubjicere molitur, 502. copias in Hiberniam inducit, 503, profligatur, 503. a ruſticis occiditur, 504. eidem Demundius Comes ſuccedit. 504.

Flaccius Illyricus hæreticus moritur, 302. Caroli V. *Interim* ſeſe vehementer opponit, 304, ejus opera. 305.

Francofordia, Lutherani ibidem novam fidei confeſſionem conſarcinare ſatagunt. 406.

Fratres Minores Gandavenſi pacificationi ſubſcribere renuunt, 453. ad Fratres de obſervantia tranſire prohibentur, 569.

Fulienſis Congregatio inchoatur. 442.

Gandavenſes hæretici rebellionem concitant, 457. circa Religionem pacta ineunt. 461.

Geneva, eo Calviniſtæ ex Gallia profugunt, 66. Colinii Filii ibidem recipiuntur. 67.

Gondius Petrus Pariſienſis Epiſcopus Renato favet circa Bibliorum verſionem, 253. Maldonato Jeſuitæ de erroribus ſuſpecto favet, 317. Univerſitatem excommunicat, 320. a Rege Romam ablegatur pro impetrandis decimis. 358.

Gonzaga Vincentius Melitenſis Eques a

Gregorio XIII. Papa creatur Cardinalis, 480.
Gousta Claudius Scriptor Eccleſiaſticus moritur. 192. 642.
Gregorius Nazianzenus, ejus reliquiæ a Papa transferuntur. 619.
Gregorius XIII. Romæ ob Calviniſtarum cædem publicas ſupplicationes indicit, 65. de Condæi & Navarri reditu ad fidem Catholicam certior redditur, 72. utrique gratulatur, ac illorum matrimonium ratum habet, 73. Legatum in Franciam pro bello Turcico decernit, 94. fruſtra Concilium Tridentinum ibidem recipi effla_itat, 95. Indicem librorum prohibitorum perfici jubet, 99. ad Jeremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum e carcere liberandum omnem impendit operam, 129. feſtum S. Roſarii inſtituit, 187. Germanorum Collegium Romæ auget, 188. pro celebrando Jubilæo neceſſaria parat, 230. ſanctum Borromæum lætanter Romæ excipit, 269. ab eo ſalutaribus monitis corrobatur, 271. Congregationem PP. Oratorii Romæ confirmat, 274. Legatum ad ſedandos tumultus Genuam ablegat, 275. Alenſonium ad fidei conſtantiam hortatur, 289. Facultatis cenſuram latam contra Renati verſionem confirmat, 313. ſacrum fœdus in Galliis approbat, 341. 355. in

sumptus belli Clericorum proventum applicari, Regi permittit, 358. hoc fœdus approbare rogatur, 360. Confalonis Societatem confirmat, 382. Cocini Regis Legatos excipit, 383. Carolum Borromæum calumniis oppressum defendit, 439. 441. Joanni Austriaco bellum contra rebelles Belgas moventi indulgentias concedit, 446. Belgas rebelles rejicit, 456. Cardinales creat, 478. Pii V. diploma contra Bajum confirmat, 498. ejus diploma, 499. varias fundationes Romæ facit, 501. Hibernos Catholicos corroborat, 502. sancti Basilii Ordinem restaurat, 506. Nuntium ad Helvetios decernere a Carolo Borromæo rogatur, 522. Novarrensem Episcopum mittit, 523. sanctum Carolum Archiepiscopatu amovere sollicitatur, 525. eundem Romæ perbenigne excipit, 567. varias Constitutiones edit, 569. cum Venetis dissensionem habet, 570. Maronitis pecunias & sacros libros submittit, 572. Bajum in gratiam recipit, 582. Hispaniæ Regem ad successionis Lusitanæ negotium pacate componendum hortatur, 600. sancti Gregorii Nazianzeni reliquias transfert, 619. Carmelitas Excalceatos a mitigatis segregat, 622. varias Constitutiones edit, 624. Moscoviæ Ducis Oratorem excipit, 660. Legatum ad

eum decernit, 661, eundem ad Ecclesiæ unionem hortatur, 665. Episcopum a Melitensibus vexatum excipit, 667. Nuntium ad Melitenses decernit, 671. Supremum Magistrum perbenigne excipit, 672. hanc causſam dijudicat, 674. post Magistri mortem tres Equites pro futuro Magisterio nominat. 67.

Grosbeckius Casparus creatur Cardinalis, 479. moritur 625.

Guastavillanus Gregorii XIII. Nepos creatur Cardinalis. 99.

Guerchius Marosinus Calvinista Parisiis trucidatur. 34.

Guisii Principes ob Calvinistarum metum Regno exeundi veniam petunt, 16. Dux cuncta ad Calvinistarum cædem parare jubetur, 21. fugientes Calvinistas insequitur, 41. sacri fœderis Princeps nominatur. 341.

Henricus III. Franciæ Rex in Gallias e Polania venit, 222. Pœnitentium sodalitati inscribitur, 222. S. Carolum Borromæum excipit, 265. Rhemis inauguratur, 278. Aloysiam Lotharingiam sibi desponsat, 279. varia pietatis specimina edit, 279. multa Calvinistis indulget, 284. 338. comitia Blesis indicit, 367. Cleri postulata eludit, 525. immodica subsidia a Clero petit. 530.

Henricus Lusitanus Cardinalis in Lusitaniæ Regem proclamatur, 444. regnum Hispaniarum Regi cedit, 509. circa hanc cessionem comitia convocat, 591. moritur. 592.
Henuyerus Joannes Dominicanus Lexoviensis Episcopus suos Calvinistas trucidari prohibet, 64. eosdem ferme omnes ad veram fidem revocat. 65.
Heresbachius Conradus Scriptor moritur. 337.
Hiberniæ tumultus. 500.
Hispani ob Calvinistarum cædem Deo grates rependunt. 66.
Horantius Franciscanus Bajum ab hæretico devictum adjuvare cogitur. 497.
Hosius Stanislaus Cardinalis ejus vita, & obitus, 503. ejus opera. 508.
Hospitalius Cancellarius moritur, 198. hæreticorum fautor. 199.
Hoyus Monasterienſis Episcopus moritur, 250. eidem Joannes Guilelmus Cliviæ Ducis Filius duodecim annorum puer succedit. 250.

Jansenius Cornelius Gandavensis Episcopus moritur 396.
Jeremias Patriarcha Lutheranorum hæresin damnat, 127. Lutheranorum calumniis a sua Sede per Turcas pellitur, 129. in carcerem detruditur, 129. Lutheranorum errores refellit. 227.

Jesuitæ, illis suppetias ferre bibliopolæ prohibentur, 401. in Transylvania Collegium obtinent, 465. aliud Romæ. 501.

Joannes Austriacus, de ejus connubio cum Maria Scotiæ Regina agitur, 419. contra Belgas rebelles arma movet, 446. a Papa indulgentias obtinet, 446. hæreticos profligat, 447. Religionem Catholicam tuetur, 456. moritur. 462.

Joannes Sueciæ Rex, vid. *Suecia.*

Isemburgius Comes Colonienſis Archiepiſcopus abdicato Epiſcopatu uxorem ducit, 420. Gebhardus Truchſeſius ſuccedit, 421.

Jubilæum pro anno 1575. indicitur, 230. hæc feſtivitas Romæ celebratur, 261. plures hac de cauſſa Romam confluunt. 262.

Lanojus a Rege ad Rupellenſes Calviniſtas miſſus indigne habetur, 90. 91.

Leidenſis Univerſitas erigitur. 294.

Leoninus Elbertus fœderatorum Ordinum Legatus ad Papam mittitur, 455. edictum de conſcientiæ libertate editum vindicare jubetur, 456.

Liga ſeu ſacrum fœdus, 340, illius Caput eſt Guiſius Dux, 341. hujus fœderis pacta, 344. plures Provinciæ huic fœderi nomen dant. 356. Calviniſtæ hac ſo-

ſocietate terrentur, 357. Rex hujus fœderis caput, 375.
Lomellinus Cardinalis, ejus obitus. 510.
Lotharingius Cardinalis moritur, 223. ejus elogium. 224.
Lotharingius Carolus purpura decoratur. 480.
Lovanienſes Theologi damnatas Baji propoſitiones rejiciunt, 124. 126. Papæ judicio ſeſe ſubmittunt. 578.
Ludovicus Lotharingius a Gregorio XIII. creatur Cardinalis. 478. moritur. 480.
Lugdunum, ibidem Calviniſtæ trucidantur. 61.
Lutherani Græcos ad ſuam ſectam allicere fruſtra nituntur, 127. Patriarcha Conſtantinopolitanus eorum errores confutat, 128. ob hanc repulſam exacerbati Jeremiam ſede ſua pelli apud Turcas inſtant, 129. Cracoviæ conciliabulum celebrant, 167. Græcos ad Lutheri ſecta pertrahere incaſſum nituntur, 226. a Jeremia Patriarcha refelluntur, 227. circa ſectam ſuam Torgavii conciliabulum, 403. Ubiquitatis errorem ſtabiliunt, 405. communem fidei confeſſionem conſarcinare nituntur, 406. in in Belgio cæduntur, 446. Amſtelodami recipiuntur, 447. crudeliter deſæviunt, 448. hæreſis ſuæ libertatem in Belgio extorquent, 455. diſſidia concitant,

tant, 457. concordiæ librum confuunt, 616.

Madrutius Cardinalis, ejus vita, munia, & obitus. 482.

Maggius Hieronymus Scriptor, ejus opera, & obitus. 106.

Magneus Cuthbertus martyrio in Anglia afficitur. 420.

Maldonatus Jesuita Navarræ Principem ad abjurandam hæresin sollicitat, 70. ejus vitæ historia 315. ejus doctrina a Facultate Parisiensi notatur, 316. eidem Parisiensis Episcopus favet, 317.

Manutius Paulus, Venetus, ejus obitus, & historia. 247.

Marcellus olim Mercatorum Præfectus cives ad arma contra Calvinistas sumenda sollicitat, 23. Calvinistis spatium elabendi indulget. 40.

Maronitæ in fide a Papa roborantur. 572.

Masius Andreas Scriptor Ecclesiasticus moritur. 196.

Matrimonia Sacerdotum in Galliis tolerantur. 415.

Maximilianus II. Cæsar Ernestum Archiducem in Poloniæ Regem eligi petit. 154.

Medina Michael Scriptor Ecclesiasticus, ejus opera, & obitus. 194.

Mediolanenſis Synodus III. IV. V. & sexta. 201. 334. 517.

Meldenſes Calviniſtæ trucidantur. 60.
Melita, vid. *Romegaſius*.
Melodunenſis Cleri Gallicani conventus. 521
Metrophanes in Patriarchatu Conſtantinopolitano Jeremiæ ſuccedit, 129.
Mola Joſephus Regis literas, de exterminandis Calviniſtis defert, 62. de conjuratione in Regem conflata accuſatus capitur. 213.
Monachi tempore peſtis Mediolani ægrotis aſſiſtunt. 327.
Montbrunius Calviniſta plures urbes occupat, 135. captus ſupplicio afficitur. 288.
Monte Innocentius Cardinalis, ejus fata, & obitus. 427.
Montgomerius Calviniſta tumultus in Normania concitat 216. capite plectitur ſuæ hæreſi immortuus. 219.
Montlucus Valentinenſis Epiſcopus Andegavenſem Ducem in Poloniæ Regem eligi ſollicitat, 76. 145. hanc in rem in comitiis perorat. 148. 155.
Montmorentius Calviniſtas trucidari prohibet, 60, pacem inter Reginam, & Alenſonium conciliare nititur, 291. moritur. 514.
Moronus Cardinalis ad ſedandos tumultus Genuam a Papa decernitur, 275. moritur, 629.
Morvillerius Joannes moritur. 418.

Mo-

Moſcoviæ Dux auxilia a ſummo Pontifice petit, 660. Papæ Legatus in Moſcoviam venit, 661. inter Ducem, & Poloniæ Regem pax initur, 664. Dux ad Eccleſiæ unionem admonetur. 665.

Muchius ſeu Democharis, ejus ſcripta, & obitus. 241.

Muſſus Cornelius Scriptor Eccleſiaſticus moritur. 241.

Navarræ Regina unacum Filio ſuo ad Franciæ aulam venit, 1. agitur de nuptiis inter Navarræ Principem, & Margaritam Regis Sororem, 2. moritur Regina, 3. nuptiæ Pariſiis celebrantur, 4. Navarræ Princeps a communi cæde excipitur, 18. fidem Regi ſpondet, 39. a Rege ad fidem metu adigitur, 67. ab eodem benigne admonetur, 68. veram fidem adoptari cupit, 69. hæreſin abjurat, 72. de ſua ejuratione Papam certiorem reddit, 72. religionem Catholicam in ſua ditione reſtaurat, 74. bellum contra Regem parat. 618.

Nazarius S. ejus corpus transfertur. 511.

Neracenſe colloquium cum Calviniſtis, 474. illud abſolvitur. 512.

Nivernius Dux Calviniſtas forte ex urbe fugitivos intercipere jubetur, 25. populum Pa-

Parisiensem ad Calviniſtarum cædem animat. 32.

Orangius Princeps Belgarum rebellium Dux, 93. plures urbes ſibi vendicat, 93. cum Gandavenſibus pacta init. 460.
Oratorium Romanum a Papa ſtabilitur. 274.
Ordo, Equites Ordinis S. Michaelis religionem Catholicam conſervari poſtulant, 81. Ordo S. Mauritii in Sabaudia inſtituitur, 97. Ordo S. Baſilii reſtauratur, 506. Ordo S. Spiritus a Galliarum Rege inſtituitur. 516. 517.
Oropeſa Ferdinandus a Gregorio XIII. nominatur Cardinalis. 479.
Oſorius Hieronymus Scriptor Eccleſiaſticus moritur. 635.

Paccecus Franciſcus Cardinalis, ejus vita, & obitus. 511.
Pariſienſes in Calviniſtas exacerbantur. 49. refloreſcente Alba Spina ferociores evadunt, 49. Senatus in Colinium mortuum ſententiam pronuntiat, 82. petitam pecuniæ ſummam Regi denegant, 294. omnium primi ſacro fœderi accedunt. 342.
Paulus Joannes *ab Eccleſia* Cardinalis Mediolanenſem Gubernatorem ob violatam jurisdictionem Eccleſiaſticam excommunica-

nicatum ſolvit, 204. eundem incaſſum rogat, ne ſimilia attentet, 205. moritur, 297.

Payva Andrada Theologus Luſitanus moritur, 399. ejus opera. 400.

Pelleveus Cardinalis a Facultate circa Renati verſionem ſollicitatur. 260.

Perſonus Robertus Jeſuita in Angliam venit. 610.

Peſtis graſſatur in Italia. 321.

Philibertus Emanuel Sabaudiæ Dux ad Luſitanum diadema adſpirat, 443. Salutiarum Principatum repetit. 514.

Philippus II. Hiſpaniæ Rex a ſuis Miniſtris ſeductus quædam contra immunitatem Eccleſiaſticam decernit, 205. ſacro fœderi in Galliis accedit, 341. 355. apud eum S. Carolus Borromæus a ſuis æmulis accuſatur, 440. ad Luſitanam coronam Rex adſpirat, 443. Belgas rebelles invadere ſtatuit, 446. Pii V. diploma contra Bajum a Papa confirmari petit, 498. copias in Hiberniam ſubmittit, 503. in Luſitaniæ Regem eligitur, 508. pacem init cum fœderatis Ordinibus, 510. Luſitaniam armis ſibi vendicare parat, 593. 594. hac ſuper re Complutenſes Theologos in conſilium vocat, 595. ab eis propitium reſponſum obtinet, 596. ſucceſſionis negotium Papæ judi-

judicio relinquere rogatur, 600. cum Papæ Legato confert, 603. Pratenſem Priorem æmulum ſuum profligat, 606. 607. Bragantiæ Ducem perbenigne excipit, 608. navigationem ab Anglis uſurpatam prohibet, 615. Carmelitas diſcalceatos a mitigatis ſegregari petit, 623.

Philippus Nerius ſuam Congregationem Romæ inſtituit, 274. inter Genuenſes Nobiles pacem conciliare nititur. 275.

Picardienſes ſacro fœderi accedunt. 343.

Politici, nova hæreticorum factio ſub hoc nomine in Galliis erigitur, 186. hi Deputatos ad Regem ablegant, 281. quædam poſtulant, 281.

Poloni Andegavenſem Ducem in Regem ſuum eligunt, 165. eorum Oratores Pariſios ad eum veniunt, 169. Religionem conſervari petunt, 172. ſpe ſua fruſtrantur. 173. 175.

Poſſevinus Jeſuita ad Moſcoviæ, & Sueciæ Duces ablegatur, 661. Joannem Sueciæ Regem ad fidem Catholicam perducere nititur 663. ſpe ſua ab hæreticis fruſtratur, 663. relicta Suecia in Moſcoviam contendit. 664.

Pontacus Arnaldus Vaſatenſis Epiſcopus Eccleſiæ Gallicanæ ſtatum Regi exponit, 521. Regis reſponſum refellit. 528.

Pragmatica Sanctio, eam reſtaurari petunt Galli 523. 651.

Razevilus Nicolaus accerrimus Catholicorum hoſtis, 142. ejus Filius ad Eccleſiæ ſinum revertitur, 142. hic purpura decoratur. 143.

Rambuilletus Nicolaus a novo Rege in Poloniam decernitur. 178.

Ramus Petrus, ejus fata, 44. trucidatur. 45.

Raynutius Farneſius ad Luſitanum diadema adſpirat. 445.

Rebiba Scipio moritur. 425.

Reignierus Calviniſta a Vecinio Catholico hoſte ſuo cædi eripitur. 47.

Reinerius Cornelius cum Bajo circa operum merita diſputat. 586.

Renellus Antonius Pariſiis trucidatur. 34.

Requeſenius Mediolanenſis Gubernator prohibet, ne quidam Nobilis diplomate Apoſtolico in re mere profana obtento uteretur abſque Regio *Placet*, 204. propterea excommunicatur, 204. ab excommunicatione ſolvi petit, & obtinet, 204. dire ſanctum Carolum Borromæum divexat. 205.

Reſendius Dominicanus, ejus obitus, & ſcripta. 431.

Riarius Alexander Cardinalis a Papa creatur, 479. a Papa ad Philippum Regem

gem pro componendo Lusitanæ successionis negotio decernitur, 600. cum Philippo confert, 603. Romam re infecta revertitur. 605.

Riccius Joannes Cardinalis, ejus vita, & obitus. 234.

Romegasius contra supremum Melitensium Magistrum cum ceteris Equitibus dissidia habet, eoquod is quædam beneficia Archiduci contulisset, 666. ob Episcopi visitationem novi tumultus oriuntur, 667. caussa ad Papam devolvitur, 667. Equites in Magistrum insurgunt, 668. eidem varia crimina objectant, 668. Magisterio amovere moliuntur, 669. captum includunt, 670. Nuntius a Papa hanc in rem Melitam venit, 670. a Gallis Magister protegitur, 671. Romam delatus a Papa perbenigne excipitur, 672. suam innocentiam vindicat, 672. Romegasius Romam venit, 671. non auditur nisi præstita prius Magistro obedientia, 674. moritur, 674. ipse etiam Magister fatis fungitur, 676. de Magistro eligendo agitur. 677.

Rosarium, illius festum a Gregorio XIII. instituitur. 187.

Rosembergius pro urgenda Ernesti electione in Poloniam decernitur. 154.

Roserius olim Calvinista Navarrum, & Condæum ad abjurandam Calvini hæresin solli-

ſollicitat, 70. ad veram fidem perducit ambos, 72. rurſus ad Calvini ſectam revertitur. 72.

Rupella, cives Regis Gubernatorem excipere recuſant, 86. Regis monita ſpernunt, 87. auxilia ab Anglis petunt, 89. in regios tormenta explodunt, 90. ad eos Lanojus a Rege deputatur, 90. indignum in modum habetur. 91. 286.

Rupiſocaldius Franciſcus in Pariſino tumultu trucidatur. 34.

Ruvereus Julius Cardinalis moritur. 485.

Sacrum Cæſaris, hæc urbs a Regiis obſidetur, 129. deditione accipitur, 123.

Sanctæ Fidei oppidum, ibidem Calviniſtæ conciliabulum habent. 489.

Sanderus Nicolaus Catholicis Hibernis ſuccurrere ſatagit, 503. moritur 643.

Schombergius Caſpar a Franciæ Regina in in Poloniam mittitur, ut Andegavenſem Ducem in Regem eligi curaret, 136. eundem ob patratam cædem excuſat, 137. alios Germaniæ Principes in Ducis favorem ſollicitat. 140.

Scotia, agitur de Mariæ Scotiæ Reginæ connubio cum Joanne Auſtriaco. 419.

Sepulveda, ejus obitus, & libri. 111.

Sigiſmundus Poloniæ Rex moritur, 75. de ejus ſucceſſore agitur 76.

Simler Joſias hæreticus ſcriptor moritur, 337.

Soci-

Socinianiſmus a Joſia Simlero expugnatur. 337. 467.
Socolvius Stanislaus Lutheranæ hæreſis confutationem a Jeremia Patriarcha factam latine reddit, 128. alium ejusmodi librum confutat. 128.
Spinoſa Didacus Cardinalis, ejus vita, & obitus. 99.
Sueçia, de eorum Rege in Poloniæ Regem eligendo incaſſum agitur, 163. 164. eorum Rex Catholicam fidem reſtaurari deſiderat, 662. hanc in rem quædam a Papa poſtulat, 662. Papam de neglectis hiſce poſtulatis falſo accuſat. 663.
Surrius Laurentius Cartuſianus, ejus obitus, & opera. 487.

Telinius Colinii Gener trucidatur. 34.
Teſtamentum novum hiſpanice redditum proſcribitur. 251.
Thereſia ſancta, plurimum in reformationis ſuæ negotio patitur, 620. plurima ubique monaſteria erigit. 622.
Thuanus Regem ob Calviniſtarum cædem palam dilaudat, & clam redarguit. 55.
Toletus Ferdinandus a Gregorio XIII. Cardinalis creatur. 479.
Toletus Jeſuita Pii V. diploma contra Bajum a Gregorio XIII. confirmari urget, 499. hoc diploma acceptari curat, 500. illud Facultati exhibet, 573. 576. fidei confeſſioni ſubſcribere, Bajo præcipit. 580.

Toloſa, ibidem quinque Senatores Calviniſtæ laqueo ſuſpenduntur. 61.
Torgavienſe Lutheranorum conventiculum circa religionis diſſidia. 403.
Tranſylvania a Calviniſtis turbatur. 464.
Tremellius Emanuel hæreticus Scriptor moritur. 64.
Tricaſſini Calviniſtas trucidant 60.
Tridentinum Concilium, illud in Galliis recipi, Clerus petit. 511 522.
Truchſeſius de Valpurg Auguſtanus Epiſcopus, & Cardinalis, ejus vita, & obitus. 188. 421.
Truchſeſius Gebhardus in Colonienſi Archiepiſcopatu ſuccedit. 421.

Ubiquitas humanitatis Chriſti a Lutheranis explicatnr. 310. 408
Vecinius Catholicus erga Reinerium Calviniſtam hoſtem ſuum generoſum facinus exercet. 46.
Veneti cum Papa ob viſitationem diſſidia habent. 570.
Vicedominus Carnutenſis Calviniſtis Pariſios exire ſuadet. 15.
Vigorius Simon Narbonenſis Archiepiſcopus moritur. 300.
Villavicentius Laurentius Scriptor Eccleſiaſticus vivis eripitur. 641.
Univerſitas Pariſienſis circa comitia Bleſenſia deliberat, 400. præcipit Bibliopolis, ne

ne Jesuitis suppetias præstent, 401. Academia reformatur, 401. depravatæ doctrinæ libros vendere Bibliopolis prohibet. 402.
Unitarii Torgæ conciliabulum habent. 465.
Ursinus Fulvius Cardinalis a Papa Legatus in Franciam pro bello Turcico mittitur, 94. frustra Synodum Tridentinam recipi urget, 95. e Galliis discedit. 96.

Warsovia, ibidem pro eligendo Poloniæ Rege comitia aguntur, 76. 147. conventus hanc in rem ibidem habetur. 162.
Westerhove Laurentius Rector Lovanienſis quasdam Baji propositiones suggillat, 493. Baji apologiam refutat. 494.
Westphalus Scriptor hæreticus moritur. 259.
Wolffius Hieronymus Scriptor vivis eripitur. 64.

ERRATA: *Sic corrige.*

Pag. 90. denuntiaret - denuntiare.
619. Georgii - - Gregorii.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XLIX.

Th 49
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN